ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INSTITUTIONES
IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI

QUAS

IN SCHOLIS PONTIFICII SEMINARII ROMANI

TRADIDIT

FELIX CAVAGNIS

ANTISTES URBANUS CAN. LIBERIANUS

EIUSDEM SEMINARII RECTOR

EDITIO ALTERA ACCURATIOR

PARS PRIMA GENERALIS

Volumen unicum

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY



ROMAE

TYPIS SOCIETATIS CATHOLICAE INSTRUCTIVAE

1888.

Ius proprietatis Auctor sibi vindicat
iuxta vigentes leges.

LECTORI BENEVOLO

I. Indoles praesentium institutionum.
II. Ratio quâ ius ecclesiasticum traditur in scholis pontificii Seminarii Romani.
III. Differentia inter institutionum et textus canonici scholam.
IV. Diversa ratio institutionum tradendarum.
V. Recentioris bibliographiae specimen.

I. Summus Pontifex Leo XIII., quo sospite fruimur, ut clericorum institutio novis Ecclesiae necessitatibus apprime responderet, anno scholastico 1880-81, cathedram iuris publici ecclesiastici in suo pontificio Seminario romano erexit, eam facultati legali adscripsit et mihi concredidit.

Etsi autem doctorum virorum optimae de singulis iuris publici ecclesiastici quaestionibus elucubrationes extarent, institutiones tamen huic scholae respondentes deficiebant. Quaedam enim breviores quam integer annus requireret; multo autem plures theologicam indolem potius quam iuridicam praeseferebant; fuerant enim in gratiam laicorum iuvenum exaratae; hinc insistunt in Ecclesiae divinitate, proprietatibus, dotibus, notis demonstrandis, ut in locis theologicis mos est; quin imo quaedam ethicas veritates de necessitate et praestantia religionis aut etiam de revelationis possibilitate et utilitate apologetice pertractant; quae omnia

a proposito aliena sunt. Deinde illud librorum qui in iuventutis usum eduntur fatum est, ut identidem renovandi sint; etsi enim cuiuslibet scientiae principia immutabilia sint, institutiones tamen oportet indoli cuiusque aetatis accommodentur; hinc quaedam uberius, quaedam parcius, prout tempora requisierint, in eis exponenda sunt.

Concilii quoque oecumenici Vaticani sessionis quartae, de suprema Romani Pontificis atque infallibili potestate decreta, iuris publici ecclesiastici tractandi rationem non parum immutaverunt. Cum enim plenitudo potestatis eius immediatae atque ordinariae in omnes et singulos pastores et fideles, in omnes et singulas Ecclesias definierint, iam multas quaestiones quae intra septa Ecclesiae agitabantur, aut saltem singulariter erant vindicandae, obsolescere necesse fuit, unaque concludi de fide propositione, plenitudine nempe potestatis supremi Pastoris, ex quâ veluti corollaria evidenter fluunt. Institutiones proinde exaravi quas nunc maiori edo fiducia, cum competentium iudicum propitiam censuram sustinuerint (1). Doctrina eadem est ac in prima huius operis impressione; quaedam tantum magis accurate explicare curavi.

---

(1) Vide praesertim ex italicis ephemeridibus *La Civiltà Cattolica*, fasc. I. Augusti 1883. *La Scuola Cattolica*, fasc. Decemb. 1882, Maii et Septemb. 1883. *La Scienza e Fede*, fasc. Febr. et Iunii 1883. *Il Monitore del Contenzioso*, fasc. Decemb. 1885. *Il Papato*, fasc. 84-86. *La Rassegna italiana*, fasc. Ian. Aprilis et Iulii 1883. *La Palestra del Clero*, an. VI. vol. XII. n. 13. pag. 96.

Ex his intelliges multa mihi supponenda esse, et plurima non tam demonstranda quam in mentem revocanda, utpote quae in philosophicis atque theologicis disciplinis, in locis praesertim theologicis atque ecclesiastica historia, iam ex professo enucleata sunt.

Est etiam a positivis Ecclesiae legibus proponendis ipsarumque historia, regulariter abstinendum, ne quae ad scholas textus et institutionum canonicarum spectant, in ius publicum transferantur. Plurimum tamen insisto in principiis quoque iuris publici naturalis declarandis, cum in hac re duplici ex capite erretur; 1. quatenus falsa circumferuntur principia, quae applicata Ecclesiae, perversas dant conclusiones; 2. quia ipsa recta principia naturalia non semper aptari possunt Ecclesiae, quae est naturae supernaturalis.

Cum autem ex principiis generalibus ad particulares descendimus applicationes, non ea mens est ut omnia quae ab Ecclesia superioribus temporibus praestita sunt, nostris renovari velimus, sed tantum ut ea, cum facta sunt, iure praestita esse ostendamus. Hinc Ecclesiae agendi ratio *historice*, ut dicitur, in tuto ponitur, nempe pro ea rerum conditione, quae olim obtinuit; scimus enim multa in ecclesiastica disciplina contingentia esse

---

Ex exteris, *The month of London*, fasc. April. et Nov. 1883. *Das Vaterland*, Vindobonae, n. 28 Nov. 1883 et 2 Mart. 1884. *Le journal de Droit Canon et de la jurisprudence canonique*, Lutetiae Parisiorum, Iun. 1883. *Revue des sciences ecclesiastiques*, Febr. 1884. *Revue hebdomadaire de Lyon*, Dec. 1884. *Semaine religieuse d'Aix*, 1. Mart. 1885. *Diario de Sevilla*, n. 756. *Bolettin oficial eclesiastico de Vich*, 15 Ian. 1886.

et non omnia omnibus, sed suis congruere temporibus. Hinc accurate distinguemus media Ecclesiae simpliciter necessaria, et media tantummodo utilia aut pro aliqua tantum temporum conditione necessaria, et sic vita Ecclesiae explicabitur, simulque omnis in eam invidia vitabitur.

II. Rationem autem qua ius ecclesiasticum in scholis pontificii Seminarii romani traditur, animadvertas. In tres annos distributum est, in quorum primo ius publicum, et institutiones iuris canonici; in secundo et tertio duabus quotidianis scholis textus canonicus exponitur; analoge et parallele procedit studium iuris civilis romani seu Iustinianaei, additis tamen opportunis comparationibus cum moderna legislatione.

Cum autem in seminariis extra urbem soleant institutiones canonicae tradi una cum sacra theologia, permittitur clericis exinde advenientibus operam dare tantum studio textus canonici; sed superandum est examen de institutionibus, ut primum gradum academicum Baccalaureatus consequantur.

III. Si quis vero quaerat quaenam differentia sit inter institutiones et textum canonicum, respondeo diversam esse posse pro diversa scholarum indole. Haec divisio inducta est in iure canonico ad imitationem iuris romani; in institutionibus ordo scientificus et logicus servatur in dispositione et connexione materiarum; in textu sequimur ordinem Decretalium Gregorii IX.; qui etsi satis idoneus pro usu forensi, non multum rigorosus est, et aliquando materiam eamdem, puta de irregularitate, incommode in titulos inter se remotos, imo et libros diversos distribuit. In institutionibus

traduntur principia et elementa iuris; principia, idest fontes; elementa, idest fundamentales veritates, ipsarumque evolutio historica, ex. gr. vicissitudines organizationis ecclesiasticae, idest Patriarcharum, Primatum, Metropolitarum, Vicariorum apostolicorum, Conciliorum provincialium. In textu exponitur ius vigens usque ad ultimas authenticas legislativas conclusiones; hinc ex complexa quaestionum natura aliquando supponuntur principia generalia in institutionibus iam tradita, de quibus in textu tantum serius agitur.

IV. Iamvero ubi unica schola est iuris canonici, profecto necesse est servare ordinem institutionum, qui a singulis Doctoribus plus vel minus perfecte concipi potest; non enim in iure canonico extant institutiones authenticae; nam quas exaravit Ioannes Paulus Lancellotti, summorum Pontificum approbationem non habuerunt, etsi aliquando subiiciantur ad calcem corporis iuris. Cum unica est schola iuris canonici, est insuper necessarium non modo principia generalia tradere, sed et praecipuas colligere conclusiones; exemplo esse possunt celebres institutiones canonicae Io. Devoti, archiepiscopi titularis carthaginiensis, cum optimis notis appositis a Francisco Xav. Castiglioni, postea Pio VIII. Recentiores autem habes a p. Sebastiano Sanguineti S. I. exaratas (1). E contra ubi duplex est schola iuris canonici, idest institutionum et textus, illae contentae sunt generalioribus principiis, ne inutiliter anticipent quae in textu ex professo evolventur; hinc magis in-

(1) Romae, ex Typ. S. C. de Propaganda 1884. Vol. un. pag. VIII. 550.

sistunt in fontibus iuris tum antiqui tum novi tum novissimi examinandis, ipsorumque critica tradenda, nec non in historia iuris, quae omnia in textu ut iam explorata habentur et vix in mentem revocantur. Huic conceptui respondent institutiones iuris canonici Iosephi De Camillis in pontificio Seminario romano antecessoris, Parisiis editae a Vives anno 1868, quod opus posthumum in ordinem digessit alter antecessor Caesar Roncetti, qui archiepiscopus postea Seleucensis et Sedis Apostolicae Nuntius apud Regem Bavariae, obiit anno 1881. Rursus ubi non adest schola iuris publici ecclesiastici, natura iuridica Ecclesiae eiusque constitutio, in institutionibus traditur; e contra in his supponitur, cum specialis adest cathedra iuris publici. Ex his indolem studiorum nostrorum intelliges et limites pertractationis nostrae, cuius ordinem inferius habes § 4ª prolegomenorum.

V. Ante inductam, saeculo superiori, distinctionem inter ius ecclesiasticum publicum et privatum, Canonistae quaestiones iuris publici pro opportunitate, in ipso iure canonico evolvebant. Idem praestabant et Theologi. Primus qui ius publicum ecclesiasticum ut separatam tradidit disciplinam, teste Scavini (1), fuit Antonius Schmid S. I. anno 1771, quamvis plures iam antea huius inducendae distinctionis necessitatem adnotassent. Ita Gibert, in suo opere cui titulus, *Corpus iuris canonici per regulas naturali ordine digestas*, tit. 2. prolegom. p. I. sectione unica. Ioannes Adamus p. Ickstatt, *De Studio iuris, ordine atque methodo*

(1) Vide eius ius publicum ecclesiasticum.

scientifica instituendo. Ingolstadii 1747. Ioannes Nepomucenus Andres, *De necessario iurisprudentiae naturalis cum ecclesiastica nexu.* Virceburgii 1751.

Quidam scriptores utrumque ius, publicum et privatum simul sed distinctis sectionibus tradiderunt. Ita *Devoti Ioannes* in suo maiori opere, *Ius ecclesiasticum universum, publicum et privatum.* Romae 1837, vol. 3, quod opus continet quidem ius publicum, sed quoad privatum, libros tantum primum et secundum Decretalium, cum auctor morte praeventus fuerit.

Item *Salzano P. D. Michael*, archiepiscopus titularis Edessenus, *Lezioni di diritto canonico publico e privato*, pluries excusae, Neapoli; edit. XIII. est an. 1875, vol. 4.

P. Abraham a S. Susanna, Istituzioni di diritto ecclesiastico publico e privato, antico, del medio evo e novissimo, Napoli. 1869, vol. 2. Item, *Nozioni e problemi di diritto canonico publico e privato in conformità del diritto novissimo.* Vol. un. Napoli 1869.

Barba, Diritto ecclesiastico publico e privato. Napoli, vol. 2.

Zallinger, Iuris ecclesiastici publici et privati institutiones. Vol. 5. Romae 1833.

Multo autem plures exponunt tantummodo ius publicum, vel completas tradendo institutiones, vel fundamentales eiusdem veritates vindicando.

D. Crouzet qui ex germanica in gallicam linguam vertit opus clari Georgii Phillips, *Du droit ecclesiastique dans ses sources*, adiecit caput valde utile, cui titulus: *Essai de bibliografie du droit ecclesiastique* (Paris, Jacque Lecoffre et C. 1852); in quo circa prae-

cipuas iuris materias distinctis articulis auctores allegat, et de singulis prudens iudicium pronuntiat. Ad rem nostram faciunt praesertim articuli:

14. *De la hierarchie en général;*
15. *De la puissance ecclesiastique;*
17. *Rapport des deux pouvoirs;*
25. *Des immunités et des privilèges du clergé;*
33. *Des immunités et des asyles;*
37. *De la jurisdiction ecclesiastique.*

Praestat et nobis quosdam alphabetico ordine indicare, italos praesertim domino Crouzet incognitos aut ei posteriores.

Audisio can. Guglielmo: *Diritto publico della Chiesa e delle genti cristiane*. Romae 1863, vol. 3. *Diplomazia ecclesiastica*, Romae 1864. *Sistema politico di Federico II. e di Pier delle Vigne*, Romae 1866. *Della Società politica e religiosa nel secolo XIX.* Hoc tamen postremum opus ab Ecclesia prohibitum est, et auctor laudabiliter se subiecit. Cuius prohibitionis causam praecipuam puto consistere in *parallelismo*, ut ita dicam, inter Ecclesiam et Statum; ponit enim ambas societates non modo in proprio ordine independentes sed et iure pares, ut adnotavit card. Thomas Zigliara articulis de hac re editis in ephemeride *L'Osservatore Romano*. Qui error, si bene inspiciatur, influxum suum exercet et in aliis eiusdem auctoris operibus. Contra eum egregie scripsit *Antonius Agliardi*, nunc archiepiscopus titularis Cesaraeensis, in sua italica *Critica* praecitati operis. Mediolani 1877.

Barbato Aloisius, cum adnotationibus suis edidit Neapoli anno 1848: *Saggio elementare del diritto publico*

ecclesiastico, vol. 2; quod opus sine nomine iam publicatum fuerat Lucani, et est *Antonii Vittadini*.

Idem *Barbato*, plura alia Neapoli edidit, sed prolixa, ut *Libera Chiesa in libero Stato*, an. 1866. *La separazione della Chiesa e dello Stato*, an. 1868. *Gli appelli alla santa Sede. L'Exequatur*.

Bianchi Ioannes Antonius: Della Podestà e della polizia della Chiesa, cuius prima pars inscribitur: *Della indiretta dipendenza della podestà temporale del regno, dalla podestà spirituale del sacerdozio nella cristiana religione*. Romae editio princeps, an. 1745, vol. 7. Hoc opus omnium praeclarissimum et eruditissimum est. Hunc auctorem quamvis et a domino Crouzet laudatum, recenseo ob maximam eius praestantiam. Idem praesto infra quoad *Muzzarelli et Zacharia*.

Bolgeni quoque *Ioannes Vincentius*, plura de iuribus Ecclesiae scripsit, praesertim adversus Iansenistarum errores; ad rem nostram faciunt: *L'Episcopato*, editio postrema quod sciam est Urbisveteris, an. 1837, vol. 4. Laudatur et a D. Crouzet. *Esame dell'opera intitolata: Vera idea della santa Sede*. Vol. un. Roma 1836, ediz. 4. *Dei limiti delle due podestà;* qui tamen liber est prohibitus. Sed in auctoris excusationem notandum est, opus esse posthumum, et continere dissertationem exaratam ad consultationem s. Sedis, ut iudicaretur quid eius iudicio, praesertim in concordatis, potestati civili indulgeri posset, quidve non; in quibus adsignandis, nimis politicae auctoritati indulsit, atque ecclesiasticae detraxit.

Bonino Enricus: Osservazioni sulle relazioni giuridiche tra la Chiesa e lo Stato. (Critica dell'opera di eguale titolo di Stefano Castagnola). Genova.

Briganti mons. Antonio, arcivescovo titolare di Apamea: *Studio critico sulle relazioni giuridiche fra Stato e Chiesa, dell'onorevole Stefano Castagnola.* Roma, Propaganda, 1884.

Capellari Mauro (qui fuit Gregorius XVI.) *Il trionfo della santa Sede.*

Cenni Enrico: *Della Chiesa e dello Stato.* Firenze, an. 1876.

Charles Antoine: *De la puissance de l'Eglise.*

Concha Fernandez: *Derecho publico eclesiastico.* Santiago de Chile, vol. 2, 1872.

De Fourny: *De iurisdictione ecclesiastica.* Buri Ducis, 1875.

De Hammerstein Ludovicus: *De Ecclesia et Statu iuridice consideratis.* Treviris 1886.

De Lecco: *Saggio sulle relazioni della Chiesa e dello Stato.* Napoli, 1870-72.

De Luise: *De iure publico ecclesiastico.* Neapoli et Parisiis, 1877.

De Maistre: *Du Pape. De l'Eglise gallicane.*

D'Hulst: Le droit chrétien et le droit moderne. Paris, 1886.

Gerbertus Martinus: *De legittima Ecclesiae potestate circa sacra et profana.*

Gerdil Card. *Opuscola de ecclesiastica hierarchia.* Habentur separatim impressa Typographia S. C. de Propaganda.

Gousset Card. *Exposition des principes de droit canonique.* 1859.

Gual: L'equilibrio entre las duas podestades. Barcelona, vol. 3, 1852.

Hergenroether Card. *La Chiesa cattolica e lo Stato cristiano nel loro storico svolgimento.* Parma.

Laderchi: *Relazione della Chiesa con lo Stato.* Modena 1845.

Liberatore p. Matthaeus: La Chiesa e lo Stato. Napoli 1872. *Del Diritto publico ecclesiastico.* Prato 1887.

Liruti: *De finibus utriusqne potestatis.* (Anonyme tamen prodiit).

Luppoli Vincentius: *Iuris ecclesiastici praelectiones.* Est potius compendium.

Mamachi: Epistolae ad Iustinum Febronium, de ratione regendae christianae reipublicae, deque legittima Romani Pontificis auctoritate. Romae 1776-77, vol. 2.

Marchetti Ioannes, archiepiscopus titularis Ancyranus: *Della Chiesa quanto allo stato politico.* Roma, vol. 3, 1819.

Mauti: Elementos de derecho publico eclesiastico. Quito 1869.

Mazzotta Vitaliano: Il Cesarismo ed altri opuscoli. Roma 1870.

Muzzarelli: De auctoritate Romani Pontificis. Vol. 2, Gandavi 1815.

Nannetti Emidio: Brevi nozioni di diritto publico ecclesiastico. Vol. 2. Bologna 1840.

Pallottini: *Sacerdotium et imperium.* Vol. 2. Romae 1875.

Patroni Giuseppe: Il Papato e gli Stati. Siena 1880. *Scritti varii.* Roma 1882.

Prisco: Lo Stato secondo il diritto e gli insegnamenti di Leone XIII. Roma 1887.

Recco: Dell'esistenza di vera giurisdizione nella Chiesa. Roma 1791. *Delle due podestà.* Roma 1793.

Reques: Derechos de la Iglesia, del estado y de la familia. Barcelona 1868.

Rohrbacher: Rapporti delle due podestà.

Roskovany Augustinus, episcopus Nitriensis in Hungaria: *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae.* Vol. XII. Quinque Ecclesiae 1847. Nitriae 1876.

Sambucy: De l'harmonie entre l'Eglise et l'Etat. Paris 1845.

Sarnelli: L'autonomia della Chiesa. Napoli.

Scavini: Ius publicum ecclesiasticum.

Soglia Card. *Institutiones iuris publici ecclesiastici.*

Sota: Manuale de derecho publico eclesiastico. Besanzon Vinda Dey 1857.

Taparelli: Saggio di diritto naturale. Quamvis hoc opus agat de iure naturali tum privato tum publico, tamen de natura quoque societatis religiosae optime pertractat atque cum maxima utilitate perlegitur. Adest et *Compendium* italice quoque ab auctore methodo fere mathematica exaratum, ideoque pluribus difficilius est intellectu, aliis iucundius.

Tarquini Card. *Institutiones iuris publici ecclesiastici.*

Ventura p. Ioachim: Ius publicum ecclesiasticum. Opus valde rarum.

Vittadini. Vide *Barbato.*

Vizzardelli Card. *Carolus: Institutiones iuris publici ecclesiastici.*

Zaccaria Franc. Opera contra Febronium, praesertim *Antifebronius vindicatus.* Adest et *Antifebronius*

abbreviatus qui meliori ordine digestus est, sed rarus. Huius auctoris valde commendabiles sunt et opuscoli: *Lasciamo stare le cose come stanno* (refutat hanc desidiosorum excusationem). *Rendete a Cesare quel che è di Cesare e a Dio quel che è di Dio. Comandi chi può* (idest qui potestatem habet), *obbedisca chi deve.*

Consuli etiam potest alia collectio DD. Roskovany, cui titulus: *Collectio Monumentorum de potestate summi Pontificis*, Nitriae 1867-1876, vol. XI, in qua copiosissimam litteraturam eorum recenset qui a tertio saeculo ad nostram aetatem egerunt de potestate summi Pontificis diversis sub respectibus; in quâ materia multa sunt quae ad ius Ecclesiae publicum referuntur, praesertim sub rubrica *Pontificatus et imperium.*

Sed maxime oportet iuris publici ecclesiastici studiosum, prae oculis habere ipsa documenta pontificia quae de re nostra loquuntur; excellunt autem inter omnia enciclycae litterae Leonis Pp. XIII., *Immortale Dei*, die 1. Nov. 1885, quae de civitatum christiana constitutione inscribuntur, et aliae quas de humana libertate dedit die 20. Iulii 1888. In his enim summus Pontifex veritatem non modo docet sed et suadet atque illustrat.

Sunt tandem apud singulas gentes, scriptores qui ius publicum ecclesiasticum exponunt prout a respectiva lege civili admittitur; hi valde utiles sunt iis qui negotia forensia, politica aut patrimonialia Ecclesiae pertractant, ut sciant quid praestari, quidve cavere possit aut pati necesse sit, vel exigi aut saltem tentari valeat. Saepe enim dolendum est leges in Ecclesiam iam satis graves, ab ipsarum executoribus exasperari et opportunam defensionem aut igno-

rari aut praetermitti. Italis hac in re valde utile est consulere:

Galdo Gennaro: *Legislazione e giurisprudenza in Italia, sulle materie ecclesiastiche*, Napoli, via Toledo n. 393, an. 1884.

Giovannelli Enrico e Galvana Emilio: *Regolamenti per l'amministrazione delle Chiese ecc.* Milano, Agnelli, an. 1886.

Grassi Io. Maria: *Manuale della legislazione e giurisprudenza italiana intorno al diritto publico ecclesiastico*. Firenze 1879. Idem rei ecclesiasticae optime meritus auctor edidit quoque egregiam ephemeridem *Monitore del Contenzioso in rapporto agl'interessi religiosi e sociali*, quae nunc prodit sub titulo: *Il Consultore giuridico civile ed ecclesiastico*, Firenze, Borgo Albizi 21.

Rivarolo Pietro: Il governo della Parrocchia considerato ne' suoi rapporti colle leggi dello Stato. Editio 3. est an. 1873. Vercelli.

Quoniam autem et iudicandi rationem eorum qui civilibus iudiciis praesunt, cognoscere iuvat, videri poterunt et

Foa Raffaele: *Prontuario o guida riassuntiva delle principali massime di giurisprudenza e risoluzioni amministrative dei beni demaniali, dell'asse ecclesiastico ec.* seconda edizione, Federici, 1886 Pesaro.

Pistoni Ettore e P. Ranieri: *La giurisprudenza della Corte di cassazione di Roma in materia ecclesiastica, dall'anno 1876 al 1885*. Roma, Stamperia Reale, via del Gesù, 48.

Si libet, vide quoque *Conforti Luigi*: *Manuale di Polizia ecclesiastica*, Napoli, Anfossi 1885.

PRAEFATIO

SUMMARIUM. — 1. Ius Ecclesiae in hominem; 2. huius recessus a Deo logica gradatione; 3. item historico ordine.

§ 1.

VI. A Deo, perfectissimo et infinito, essentialiter dependent omnia quae creare voluerit; ideoque essentialiter ei subordinata et ad illum ordinata sunt; quae ordinatio remote et mediate in irrationalibus, proxime autem et immediate in creaturis rationalibus verificatur; hinc ipsis Deus est quies et perfectio, et eiusdem lex, bonum est et veritas. Homo autem a primitiva integritate et iustitia ad praesentem imbecillitatem peccato lapsus, Deo obedientiam denegat, et bonum suum alibi quaerit, et in se aut expresse aut implicite reponit.

VII. Recedere autem a Deo, mendacium est et infelicitas; mendacium, quia bona a Deo separata, inania sunt et vana; ideoque et infelicitas, cum miseriam adducant. Divina autem bonitas, omnia restaurat in

*

Christo; etenim et in praesenti vita D. N. directe restaurat spiritualem ordinem, indirecte et temporalem ex parte.

VIII. Missio autem Domini perpetuatur in Ecclesia, quae est corpus eius mysticum et ipse caput eius invisibile; eam enim instituit ut in ea et per eam omnes homines gratia eius aeternam consequantur salutem.

Qui igitur vere adhaeret Deo, et Ecclesiae eius adhaeret, et illius naturam ac iura agnoscit ac reveretur.

IX. Et quoniam homo non purus spiritus est, sed anima et corpore constat, hinc ius est Ecclesiae homini consulendi tum in interioribus tum in exterioribus; imo directe actio eius in exteriora fertur. Est insuper homo socialis et quidem non modo in genere, sed ad civilem societatem a natura ordinatus. Hinc et potestas Ecclesiae ad hominem quatenus socialis est extenditur, et ad ipsam porrigitur civilem rempublicam in iis quae directe aut indirecte sunt ad Deum. Proinde Ecclesia ius habet actionem suam exercendi exterius, socialiter, privatim et publice.

§ 2.

X. In recessu autem a Deo plures gradus esse possunt; maximus est atheismus; ideoque vitae et societatis institutio nulla Dei habita ratione, sed praesentis temporis tantum, et, logice, boni sui individualis tantum. Medii autem sunt gradus innumeri, quorum praecipuos innuimus.

Atheis accedunt deistae, qui Deum provisorem ordinis naturalis agnoscunt, sed supernaturalia quaeque

reiiciunt, ideoque Ecclesiae nullum ius obiectivum concedunt, sed ad summum *putativum*, eam habentes ut formam humanitus institutam et perfectibilem naturalis sensus religionis.

XI. Succedunt qui revelationem admittunt, et quidem, ut ad rem nostram deveniamus, christianam, sed quamcumque Ecclesiae visibilis auctoritatem ignorant, ideoque privatae interpretationi revelationem ipsam concedunt, ut protestantes.

Hi societatum quoque religiosarum visibilium constitutionem, seu, ut aiunt, confessiones religiosas non proscribunt; verum quoniam exterioris publici ordinis moderamen, naturaliter ad civilem auctoritatem spectat, ei religiosas societates sin minus quoad externam politiam subiiciunt, ideoque Ecclesiam collegium subalternum in statu habent, id est ut societatem maiori et perfectae subordinatam.

XII. Ab his non multum discrepant schismatici, qui etsi auctoritatem religiosam agnoscant, non eam tamen, supremam saltem, quam Dominus instituit, cumque virtute divina non roborentur, tandem saeculari potestati obnoxii evadunt.

XIII. In postrema classe collocandi sunt qui veram Ecclesiam et in ea auctoritatem a Domino statutam agnoscunt, sed errant sive in eo quod obiectum potestatis eius limitent, aut independentiam, cum civili in pluribus subalternam faciant, aut in subiecto, cum non eam formam potestatis adamussim agnoscant quam Dominus instituit; ex. gr. aliquid potestatis plebi christianae tribuunt, aut corpori pastorum a summo Pontifice separato. Huiusmodi sunt vel fuerunt aulici seu

regalistae, vel caesaristae, Iansenistae, Richeriani, Gallicani, Febroniani. Hi quamvis, attenta quantitate obiecti minus errent, non tamen minus periculose, quin forsitan magis; cum enim ipsorum cum veritate discrepantiae minores sint, facilius seducunt et difficilius refutantur.

XIV. Est accensendum et genus his omnibus analogum, quod nostra aetate large obtinet, eorum nempe, qui etsi Deum admittant, non modo naturalis, sed supernaturalis quoque ordinis auctorem, imo etsi Ecclesiam Catholicam agnoscant et communionis eiusdem, iure an iniuria non quaerimus, glorientur, tamen putant haec quidem prae oculis habenda esse in foro conscientiae et etiam exterius in privata cuiusque vita, sed in re publica instituenda, a christiana et multo magis a catholica religione praescindendum esse, sed iuxta placita tantum naturalis rationis et religionis procedendum, ideoque omnes cultus, dummodo morali sensui non repugnantes, aeque esse in societate suscipiendos.

Sed quidam magis logice, et a quavis religione etiam naturali praescindendum esse contendunt et statum, ut dicunt, *atheum* proclamant. Hos ut a denominationibus magis odiosis, sed forsitan magis specificis et veris abstineamus, generali *praescindentium* designatione notabimus.

Horum proinde ultimae practicae conclusiones non multum differunt ab alicuius priorum classium conclusionibus; nempe pro naturali libertate licitum esse Ecclesiae explicare actionem suam, sed salvo ordine publico, cuius custos et iudex est civilis auctoritas; et quoniam pro diversa guberniorum indole et maxima

religionis in societatem efficacia, omnia fere possunt existimari ordini publico necessaria vel contraria, nam et ipsa sacramentorum administratio, ex. gr. matrimonii aut ordinis et praedicatio verbi Dei, possunt turbas aliquas excitare aut exteriores effectus producere, hinc nihil est quod hac theoria subiici non possit laicae potestati et ecclesiasticae subtrahi. Hi autem omnes errores, quos nunc vix adumbravimus, erunt suis locis enucleatius exponendi et refutandi.

§ 3.

XV. Iamvero vix Ecclesia in mundo apparuit et divinam suam originem ac potestatem asseruit, insania visa est ethnicis potestatibus, iudicio proconsulis et praesidis, cum sanctus Paulus disputaret; Act. enim XVIII. 15, Gallio proconsul Acaiae dixit: « Si vero « quaestiones sunt de *verbo et nominibus et lege vestra*, « vos ipsi videritis; iudex ego horum nolo esse ». Et cap. XXVI. 24. Festus (praeses) magna voce dixit: « Insanis Paule, multae te litterae ad insaniam convertunt »; et alibi idem Apostolus aiebat: « Christum « praedicamus, Iudaeis scandalum, gentibus autem stultitiam ». Sed cum uberes, quos Dei opitulante gratia, quotidie fructus referebat, eius vitalitatem ostenderunt, tunc spretus in furorem versus est et persecutio acerrima tribus saeculis subsecuta.

Etenim etsi romana respublica divinitatem agnosceret, tamen praeterquamquod recta eiusdem notione carebat, nullum divinitatis ipsius repraesentantem imperatore augustiorem agnoscebat, nec ullus cultus absque eius sanctione licitus habebatur; hinc qui imperator

et pontifex maximus et sicut philosophia a veteribus definiebatur: rerum divinarum atque humanarum scientia, ita et imperium definiri potuisset: *rerum divinarum atque humanarum suprema atque armata potestas.*

XVI. Data autem Ecclesiae pace, etsi divina eius origo et auctoritas agnosceretur, tamen pluribus de causis et praecipue ob antiquam de sacris disponendi consuetudinem, coepit imperatoria potestas plus aequo in negotiis religionis sese immiscere; ex quo saepe indirecte haeresum protectio et catholicorum praesulum vexatio ac tandem schismatis consummatio.

XVII. In occidente autem nova regna barbarica ad fidem conversa, non doctrinales difficultates Ecclesiae ab initio opponebant, sed tantum reales ob morum violentiam; sed tempore procedente, primo imperatores romano-germanici, deinde praesertim Galliae reges, occasione plurium causarum, praecipue feudorum, electionum ecclesiasticarum, privilegiorum, libertatum, consuetudinum etc. erigi coeperunt adversus Ecclesiae supremam potestatem et a suis legulejis defendi.

XVIII. Non tamen Ecclesiae auctoritas denegabatur; tantum indebite limitabatur sive in obiecto sive in suo subiecto. Sed, exorto protestantismo, omnino reiecta, et ei suffecta, quoad exteriorem disciplinam, principum potestas. Non tamen denegabatur ordo supernaturalis; imo primi protestantes mordicus propugnabant sacras litteras esse oportere fundamentum cuiuscumque legislationis christianae, ita ut Grotius inter protestantes iuristas facile princeps, ad Evangelium propagandum, et bellum infidelibus indici posse defenderet.

XIX. Non ergo adhuc consummata erat separatio

socialis a Deo et Christo eius. Sed logica necessitate ulterius processum est. Semel enim reiecta Ecclesiae auctoritate, nutare coepit ipsa sacrarum litterarum divina auctoritas, et ut opus mere humanum consideratae sunt, atque ad rationalismum deventum est; quod superiori saeculo obtinuit. Etsi enim et antea, ut in omni sociali evolutione contingere solet, quidam singulares haberentur rationalistae, non adhuc in sectam excreverant, neque in societate influxus ipsorum persentiebatur. Sed rationalistae superioris aetatis ut plurimum erant theistae, quamvis deistae. Adhuc ergo in profunditate abyssi procedi poterat ut ad atheismum deveniretur, sive pantheismi, sive materialismi aut positivismi nomine, sive quocumque alio tegatur fuco. Hi motus extra Ecclesiam; sed ut solet, quaedam velut repercussio intra ipsam Ecclesiam habita est, ut cum aer inficitur in locis circumstantibus et loca per se sana aliquid patiuntur. Hinc si et ante protestantismum exortum, plures erant indebiti auctoritatis laicae in negotiis ecclesiasticis interventus, multo magis postea, ita ut sicut principes protestantes in omnibus reiiciebant Ecclesiae potestatem et exclusive curabant exteriorem religiosae societatis politiam, ita inter catholicos, servata fide divinae institutionis Ecclesiae eiusque potestatis, tamen externum regimen placito regio in omnibus fere subiiceretur, et Ecclesiae potestas in multis restringeretur, opera praesertim aulicorum et Febronianorum. Pariter sicut protestantes omnem auctoritatem a populo repetebant, ita et e catholicis quidam egressi multa a populo derivare conati sunt, ut Richerius.

XX. Tandem suam echo habuit in catholicis societatibus et rationalismus, cum plures illum reiicientes obiective, docuerint tamen in re publica regenda praescindendum esse a qualibet veritate religiosa saltem supernaturali; quod aetate nostra factum est, ita ut apostasia societatis a Christo nunc ubique fere obtineat, cum leges ubique fere condantur nullo habito respectu ad vitam futuram et supernaturalem ordinem, sed ad bonum tantum praesens temporale, et, inversa ordinatione divina, Ecclesiam cogant exerere legislationem suam intra limites legislationis civilis.

Quamvis autem incredulitas seu naturalismus vel rationalismus sit maximus nostrae aetatis error, ad practicas et ultimas consequentias deductus, tamen non desunt residua errorum superiorum aetatum, regalismi praecipue; ideoque omnium horum nobis ratio habenda erit.

PROLEGOMENA

In antecessum erit 1. determinanda notio iuris publici ecclesiastici; 2. eius divisiones tradendae; 3. differentiae cum affinibus disciplinis; 4. ordo tractationis exponendus.

§ 1.

NOTIO IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI.

In primis determinanda est notio maxime generica iuris ipsius; 2. notio generica infima, idest quid sit ius publicum; 3. notio specifica, quid sit ius publicum ecclesiasticum.

I. *Quid sit ius.*

1. Ius sumi potest multipliciter (1) ; sed ad rem nostram duas praecipuas significationes adnotare sufficit, idest quando *formaliter* accipitur et quando *efficienter*.

Formaliter consideratur prout est aliquid in operante ; quae proinde acceptio et *subiectiva* dicitur. Et sic ius definitur: *Facultas moralis aliquid faciendi,*

(1) Lucas a Penna in suis *Commentariis in tres posteriores libros Cod. lib. 10. tit. I.* adnotat significationes vigintisex.

omittendi aut exigendi inviolabilis. Cum hic sermo non sit ethicus sed socialis, non dicitur simpliciter *volendi*, hoc enim ad forum conscientiae spectat, sed *faciendi*, *omittendi et exigendi*, quod exteriorem actum respicit, et proinde non modo coram Deo sed et coram hominibus, seu coram societate. In tradita definitione comprehenditur et ius *dominii proprietatis* quod est *ius possidendi, utendi, fruendi, et disponendi de re corporali ceterosque ab ea excludendi*; etenim haec comprehenduntur in *faciendo* et *exigendo*. In definitione iuris respicitur actus per se, seu ratione obiecti sui, ex quo essentialis eius moralitas primario pendet, non autem ratione elementorum subiectivorum quae illum afficere possunt, aut in malum, ex. gr. pravi finis, aut in bonum excusando quod est in se malum, ex. gr. ob ignorantiam invincibilem, de quibus agunt moralistae. — Passim additur in definitione iuris esse « facultatem moralem *inviolabilem*; » sic enim magis exprimitur respectus ad homines qui ad ius nostrum reverendum coguntur, sicut melius distinguitur ius a facultate mere fori interni, cum superaddat *liceitati* considerationem facultatis nostrae respectu aliorum, et *obligationis* qua ceteri tenentur revereri ius nostrum; ideoque cuilibet iuri nostro respondet aliorum officium, et reciproce ceterorum iuri respondet officium nostrum, ut num. 8 dicetur.

Ius dici etiam posset simplicius, ut ponitur in Digesto, *facultas agendi*, utique moralis; nam ipsa omissio cum est voluntaria, est actio; importat enim non modo actum positivum voluntatis sed et alium actum diversum externum; qui enim unum omittit, alium necessario facit; ex. gr. qui non movetur, stat aut sedet. Sed claritatis gratia triplex membrum exprimitur; et iuristis familiare est, ut explicita ponant ad omnes

controversias dirimendas, quae rigore logico haberi possent ut satis implicite indicata.

2. Nostrum autem non est hic explicare quid sit facultas moralis, cum ad ethicam spectet; est enim potestas conformis fini ultimo entis rationalis, et proinde conformis eius naturae complete inspectae, nec non rationi divinae, ideoque et rationi in genere, et humanae in specie, cum quaelibet ratio sit participatio rationis divinae; hinc conformis ordini a divina voluntate statuto, et proinde legi aeternae Dei; hinc et naturali legi quae est participatio aeternae legis Dei.

3. Ex his patet ius proxime ad actiones nostras referri, remote autem extendi ad earumdem obiecta. Hinc aliquando ius sumitur etiam pro *eo quod nobis debitum est*. Sic dicimus: « Ius suum cuique tribuito » ut habet Gregorius IX in proœmio Decretalium Const. *Rex pacificus*; quae usurpatio obiectiva vel materialis dici posset.

4. II. Ius sumitur efficienter, et sic est ipsa lex moralis a qua facultas moralis seu ius subiective sumptum emanat aut sancitur, iuxta quod agitur de lege naturali, aut de lege mere positiva, aut mixta; ex quo oritur iuris divisio in ius naturae et positivum (et proinde et mixtum); quod positivum est divinum vel humanum, et hoc ecclesiasticum vel civile pro diversa lege et auctoritate a qua dimanat vel sancitur; quae divisio trahi potest et ad ius subiective sumptum.

5. Diximus ius subiective acceptum emanare a lege; quod tamen non aufert actionum humanarum intrinsecam bonitatem aut malitiam; non enim omnis lex contingens est; imo prima fundamentalis, omnino necessaria est, utpote quae rerum essentias atque essentiales relationes sequitur et exprimit, ut num. 451 et seqq. exponetur. Hinc ius emanat a lege, quia saltem pro-

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

cedit a lege Dei aeterna, quae est ordinatio rerum omnium creandarum in Dei mente existens, ideoque complectitur directionem creaturarum omnium ad suum finem et relationes reciprocas ipsarum.

6. Non consideramus ius in significatione mere *legali*, qua indicatur quod est conforme legi humanae; nam ius publicum ecclesiasticum fundamentale, de quo agendum nobis est, non attendit leges humanas sed tantum divinam. De cetero cum lex humana non semper sit iusta, et proinde non semper sit vera lex, hinc quod est legale non semper est legittimum, quia etsi etymologice hae duae voces *legale* et *legittimum* idem significent, tamen ab usu receperunt valorem prorsus diversum.

II. *Quid sit ius publicum.*

7. Ut autem a definitione generica ad specificam transeamus, animadvertimus ius semper referri ad *personam*, et in prima acceptione sumptum, in persona semper residere tamquam in suo subiecto. Persona enim tantum capax est moralitatis et omnium elementorum moralium, ut iuris, obligationis, meriti, praemii, poenae, etc.

8. *Iuri* autem subiective inspecto, respondet *officium*, seu *obligatio* aut *necessitas moralis aliquid faciendi, omittendi aut praestandi*. Etenim lex moralis quae uni concedit facultatem aliquid agendi aut exigendi, necesse est, ne sibi contradicat, imponat caeteris necessitatem sese non opponendi huic facultati, vel etiam praestandi quod exigitur; seu notioni iuris correlativa est notio obligationis.

9. Ut tamen ius nostrum ceteros obliget, necesse est eis innotescat; iura autem quae nobis competunt ex

titulo omnibus communi aut notorio, merito praesumimus singulis nota; hinc iuste, quae ex eis nobis debita sunt, urgemus et exigimus. E contra si titulus iuris nostri specialis sit et non manifestus, oportet primo illum convenienter pandamus.

10. Hinc si ius nostrum non satis ceteris innotescere valeat, dicitur extrinsece imperfectum, et ceteri ab illo observando excusantur, ut si chirographum amisi in quo unice crediti mei probatio consistebat. Haec iuris imperfectio est per accidens, et ab ea considerandа praescindimus.

11. Sed adest et intrinseca iuris subiective inspecti imperfectio, ideoque iura, quamvis improprie, dividuntur in perfecta et imperfecta. Intrinsece perfectum est ius quod iustitiae innititur; imperfectum quod charitati. Quod ex iustitia nobis debitum est, vere exigere valemus, idest vi quoque coactiva mediante, regulariter publica in statu sociali, sed aliquando et privata. Si autem aliquid debitum nobis sit ex mera charitate, tunc quidem convenienter illud petendi inviolabilis nobis est facultas, non autem exigendi. Non enim quod ad nos pertinet petimus, sed quod alienum est ex humanitate imploramus. Hinc natura et definitio iuris subiective inspecti num. I. tradita, iuri tantum perfecto proprie competit, et nisi aliud moneamus, de de eo tantum nobis sermo erit.

12. Iamvero officium respondens aliorum iuri perfecto, dicitur iuridicum; ex iustitia quidem oritur. Officia autem charitatis vel virtutum monasticarum (prudentiae, temperantiae et fortitudinis) mere ethica seu moralia audiunt.

Tamen accedente legis positivae vel iudicis decreto, officium mere ethicum, iuridicum evadit, cum iustitiae saltem legali respondeat.

Haec distinctio officiorum in iuridica et mere ethica, forum humanum respicit; nam relate ad Deum omnia officia nostra, etiam charitatis in proximum, ex iustitia Deo debita sunt.

Officia tamen charitatis regulariter loquendo, quamdam indeterminationem praeseferunt et aliqualem libertatem moralem nobis relinquunt. Excepto enim casu evidentis extremae aut urgentis necessitatis cui alter satisfacere nequeat, nobis facultas est eligendi hunc indigentem potius quam alium cui succurramus. Cum enim ex una parte obligatio subveniendi miseris solidalis sit et ex alia nemo omnibus subvenire possit, cito enim vires deficerent, et insuper non semper evidens sit indigentium necessitas aut necessitatis quantitas, aut nostra facultas, regulariter nobis fas est, etiam coram Deo, eligere cui benefaciamus; multo magis id liberum est coram hominibus.

Hanc divisionem officiorum in iuridica et mere ethica, aliis verbis indicaverat et S. Thom. 2^a 2^{ae} qu. 89, a. un. « Est duplex debitum, scilicet morale et le-
« gale..... Debitum quidem legale est, ad quod red-
« dendum aliquis lege adstringitur, et tale debitum
« proprie attendit iustitia, quae est principalis vir-
« tus. Debitum autem morale est, quod aliquis debet
« ex honestate virtutis ».

13. Ex correlatione iuris et obligationis sequitur terminum obligationis esse personam, sicut subiectum iuris est persona. Quod si aliquando obligamur in usu rerum ratione carentium, hoc est respectu personae in cuius dominio sunt, vel saltem personae nostrae, cuius dignitatem laedimus si rebus abutimur, ut si ex feritate belluas occidamus.

Igitur subiectum iuris est semper persona, seu naturaliter loquendo, rationalis aliqua natura subsistens.

14. Est enim philosophis persona: *rationalis naturae individua substantia*, idest, sui iuris et alteri incommunicabilis, seu intrinsece independens in operando. Iuristis autem persona generice est subiectum capax iuris. Iamvero philosophis et christianis quaelibet persona in sensu metaphysico, est quoque persona in sensu iuridico generico; saltem enim habet iura naturae; sed non ita erat iuristis paganis; etenim servus nullius iuris proprii subiectum habebatur.

15. Cum sensu iuridico persona sit subiectum capax iuris, sequitur aliam esse *veram* aliam *fictitiam*; vera autem alia est *physica* alia *moralis*. Persona *physica* illa eadem est quae sensu metaphysico, idest quilibet homo; dicitur etiam persona naturalis. *Moralis* autem est plurium hominum societas subiectum iuris existens.

16. Societas autem definitur: « *Plurium hominum unio ad bonum commune communibus mediis consequendum* ». Si mero animi affectu consistat, dicitur amicalis vel simpliciter moralis; si iuris vinculo, idest lege aut pacto, dicitur iuridica. Nobis de hac tantum sermo est.

17. Dupliciter autem contingit societatem esse subiectum iuris, vel quatenus ius societatis subsistit distinctum a iuribus singulorum, vel quatenus est tantum summa iurium quae singulorum sunt propria, quaeque singulorum nomine in communi exercentur. Primum habetur ex. gr. in Parochia, Civitate, Monasterio; alterum in societate privata commercii. In primo casu habetur proprie dicta persona moralis quae et *corpus morale* dicitur; in secundo habetur imperfectior moralis unio, et persona quae melius collectiva dicitur.

18. Sed ad prospiciendum diversorum generum indigentiis, hominum facto eriguntur aliquando in-

stituta, quibus capacitas iurium tribuitur; huiusmodi sunt domus hospitales, studiorum gymnasia et similia.

Cum recognoscantur ut totidem subiecta iuris, concipiuntur ad modum personae seu habent personalitatem quidem iuridicam sed fictitiam, quia pacto vel lege positiva, ideoque fictione iuris, constitutam; non enim ex veris personis proprie constant. Sunt tamen in gratiam verarum personarum condita quia ad bonum hominum ordinata. A suis igitur institutoribus personalitatem iuridicam participant. Hae institutiones sunt proinde vera *entia moralia*, quia entitatem habent moralem et iuridicam. Iure canonico et romano vocantur *causae piae*.

Ex quo patet dari posse et personam iuridicam *mixtam* si veritas et fictio coniungantur.

19. Sed persona est *perfecta* vel *imperfecta*. *Perfecta*, *si est in proprio ordine sibi sufficiens et independens* et proinde plene sui iuris; dicitur in proprio ordine, quia solus Deus est simpliciter independens. E contra persona *imperfecta* est quae neque in suo ordine est sibi sufficiens et plene sui iuris.

20. Notandum autem nullam personam physicam esse perfectam, quia est per accidens si sit extrasocialis et proinde de facto independens, cum a natura ordinetur ad societatem civilem pro fine naturae, et pro fine supernaturali ordinetur ex facto Dei ad Ecclesiam. Hinc perfectio iuridica tantum in societate haberi potest, sed non semper habetur; quando autem id fiat, videbimus infra num. 60.

His positis deduci potest differentia inter ius publiblicum et privatum.

21. Et I. animadvertimus in societate personam sumi restrictive, idest pro subiecto iuris quatenus membrum est illius specificae societatis; hinc cum inter christia-

nos semper agnoscantur iura naturae, quisque semper est persona simpliciter sumpta, sed non specifice, quia non semper pertinet ad societatem de qua agitur, ideoque non participat iuribus specialibus eiusdem, ex. gr. Ecclesiae.

22. II. Animadvertimus ius personarum imperfectarum etsi sint morales, dici proprie privatum, quamvis sit commune inter socios; publicum enim proprie dicitur quod ad societatem perfectam spectat.

23. III. Ius *privatum* est quo gaudent singulae personae adsociatae imperfectae, sive physicae sive morales, in ordine ad participationem finis socialis, quatenus hic est bonum singulorum; finis enim societatis proximus est bonum ipsius adsociationis, quod est medium pro bono singulorum, sed indeterminate; nec enim societas respicit praecise ad hunc vel illum individuum, quamvis agat ut tandem habeatur bonum individuorum; hinc bonum singulorum indeterminate est finis socialis remotus; finis autem singulorum est bonum proprium determinate; ex. gr. in societate civili ius privatum est quod ad felicitatem temporalem cuiuslibet pertinet, quae felicitas est finis societatis; sed aliquando felicitas temporalis privatorum sacrificanda est publicae felicitati, seu felicitati societatis ipsius. E contra ius publicum est ius quo gaudet ipsa societas perfecta, seu persona moralis perfecta; ergo eius subiectum non sunt personae imperfectae, neque eius finis est directe bonum earumdem, sed subiectum est ipsa persona moralis perfecta, et finis bonum commune. Sic explicavimus ius publicum et privatum subiective sumptum.

24. Sed potest ius considerari efficienter, seu pro lege; et tunc publicum est: *Complexus legum determinantium iura et officia societatis perfectae.* Fit men-

tio et officiorum, quia eadem lex iura et obligationes imponit. Privatum est: *Complexus legum quas societas perfecta proponit vel constituit pro regimine suorum, idest ut socios ad finem societatis proprium ducat.*

III. *Quid sit ius publicum ecclesiasticum.*

25. Ex his facile apparet quid sit ius publicum ecclesiasticum; cum enim Ecclesia sit perfecta societas, ut suo loco ostendetur, ius publicum ecclesiasticum subiective et formaliter sumptum, est ius competens Ecclesiae ut societati perfectae.

Animadvertimus, cum iam definiverimus quid sit ius in genere, posse in definitionibus specificis eidem subordinatis, uti voce generica iuris, brevitatis causa, quin peccemus in regulas logicas iubentes definitum in definitione includi non oportere; quod semel pro semper dixisse sufficiat.

26. Ius autem Ecclesiae publicum dividitur in divinum et humanum, prout lege divina vel facto humano constitutum est. Illud dicitur quoque ius publicum essentiale, fundamentale, primarium, originarium, nativum; et in praesenti providentiae ordine est immutabile, sicut ipsa novi Testamenti oeconomia. Eidem autem innituntur quae factis humanis legitimis superinduci valent. Quod contingit vel facto unius Ecclesiae, vel Ecclesiae simul et societatis civilis. Unius Ecclesiae, ut cum suprema potestas diversimode participat suam auctoritatem. Ita diversa fuit pro temporum diversitate potestas metropolitarum, primatum, patriarcharum, conciliorum provincialium. Facto Ecclesiae et societatis civilis, ut praesertim fit in concordatis aut in iis quae moribus populorum, consentiente Ecclesia introducuntur. Nos autem agimus de iure publico Ecclesiae essentiali et divino, quod proinde

subiective inspectum, definiri potest: *Ius ex divina lege competens Ecclesiae ut societati perfectae.*

27. Definito quolibet obiecto, definiri potest scientia eiusdem; sufficit genus proximum scientiae ipsius in definitione ponere, et definitionem obiecti, quae constituit differentiam specificam scientiae ipsius. Igitur scientia iuris publici ecclesiastici divini est *scientia iuris competentis Ecclesiae tanquam perfectae societati ex divina eius institutione.* Scimus quid sit scientia, quid ius; per ea verba « ex divina institutione » satis innuitur principium formale huius scientiae, idest ex divina revelatione esse hauriendam.

28. Ut enim genus proximum scientiae exprimatur, necesse est lumen indicare sub quo scientia conficitur, idest principium formale. Iamvero cum Ecclesia sit institutionis positivae et supernaturalis, ideoque existat quia Christus Dominus voluit, et eo modo existat quo voluit, et proinde iis iuribus instructa quae eidem supremus rerum omnium Dominus concessit, apparet fontem huius scientiae esse revelationem. Sed quoniam revelatio non destruit ius naturae sed illud firmat et perficit, hinc saepius et ad naturalis rationis principia sub custodia divinae revelationis investigata recurritur si materia patiatur ipsorum applicationem. — Igitur duo prae oculis semper habenda sunt: I. divinam revelationem esse basim iuris nostri, eique obsisti non posse, ideoque ex ea arguendam esse divinam voluntatem, non autem a priori. II. Ipsa principia rationis non aliter esse interpretanda ac revelatio probaverit; hinc cum sensus divinae revelationis clarus est, frustra ex praetensis rationis naturalis principiis in contrarium argui.

Evenit in scientia nostra quod et in theologia praesertim morali; si enim scientia theologica est, proprie

eius fons est revelatio, ideoque remote verbum Dei scriptum et traditum; proxime Ecclesiae magisterium hoc verbum Dei infallibiliter proponentis, interpretantis, applicantis. Verum revelatio approbat, proponit et perficit ipsa principia naturalis honestatis, ideoque saepe recurritur ad lumen rectae rationis, sed sub custodia revelationis. Ita in re nostra. — Hinc apparet causam ultimam errorum omnium in re nostra esse incredulitatem, quia nempe non creditur Ecclesiae de se loquenti, sed aliunde eius natura et iura deducuntur, ideoque contradicitur eius assertioni, quae habetur ut praetensio et abusus.

29. Efficienter autem consideratum, hoc ius publicum ecclesiasticum essentiale, est: *Systema legum divinarum determinantium iura et officia Ecclesiae tamquam perfectae societatis.*

30. Ius privatum ecclesiasticum, quod considerari solet efficienter, seu sumi pro lege est: *Systema (seu complexus) legum quas ecclesiastica potestas proponit vel constituit pro regimine plebis christianae in finem Ecclesiae proprium, seu pro regimine societatis spiritualis et supernaturalis.*

31. Ad iuris publici ecclesiastici fundamentalis disciplinam spectat etiam ostendere quomodo et ius publicum humanum legittime superinduci valeat, non autem quodnam superinductum sit. Hinc nostrum erit ostendere quoad ius internum, quaenam suprema auctoritas possit sibi reservare, communicare aut delegare, salvo iure divino, non autem quaenam singulis aetatibus sibi reservaverit, communicaverit aut delegaverit. Tamen aliquando necessarium vel utile est, ad ius ipsum determinandum, aliqua de historia attingere, ea praesertim quae exercitio iuris Ecclesiae occasionem praebuere. Quid autem nunc vigeat, potius

simul cum iure privatur traditur, cum ad competentiam magistratuum ecclesiasticorum determinandam necessarium sit, ut sciamus quaenam leges particulares sint validae, et quaenam iudicia ac sententiae. Hinc ius privatum auctum iure publico ecclesiasticae originis, dici solet simpliciter ius canonicum, postquam inducta est specialis disciplina pro iure Ecclesiae publico divinae originis. Sic una traditur legislatio ab Ecclesia procedens, atque canone mere disciplinari et proinde mutabili constituta. Quamvis enim et ius privatum quasdam contineat leges divinas, potior tamen pars est mere ecclesiastica, et ab eo quod principale est, quaelibet res denominatur.

Item ad ius nostrum spectat in aperto ponere potestatem Ecclesiae leges concordatas condendi, non autem exponere quaenam conditae sint aut adhuc vigeant; hoc enim ad diplomatiam ecclesiasticam spectat, etsi aliquando et in hac re ad historicam declarationem utiliter recurratur.

Pariter cum nobis tradendae sint institutiones iuris publici, hinc principia generalia quae illud determinant sunt exponenda; sed circa particularia obiecta, innumerae moveri possunt quaestiones, quae ex principiis generalibus recte applicatis resolvuntur, quin in institutionibus possibile sit singulas commemorare, sicut fit et in institutionibus theologiae moralis; hinc plures quaestiones vel ab historicis attinguntur, vel ab Ecclesiae apologistis pro temporum necessitate, et insignes de singulis materiis disquisitiones inveniuntur.

Item notandum est nos exponere ius Ecclesiae, non autem oeconomiam publicam, quae partem prudentialem exercendi hoc ius respicit.

32. His positis expendere possumus nonnullas alias ex celebrioribus iuris publici definitionibus. Quidam

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

dixerunt ius publicum exponere iura et officia magistratuum, privatum iura et officia populi.

Sed quamvis iura et officia magistratuum vere ad ius publicum spectent, tamen etiam quaedam officia populi spectant ad ius publicum; imo in re civili et quaedam iura populi ad ius publicum referuntur. Nam constitutio societatis ob quam determinatur forma regiminis eiusdem, certissime pertinet ad ius publicum et ex ea officia vel etiam iura in populo derivant. Hinc in iure publico non statim agendum est de iuribus et officiis magistratuum et populi, sed primo de iure ipsi societati per modum unius consideratae competenti; postea de subiecto publicae potestatis, ut sic pateat quid ad rectores, quid ad populum spectet vi constitutionis socialis; ita in re nostra completur ius originarium ecclesiasticam societatem constituens, et ei succedere valet ius ab Ecclesia constitutum.

33. II.ª sententia circa iuris publici ecclesiastici notionem, exemplum sumit a iure naturae, quod quoque distinguitur in publicum et privatum; in privato, determinata moralitatis notione, considerantur actus humani in se, et hominis iura et officia statuuntur praescindendo an sit civis subditus vel princeps. E contra in iure publico, statuuntur iura et officia hominis praecise quatenus est subditus vel princeps. — Ita in legislatione ecclesiastica possunt attendi iura et officia christianorum quatenus christiani sunt, et sic habetur ius privatum; vel, determinata regiminis forma a Christo statuta, inquiri valent iura et officia christianorum quatenus praecise sunt magistratus Ecclesiae vel subditi, et sic habetur ius publicum.

Verum haec sententia quamvis melior ac antecedens, in eo tamen peccat quod non incipit a considerandis iuribus ipsius Ecclesiae quatenus societas perfecta est,

antequam praecise pandat iura et officia specialia pastorum et communia fidelium.

34. III.ª sententia est Iustiniani qui in Instit. tit. I. ait « huius studii (iuris civilis) duae sunt positiones, » publicum et privatum; publicum ad statum rei roma» nae pertinet, privatum ad singulorum utilitatem ». A pari in iure ecclesiastico. Hinc ad publicum spectat generalis oeconomia ipsius societatis quae eam quatenus societas est, considerat, eiusque relationes exteriores; ad privatum quae ad bonum singulorum referuntur.

Haec quidem sententia optima est, et ab ea, nostra desumpta fuit, ut clarius eadem proponeretur notio.

35. IV.ª sententia est Francisci Schmier qui in opere *Ius Can. Universum*, *Avenioni 1738*, distinxit inter ius *constituens* societatem et ius *constitutum* a societate: 1.um determinat potestatem socialis auctoritatis; 2.um leges ab ipsa latas; primum est publicum, alterum privatum. — Haec sententia quatenus exhibet ius constituens societatem, exprimit naturam iuris pnblici divini: sed quatenus exhibet ius ab Ecclesia constitutum, exprimit non modo partem praecipuam iuris privati sed et ius publicum ecclesiasticum originis humanae, quod etsi ab Ecclesia constitutum, tendit tamen ad eam melius constituendam.

36. Distinctionem inter ius publicum et privatum ecclesiasticum reiecit Georgius Phillips vir ceteroquin egregius, qui in universitate vindobonensi professor decessit an. 1866. In opere germanico cuius extat versio gallica, *ius ecclesiasticum in suis principiis inspectum* § III. reiicit hanc divisionem pluribus de causis; tum 1. quia a iure romano derivata est; tum 2. quia ius privatum subordinatum est iuri status civilis; nullum autem ius Ecclesiae est statui subordinatum; tum 3. quia affirmat hanc divisionem supponere duplex ius

Ecclesiae existere, quorum primum moderetur relationes fidelium inter se, et alterum a primo differens quod moderetur fideles simul sumptos, cum, ut ipse ait, scopus Ecclesiae sit semper docere, sanctificare et regere in ordine ad vitam aeternam. — Sed 1.ª ratio non concludit; multa enim optima sunt in iure romano; neque 2.ª quia statui civili subordinatur ius privatum civile, non autem ecclesiasticum. Quoad 3um conceptus divisionis iuris ecclesiastici non ille est qui a Phillips traditur, ut ex dictis apparet; non enim duplex est ius Ecclesiae, privatum et publicum, quasi duplex esset finis et duplex norma legislationis ecclesiasticae; hinc subiective semper eadem conscientia individui et Ecclesiae est unica norma actionis, et est error vere reprehensibilis illorum qui alia docent licere privatim et alia publice; ex. gr. a privato esse religionem promovendam, sed quatenus est persona publica, praescindere debere a qualibet religione. Verum divisio iuris in publicum et privatum est desumpta ab obiecto in quod cadit facultas moralis agendi.

37. Tamen notandum est haec duo iura etsi distincta, esse connexa; etenim ius privatum supponit ius publicum; neque enim leges iustas cognoscimus, nisi competentiam legislatoris circa subiectum et obiectum potestatis dignoscamus. Hinc est et tractatores iuris privati, seu canonici, plura in mentem revocare praesertim de subiecto potestatis ecclesiasticae, et defendentes singula legum genera ab impugnationibus heterodoxorum aut neotericorum saepe in questionibus publici iuris circa competentiam Ecclesiae seu circa obiectum legislationis ingredi; hinc et nos in eo melius plures speciales quaestiones iuris publici prosequimur. Discrimen tamen est quod hi per accidens, et data occasione, haec exponunt; e contra in iure pu-

blico ex professo et ex ordine; hinc est etiam priorem disciplinam melius et communius dici ius canonicum, quam privatum, quia omnia comprehendit quae canone lata sunt.

38. Hinc differentia inter ius publicum et privatum est duplex, nempe ex parte obiecti et fontis. Exposuimus quae ex parte obiecti. Ex parte fontis, quia ius publicum innititur revelationi, et quamvis ab Ecclesia proponatur, tamen est ab ea ut a magistra, non ut a legislatrice; e contra privatum innititur auctoritati Ecclesiae, et ab ea proponitur ut legislatrice, idest ipsum condit; et quando etiam proponit ius sive naturale sive positivum, idem facit ecclesiasticum quatenus ecclesiastica sanctione munit, quo sub respectu sancit et ius publicum; sed tunc eius lex non fertur in ipsum ius publicum, sed in eos qui illud violant.

§. 2.

DIVISIONES IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI DIVINI.

39. Ius publicum inspecto termino quem sibi obligat dividitur in internum et externum; nam potestas societatis perfectae vel refertur ad suos, vel ad extraneos. Verum plura consideranda sunt.

I. Possumus inspicere ipsam societatem per modum unius, seu ipsam personam moralem perfectam, quoad ius seu potestatem qua pollet in ordine ad finem suum, ex qua potestate primo fluunt iura societatis erga suos.

II. Possumus evolvere relationes iuridicas societatis perfectae erga alias societates perfectas: diximus perfectas; etenim imperfectae vel sunt subalternae societatis de qua agitur, ex. gr. dioecesis relate ad Ecclesiam universalem, provincia relate ad regnum, et tunc ipsarum relationes considerantur in iure interno; vel sunt heterogeneae, ex. gr. provincia civilis relate ad

Ecclesiam, dioecesis relate ad regnum; et tunc referuntur ad societatem perfectam heterogeneam mediante societate perfecta cuius sunt subalternae, ex. gr. dioecesis mediante Ecclesia universali refertur ad regnum.

III. Inspici potest interna constitutio huius personae perfectae; quomodo nempe personae morales imperfectae vel physicae participent exercitio huius iuris; etsi enim ius competat in bonum integrae societatis, et hoc sub respectu sit integrae societatis per modum unius, tamen subiectum ut ita dicam inhaesionis potest esse aut persona physica, aut persona moralis inadaequate distincta ab ipsa societate, quae quatenus est pars societatis et iura possidet in eius bonum, est imperfecta, sed quatenus exclusive possidet ius dirigendi societatem ad finem suum, dici posset subiectum iuris personae perfectae. Haec pars igitur determinat relationes personarum quae sunt pars ad totum, et personarum imperfectarum ad subiectum potestatis publicae, et huius iura relate ad personas sive physicas sive morales quae sunt pars.

Prima et tertia pars constituunt ius publicum internum; secunda externum, et a prima derivat; adscribitur prima iuri interno, quia respicit societatem directe quoad finem suum, et per consequens primario quoad potestatem in suos. Tertia autem pars quae de interna constitutione seu organizatione societatis agit, dici posset ius internum magis coacrtata significatione.

§ 3.

DIFFERENTIA IURIS PUBLICI ECCLESIASTICI CUM AFFINIBUS DISCIPLINIS.

40. Scientiae differunt vel ex parte obiecti, vel fontis, vel utriusque. Iamvero fons theologiae et iuris

publici ecclesiastici est idem seu revelatio; ergo restat differant ratione obiecti; sed necesse non est ut obiectum duarum scientiarum sit materialiter diversum; sufficit sit formaliter; hinc potest idem obiectum considerari a pluribus scientiis diverso sub respectu; id fit in re nostra; etenim quaenam sit natura et quaenam iura Ecclesiae docet theologia dogmatica; de eisdem agit et theologia moralis, et tandem ius publicum ecclesiasticum; sed differentia est in modo, quae pendet a diversitate scopi; hinc diversitas respectus sub quo idem obiectum consideratur, et proinde extensionis qua de eo agitur.

41. Theologia enim dogmatica proponit quae revelata sunt quatenus sunt fide credenda; speculative igitur de iis agit; e contra theologia moralis agit de iisdem ex fine practico; ut nempe actio conformetur fidei; et tamen quae ex revelatione tradit theologia moralis sunt et fide credenda; dicimus ex revelatione, quia quaedam deducit ex auctoritate Ecclesiae; sed haec sunt secundaria et non sunt communia dogmaticae et morali; hinc ab iis praescindimus. Non ergo distinguitur moralis a dogmatica quasi veritates morales non essent credendae, sed quia ideo proponit credenda ut eadem operemur; hinc principia revelata evolvit sub respectu practico, et applicat ad humanas actiones; e contra pars dogmatica ea considerat sub respectu mere speculativo. Ergo ex diversitate finis desumitur an aliqua revelata veritas sit obiectum theologiae dogmaticae vel moralis; et quod de veritatibus revelatis dicimus, intelligatur etiam de veritatibus caeteris ad quas extenditur magisterium Ecclesiae. Item ex diversitate finis desumitur diversus respectus et extensio, qua de eadem veritate pertractatur, ex. gr. de sacramentis.

42. Iamvero theologia moralis considerat veritates revelatas sub adspectu practico sed privato, et quidem pro interna sanctificatione individuorum. Sed possunt etiam considerari in ordine ad regimen sociale Ecclesiae, et tunc proponuntur a iure ecclesiastico privato seu iure canonico; vel prout referuntur ad operationem politicam Ecclesiae seu ad eius operationem quatenus est societas perfecta, et tunc spectant ad ius publicum ecclesiasticum, ex diverso fine adaequato, et proinde diverso sub respectu; tamen quaedam necessario communia sunt, nec limites semper exacte adsignari possunt.

43. Si autem subordinationem quaeramus, theologia dogmatica praecedit et supponitur a iure publico ecclesiastico; etenim sicut intellectus speculativus extensione fit practicus, et veritates speculativae de Ecclesia, si extendantur fiunt practicae, ideoque extensio dogmaticarum veritatum, dat ius publicum ecclesiasticum. Hinc ius est scientia secundaria respectu dogmaticae theologiae; hinc sua principia non demonstrat, sed desumit ex dogmatica; tantum ea illustrat sub eo respectu, quo ad eius finem referuntur, eaque, ut ita dicam, flectit ad suum scopum.

44. Ex quo sequitur et differentia qua ecclesiasticis definitionibus et verbo Dei scripto et tradito, utimur in iure publico et in theologia dogmatica. In hac enim adversus haereticos demostranda est veritas catholicae doctrinae et catholicae verbi Dei interpretationis ex fontibus propriis. E contra in iure publico, ecclesiasticae definitiones adsumuntur ut principia, et verbum Dei adsumitur iuxta eum sensum qui in Ecclesia receptus est. Quibus catholicis veritatibus suppositis quaeritur quid iuris, et difficultates ex natura rei, si quae sunt, dissolvuntur. — Hoc de rigore methodi

scientificae: in facto tamen, quasdam fundamentalissimas veritates dogmaticas quae principia maxima iuris publici suppeditant, ad maiorem utilitatem, iuristae non tam desumunt ex libris theologicis, quam ex professo demonstrant, ex. gr. Ecclesiam esse societatem perfectam, utique afferendo theologica dogmatica argumenta, sed non tam insistendo in positivis allegationibus sacrarum litterarum et traditionis, quam in theologicis rationibus, illud insuper addendo ut cum principiis iuris naturalis dogmaticas revelatas veritates conferant et ex iisdem quantum fieri potest, illustrent; quod semper in iure publico servatur.

Relationes autem iuris publici ecclesiastici cum theologia morali, minus proximae sunt, cum, exceptis generalissimis honestatis principiis, ex. gr. Deo praecipienti obediendum esse, relationes iuris publici ecclesiastici cum veritatibus propriis theologiae moralis sint minus arctae.

45. Cum autem saepius dimicandum cum iis sit, qui non acquiescunt Ecclesiae magisterio, ac theologicis argumentationibus, ex. gr. cum rationalistis, tunc iura Ecclesiae defendenda sunt, in quantum fieri potest, ex iis principiis iuris naturalis quae admittunt vel admittere debent et adversarii; imo aliquando ad hominem; idest ex principiis adversariorum, aliquando non omni ex parte veris, sed Ecclesiae minus noxiis, ut si ex principio libertatis adsociationis quae aliquando propugnatur nimis amplis limitibus, deducamus eam et ordinibus religiosis concedendam esse, ideoque non posse absque flagranti contradictione eisdem negari quod publicis perturbatoribus conceditur.

Haec tamen defensio quae fit ad hominem, aut ex meris principiis iuris naturalis, est necessario imperfecta, cum Ecclesiam non consideret prout est, seu

ut societatem perfectam divinitus institutam; hinc est tantum defensio quaedam secundaria et subsidiaria, sed saepe in praxi magis utilis quam discussio theologica; illam enim audiunt et qui hanc reiiciunt, adeoque ex ea aliquid concedunt, et qui ex hac omnia negarent.

§ 4.

ORDO TRACTATIONIS.

46. Tractatum dividimus in duas partes, generalem et specialem: prima determinat fundamentalia principia iuris publici ecclesiastici divini; secunda eadem principia evolvit et applicat praecipuis quaestionibus, praesertim in historia celebrioribus.

Quaestiones generales a specialibus secernere opportunum visum est ratione methodi, cum illae secundis intermixtae retardent theoricae expeditam evolutionem, confusionemque pariant; item saepius ob relationum pluralitatem multa principia subaudiunt quae aliquando expleta tantum generali tractatione innotescunt; ac tandem particularium quaestionum determinatus numerus non est, et interdum non eae exponendae sunt quae iuxta scientificam praestantiam potiores essent, sed quae temporum opportunitas indigitat.

Rursus primam partem dividimus in libros duos; in primo sermo est de potestate Ecclesiae competente, ex divina institutione primum, dein de ea quae ei competere potest ex titulo acquisito; hinc considerat ius Ecclesiae tum in communi, tum praecise prout est externum; in 2. agitur de subiecto potestatis ecclesiasticae seu de eius constitutione, stricte sumpta, idest de iure publico Ecclesiae praecise prout est internum.

PARS PRIMA GENERALIS

LIBER PRIMUS

DE ECCLESIAE CHRISTI POTESTATE IN SE SPECTATA.

§ 1.

FINIS ECCLESIAE REMOTUS ET PROXIMUS.

47. Societatis cuiusque essentialis potestas ex fine eiusdem determinatur; iamvero finis Ecclesiae remotus est salus hominum aeterna; proximus est animarum sanctificatio; haec autem habetur per gratiam sanctificantem quae a Deo infunditur, ordinario per sacramenta, et ex ipsius hominis cooperatione, quae per fidem et operas bonas fit; homo enim adultus excitatus et adiutus gratia actuali praeparatur ad gratiam sanctificantem recipiendam aut ad eam conservandam augendamque cooperatur.

§ 2.

POTESTAS ORDINIS IURISDICTIONIS ET MAGISTERII.

48. Ecclesiae autem commissa est tum potestas conficiendi et administrandi sacramenta et sacramentalia, tum homines regendi in fide et moribus; hinc duplex potestas, ordinis et iurisdictionis. Potestatem ordinis, nonnulli praesertim Germani, vocant etiam potestatem

ministerii. Phillips cit. op. *Principia iuris canonici* § XXXII et alibi recenset et potestatem magisterii; sed haec non est distincta a potestate iurisdictionis; magisterium enim vel est mere doctrinale vel auctoritativum; primum nullum ius tribuit (etsi aliquando per accidens imponat ceteris officium; qui enim ad aliquem finem tenetur, tenetur et ad media; quae si nesciat sibi per se comparare, tenetur per alios ideoque et per doctiores).

Magisterium autem auctoritativum, est pars iurisdictionis. Iurisdictio enim proprie est publica potestas gubernativa personarum; seu potestas dirigendi socios ad finem ipsorum.

Iamvero ius docendi est utique ius in personam; gubernat enim voluntatem, et si est infallibile, gubernat et mentem et est in eius utilitatem; ergo pertinet ad potestatem iurisdictionis. Verum aliquando iurisdictio sumitur latiori sensu prout excludit magisterium infallibile, et est potestas regendi homines in suis actibus externis, ad finem communem, et sic communis est cuilibet perfectae societati. Ecclesia quatenus infallibilis directe gubernat mentem, quatenus societas exterior gubernat externam fidei professionem, sed ex infallibilitate pendet intensitas et extensio huius exterioris gubernationis fidei.

49. Potestas ordinis dividitur in eam quae est ordinis iuris divini et in eam quae iuris ecclesiastici; illa est potestas conficiendi et administrandi sacramenta, haec sacramentalia; illa fundamentalis est et essentialis, haec secundaria et accessoria. Potestas ordinis confertur per ritum sacrum et proinde non est delegabilis et est indelebilis; e contra potestas iurisdictionis confertur per legittimam missionem et subditorum adsignationem, ab eo factam cui ius est; proinde de se delega-

bilis est; qui enim pollet iure regendi, ex rei natura valet id praestare tum immediate, tum mediate, idest per se vel per alios, nisi lege vel praecepto superioris prohibeatur. Est pariter revocabilis, cum revocabilis sit missio et subditorum adsignatio; non enim procedit a charactere sacramentali indelebili.

Potestas autem ordinis iuris ecclesiastici, imitatur naturam potestatis ordinis iuris divini, ad cuius similitudinem ab Ecclesia instituta est.

In iure publico ecclesiastico agitur de potestate iurisdictionis et non de potestate ordinis, quam nemo unquam Ecclesiae denegavit ex iis qui aliqualem saltem eius divinam naturam agnoverunt, et nullum ex guberniis sibi vindicavit. — Tamen exercitium potestatis ordinis cadit sub potestate iurisdictionis; et hoc sub respectu sub ea comprehenditur.

50. Cum Ecclesia sit societas perfecta, ei competunt quae propria sunt cuiuslibet societatis perfectae, seu quae ex genere derivant; et deinde cum Ecclesia sit a ceteris specie distincta, competunt ei quaedam propria seu specifica. Prius exponemus quae sunt generica et communia. Cuilibet autem perfectae societati quaedam competunt erga suos et quaedam erga alias societates, tum vere perfectas tum putative; et ex his quaedam ex sui natura, ideoque intrinseca sunt et alia ex facto contingenti. Circa quae, ut monuimus, ad disciplinam nostram pertinet, non ostendere quaenam de facto in Ecclesia vigeant, sed quomodo possint legittime oriri.

Igitur totidem capitibus agemus:

I. De potestate societatis perfectae in genere.

II. Ostendemus Ecclesiam esse societatem perfectam.

III. Ecclesiae relationes iuridicas cum societate civili exponemus.

IV. Eiusdem Ecclesiae iuridicas relationes cum aliis societatibus religiosis.

V. Status civilis relationes iuridicas cum religiosis sectis.

VI. De concordatis inter Ecclesiam et statum.

CAPUT I.

DE POTESTATE SOCIETATIS PERFECTAE IN GENERE.

Todidem articulis, agemus I. de humanae societatis analysi et divisionibus; 2. de potestate societatis perfectae in suos; 3. de relationibus iuridicis societatum perfectarum.

ARTICULUS I.

Societatis humanae analysis et divisiones.

51. Praemittimus societatis humanae analysim eiusque divisiones praecipuas, ut notio generica societatis satis innotescat et ut diversas species inter se comparare valeamus; in decursu enim tractationis praesertim comparabimus inter se societatem ecclesiasticam et civilem, et hanc cum familiari, quia hae sunt tres societates praecipuae et necessariae, et ex mutua comparatione melius innotescit et natura Ecclesiae.

Primo quaeritur quid sit societas, et quidem ut ad scopum nostrum accedamus, quid sit societas humana; nihil enim iuvat de societate in genere loqui, cuius conceptus ad spiritus quoque puros traduci possit, quorum et incompletissimam ideam habemus, ita ut

quomodo ad invicem iuvari possint vix intelligamus. Est igitur societas humana *congregatio hominum ad eumdem finem communibus mediis consequendum* (1).

52. In definitione praescinditur an necessitate vel libertate coeant homines, idest iure cogente vel non; in iure enim agitur tantum de necessitate et libertate iuridica non de physica, nisi aliud clare exprimatur; et optime dicitur nos agere de libertate iuridica, seu quae nullo iure cogitur, non autem de libertate morali, cum aliquando aliquod officium mere conscientiae, possit cogere ad ea ad quae ius seu lex socialiter non cogit. In 1. casu societas est voluntaria, ut societas scientifica, commercialis etc.; in 2. est necessaria; cum autem est necessaria, tunc et finis non eligitur a sociis, sed proponitur a iure praevalente.

Ius praevalens generice sumptum, est ius alicuius alios sibi obligans, pari iure non praeditos; speciali autem modo significat legem sive naturalem sive positivam.

53. Ex definitione societatis eruitur eius analysis et ad eam habendam apparet quatuor requiri, idest 1. *hominum pluralitatem*; 2. *unitatem;* 3. *finem;* 4. *media.*

1. *Hominum pluralitas.* 2. Unitas seu *moralis coniunctio* inter hos homines, quae consistit in conspiratione ad eundem finem, et habetur cognitione et appetitione; hinc est societatem propriam esse tantum entium intelligentium; etenim cognitio finis communis prout talis est et eius appetitio, continet cognitionem quandam abstractam et reflexam, ideoque praeter-sensibilem ; bruta enim possunt tendere ad id

(1) V. praeclarum opus Iuris publici naturalis Alexandri Biondi, Romae, an. 1859, in quo humanae societatis natura optime exponitur.

quod est finis, sed non illud agnoscunt ut tale; item possunt simul tendere ad idem, sed non cognoscunt hanc communitatem finis, cum id rursus importet cognitionem abstractam et reflexam. Ergo tantum improprie societas praedicatur de brutis; requirit enim capacitatem conspirationis mentis et voluntatis. Iamvero haec conspiratio vel est ex mero affectu vel ex aliqua obligatione, sive obligatio procedat a iure praevalente sive a pacto; in 1. casu habetur societas mere *amicalis*, seu unio mere moralis, de qua nobis sermo non est; etsi enim et ipsi sint suae sanctissimae leges, sunt iura imperfecta et obligationes mere ethicae, et non extenditur ad ius publicum; in 2. casu est *iuridica*, et est *necessaria* vel *voluntaria* prout ex necessitate aut voluntate contracta est.

54. 3. *Unitas finis;* haec unitas tamen esse potest collectiva, ex. gr. felicitas temporalis ex pluribus resultat etiam separabilibus. Si finis sociorum esset disparatus, ipsi non tenderent ad idem, ideoque neque extaret inter eos conspiratio seu vinculum quoddam morale, et deficeret moralis coniunctio. Est autem finis illud quod primo unitatem tribuit multitudini hominum; finis enim est id cuius gratia aliquid fit, et proinde illud est quod ipsam multitudinem adunat in coniunctionem moralem, et movet appetitum. Finis autem hic oportet sit bonum aliquo saltem modo commune sociis; secus non esset societas sed servitus obnoxia, seu proprie dicta; in servitute enim societatis mere herilis, adhuc adest bonum commune, cum ex contractu detur servo compensatio ad tramitem iustitiae. Oportet autem finis sit honestus; secus societas non est coniunctio moralis sed iniqua, quae nullo vinculo iuris subsistit.

55. 4. *Communitas mediorum.* Et primo requiruntur media; secus non tenderent ad finem, sed illum vel

iam socii possiderent, ideoque non tenderent; vel nequirent consequi. Sed secundo oportet haec media sint *aliquo modo* communia; ideo enim plures uniuntur ut iuvamen habeant ex coniunctione; secus nulla esset unio, vel esset inefficax, idest in mera benevolentia consistens, et nos consideramus unionem efficacem, ex qua sola exurgere potest vinculum iuris; ut autem iuvamen reciprocum adsit, requiritur aliqua communio mediorum, si non semper materialis, saltem connexionis, ut Menenius Agrippa populo romano ostendit. Hinc conspiratio sociorum non modo est in unitate finis, sed etiam mediorum, ex quo fit efficax.

56. Iamvero hominum pluralitas seu multitudo dicitur etiam materia; finis constituit formam extrinsecam, quia sociis propositus determinat naturam huius moralis compositi.

57. Societas autem alia est *completa* et *perfecta*, alia *incompleta* et *imperfecta*. Generatim completa et perfecta habetur ut synonima denominatio, et proinde et incompleta atque imperfecta; sed pauci distinguunt; vocant completam societatem quae de universa hominis activitate disponit relate ad finem suum; incompletam quae tantum de parte: hinc completas tres habent, seu societatem domesticam, civilem, religiosam; siquidem homo integer ad unamquamque ex his concurrit; quaelibet proinde disponit de universa hominis activitate, sed sub suo tantum respectu; et quoniam respectus sunt diversi, ideo plures societates completae possibiles sunt. E contra societates incompletae disponunt de parte tantum activitatis nostrae; exemplo sint scientificae aut commerciales, ad quas viribus tantum animae vel corporis, vel aliqua tantum ex parte virium animae aut corporis concurritur. Perfectam autem dicunt societatem quae est in suo ordine sibi sufficiens

et independens; imperfectam quae non est sibi sufficiens, ideoque neque independens in suo ordine.

58. Iamvero observant id de domestica verificari; etenim familia etsi habeat finem suum proprium, nempe conservationem et evolutionem seu propagationem, et perfectionem personarum quae eam constituunt, ideoque disponat de ipsis personis et de integra ipsarum activitate, tamen non est sibi providendi sufficiens, ut ostendetur cap. 3. a. 1., ideoque natura ipsa ordinat familias ad societatem civilem ut tamquam partes constituant totum, servata utique autonomia aliqua, idest propria organizatione et sphaera competentiae propriae, sed sub vigilantia et protectione maioris societatis a qua completur et perficitur cum ab ea accipiat ea adiutoria ad sui conservationem et perfectionem, quae frustra quaerit separata (1).

59. Hinc melius et communiter societas completa et perfecta habentur ut unum et idem; quae adnotanda erant ne diversae acceptiones, confusionem parerent. Quod semel pro semper innuisse sufficiat, nempe vocabula plurima, a multis diversimode accipi, et etsi sit in nostra potestatate eligere eam quam meliorem

---

(1) S. Thomas I. 27. q. 90. a 3. ad 3. « ad tertium di-
« cendum quod sicut homo est pars domus, ita domus est
« pars civitatis; civitas autem est communitas perfecta, ut
« dicitur in I. Politicorum (cap. 1. et 2.). Et ideo sicut bo-
« num unius hominis non est ultimus finis, sed ad commune
« bonum ordinatur, ita etiam bonum unius domus ordinatur
« ad bonum unius civitatis, quae est communitas perfecta.
« Unde ille qui gubernat aliquam familiam, potest quidem
« facere aliqua praecepta vel statuta; non tamen quae proprie
« habeant rationem legis ». Et in cit. cap. I. Polit.: « Cum
« omnis communicatio hominum ordinetur ad aliquid neces-

existimamus significationem, tamen aliorum factum nequimus infectum facere, ideoque attendendae sunt diversae acceptiones, ne verborum inutiles concertationes fiant.

60. Igitur explicemus notionem societatis perfectae. Diximus esse sibi in suo ordine sufficientem et independentem. Sed est sibi sufficiens in suo ordine; idest tendit ad finem qui non est subordinatus alteri eiusdem generis, seu naturae, neque est pars universalioris eiusdem generis seu valoris; quod magis intelligi et illustrari exemplis quam ulterius verbis explicari potest; ita sanitas, divitiae, honor et etiam scientia, pertinent ad bona temporalia, seu quae felicitatem praesentem per se procurant; sunt igitur partes finis amplioris, quae etsi multis sub respectibus substantialiter differant, tamen in hoc conveniunt ut tamquam partes constituant praesentem felicitatem, quae eas omnes requirit. Hinc societas civilis quae universitatem horum bonorum sibi proponit est perfecta; e contra societates quae sibi proponerent unum vel alterum tantum ex his bonis partialibus, essent imperfectae; ita societas medicorum, negotiatorum, acca-

---

sarium vitae, illa erit perfecta communitas quae ordinatur ad hoc quod homo habeat sufficienter quidquid est necessarium ad vitam. Talis autem communitas est civitas. Est enim de ratione civitatis, ut in ea inveniantur omnia quae sufficiunt ad vitam humanam, sicut contingit esse ». Et 2. 2. . 99. a. 3. « Societas perfecta est ea quae non est alterius pars, quaeque finem non habet ad alterius finem (*in eodem genere*) ordinatum, adeoque sit *independens* et in *se completa*. Unde consequitur quod media ad sui conservationem propriique finis assecutionem necessaria in semetipsa habere debet ».

demicorum. Item societas equitum, aut militum, quia bonum equestre ordinatur tamquam medium ad militare, et militare ad civile, ideoque finis societatum respectivarum est medium respectu societatis civilis. E contra societas religiosa tendit ad finem qui independenter a fine civili obtinetur, seu felicitas aeterna est independens a temporali, et etiam viceversa temporalis est independens ab aeterna; quamvis fatendum sit temporalem separatam a spe futurae, vulnerari ob timorem divini iudicii; tamen et a peccatore haberi potest sanitas, divitiarum abundantia, scientia et honor, quamvis haec separata a pace conscientiae multum sui valoris amittant. Sed haec pax est bonum non naturale et temporale sed anticipatio quaedam futuri.

61. Tamen notandum est, unum esse finem ultimum ad quem ordinanda est et felicitas praesens; sed hoc non importat unicam esse posse societatem iuridice perfectam, sed tantummodo indicat subordinationem finium ideoque societatum; et *subordinatio* ratione finis, est distinguenda a subordinatione ratione materiae, quae dicitur etiam *subalternatio*. Cum enim finis ultimus sit unicus, oportet omnes societates esse ratione finis subordinatas ei quae directe curat assecutionem finis ultimi; tamen finis proximus unius potest esse independens a fine proximo alterius; et sic possunt esse plures societates iuridice perfectae.

Societas tendens ad bonum in suo ordine completum, non modo est sibi sufficiens, sed etiam in suo conceptu, independens. Attenta enim rei natura, nulla est ratio dependentiae. Item viceversa, societas quae ex sui natura sit independens, oportet sit quoque sibi sufficiens; si enim indigeret, etiam penderet ab eo a quo suum reciperet complementum.

Tamen contingere potest societatem quae attento

mero eius conceptu esset sibi sufficiens et proinde independens, esse in concreto dependentem et proinde per accidens iuridice imperfectam, si nempe iustis titulis subiiciatur alterius imperio. Item esse possunt societates in aliquibus sibi de iure sufficientes, in aliis non, ut sunt status vassalli alterius status.

Item sicut adest dominium privatum aliquando gravatum servitute, ita et societates publicae atque perfectae, possunt gravari aliqua politica servitute; a quibus omnibus, cum sint per accidens, praescindimus.

62. His positis redeamus ad quatuor elementa societatis, quae in societate perfecta plenam suam evolutionem habent et eius perfectionis vim persentiunt, scilicet multitudinem, vinculum morale, media et finem, ut ipsorum habitus et praestantia appareat. Animadvertimus: I. *finem ceteris praestare;* continet enim rationem existentiae societatis ipsius.

II. *Media pendent a fine* cum debeant esse eidem proportionata, et in eo habeant suam rationem sufficientem. « Ea quae sunt ad finem sortiuntur bonitatem ex « ordine ad finem, » ait S. Th. 2. 2. q. 81.

III. *Natura seu specificatio societatis pendet a fine adaequato;* etenim multitudo hominum et vinculum morale sunt elementa communia omnibus societatibus, ideoque generica; media pendent a fine: ergo sequitur societatem specificari a fine suo adaequato. Quod si sint plures societates quae eundem finem specificum sibi proponunt, eae non specie sed numero tantum differunt; ita plura regna. Hinc si finis societatis sit spiritualis, et natura eiusdem talis erit; si sit supernaturalis, et societas; tamen quoniam homines tendunt ad finem prout communi conspiratione attingi potest, hinc est quod societas etsi sit spiritualis et supernaturalis ob finem, tamen ob media erit non modo spiritualis et

supernaturalis, sed etiam externa et visibilis: igitur eius media adaequate inspecta, oportet sint mixtae naturae, seu 1. spiritualis et supernaturalis, ut effectum spiritualem et supernaturalem valeant causare; neque enim causa potest esse inferior effectui; et 2. sint naturae sensibilis et exterioris, ut ab hominum societate valeant administrari. Aliud enim est societas spirituum, et aliud societas spiritualis hominum. Media oportet sint sensibilia pro intellectu et pro voluntate, quoniam voluntas iisdem movetur; hinc sequitur eius finem proximum esse *finis spiritualis et supernaturalis assecutionem per media socialia seu externa.*

63. Ex natura finis pendet etiam an societates plures eiusdem speciei extare possint; si enim talis sit ut omnium hominum requirat conspirationem, tunc unica esse potest societas; secus plures esse possunt vel etiam debent. Ita cum polyandria sit iure naturae vetita, necessario plures familiae esse debent. Ex quo apparet quamvis perfectius una sit societas religiosa, tamen potuissent esse plures; perfectior est quia magis respondet unitati finis ultimi et Dei unitati, et charitati inter homines promovendae.

64. IV. *Ex fine pendet status iuridicus societatis*, seu quale et quantum ius competat societati ex eius natura ut sit et operetur. I. *Quoad existentiam*; et sane societas habet rationem medii pro consociatis ad assecutionem finis; hinc prout est relatio ad finem, est et relatio ad societatem ad eum ordinatam; quia ius habens ad finem, per se ius habet ad media ad eum natura sua proportionata; dicimus per se, quia si per accidens conflictus esset cum fine et bono maiori, seu moraliter magis necessario, cessaret ius ad haec media; debet enim semper servari ordo finium; sed nos semper res consideramus per se, praescindendo

ab eo quod fit per accidens; illud enim est regula, hoc exceptio. Hinc si finis societatis sit liber, et societas est voluntaria. Si finis est obligatorius, et societas determinata sit necessaria ad eundem, et ipsa societas erit necessaria, seu obligatoria. Si ius ad finem sit absolutum, et ius ad societatem quae illum procurat absolutum erit; unde haec societas erit iuridica per se. Si ius ad finem sit conditionatum et dependens, et ius ad relativam societatem tale erit; si finis subordinatus, et societas; si subalternus, et societas; si in suo ordine independens, et societas erit independens seu perfecta; si supremus, et societas; hinc ex natura finis oritur et ius intersociale, societatumque *praeeminentia*, seu *maioritas* vel *inferioritas;* ita enim se habent societates inter se, sicut fines ipsarum; quod principium est saepius invocandum ad innumeras quaestiones solvendas; et ratio est quia societates sunt media ad earumdem fines, et media stant inter se sicut fines ad quos habitudinem natura sua habent; dico natura sua, nam si per accidens tantum, tunc natura sua feruntur ad aliud; et proinde duos effectus producunt, primum directum et ex natura sua, secundum indirectum et per accidens, ideoque videndum est ne prosequendo quod est per accidens, in ordinem moralem peccemus ob ea quae sunt per se; id enim naturae rerum adversatur, ideoque rationi, quia accidentale praeponeretur substantiali, et ideo contra ius esset. Pariter viceversa attendi debet status conflictus cum bono maiore, ut supra diximus; hinc per accidens posset cessare vel suspendi ius ad medium natura sua proportionatum, ob malum gravius exinde derivans etsi per accidens.

65. II. Ex natura finis, potest aliqua ratione derivare et *interna constitutio* societatis, et ideo eius status

iuridicus sub hoc respectu. Etenim si finis est liber, societas est per se *aequalis;* societas aequalis est in qua omnes socii pari iure praediti sunt pro eiusdem societatis regimine; e contra *inaequalis.* In societate voluntaria seu libera, natura finis determinat subiectum potestatis ita ut omnes socii per se aeque ei participent, licet postea mutuis pactis possint inaequalitatem constituere. Si finis est necessarius, societas erit inaequalis, si inaequalitatem exigat ex rei natura, vel ex iure praevalente quod necessitatem finis et correlativae societatis posuit.

Ita societas civilis habet finem necessarium, sed in ea ex ipsa rei natura habetur inaequalitas; cum enim sit necessaria ad supplendam familiarum insufficientiam, cumque familiae sint societates natura sua inaequales, hinc ipsarum aggregatio in statum civilem conservat praeexistentem inaequalitatem; instituitur enim societas civilis non ad destruendam sed ad iuvandam familiam; familia autem est natura sua inaequalis; etenim genitores qua tales, sunt iure naturae superiores filiis; filios ac patres semper consideramus formaliter ut tales; quod si filiis cum ad adultam aetatem pervenerint discedere placeat et separatas constituere familias, iure suo utuntur; item si ex reciproco consensu, societatem inirent cum genitoribus ut inter aequales; tunc enim et filii habentur ut patres-familias, seu familiae suae quam habent vel habere possunt. Igitur cum societas civilis conservet familias, etiamsi omnes patres-familias eodem iure concurrerent ad civilem societatem ineundam, quod per se esse potest, hoc ipso constituerent societatem inaequalem. Ergo natura specifica finis necessarii potest determinare societatis inaequalitatem.

66. Imo ex natura finis determinari potest et quod

societas sit *organica* vel *inorganica;* organica est quae non immediate constat individuis, sed minoribus societatibus aliqualiter autonomis; autonomia est ex graeca voce αυτος (sui ipsius) et νομος (lex); ideoque significat societatem legislatricem sui ipsius; hinc vere autonoma est tantum societas perfecta et independens; sed hoc nomen secundum quid competit et societati imperfectae cui conveniat aliqualis independentia, quatenus habet campum suae actionis et competentiae, quamvis sub vigilantia, modificatione et dependentia societatis in eodem genere maioris.

67. Societatis organizatio fit vel per *synthesim* vel per *divisionem;* per *synthesim* si societates independentes uniantur sive iure cogente sive libere in maiorem societatem; ita familiae in civitatem, civitates in regnum, et regna minora in maius. Ecclesiae id non competit nisi per accidens si Ecclesiae schismaticae uniantur Ecclesiae verae. Tamen cum gradus episcopalis sit divini iuris, hinc Ecclesia quamvis attento fine non exigat organizationem, eam exigit ex voluntate fundatoris; sed per divisionem, etenim prius quis essentialiter adscribitur per baptisma Ecclesiae universali, deinde ab eius lege destinatur uni ex Ecclesiis particularibus in quas Ecclesia ipsa dividitur. Sed divisio fieri potest vel in societates *homogeneas* vel *heterogeneas*, idest eiusdem naturae vel diversae, quod latius vel strictius sumi potest. Item potest esse maior vel minor; in societati civili organizatio essentialis est tantum ut adsint familiae; provinciis autem vel datur competentia propria vel tantum executio legum supremae potestatis; haec est imperfectior organizatio, et vix organica dispositio dici debet. Hinc duplex systema: *centralismus* et *regionalismus;* hic magis naturalis, et proinde ecclesiastica organizatio hoc systema imitatur.

68. Iamvero exemplum allatum societatis civilis ostendit eam ex sui finis natura esse organicam; finis enim eius est supplere insufficientiam familiarum et societatum minorum pro evolutione perfecta individuorum, familiarum et generis humani, externasque inter homines moderari relationes; unde est societas non modo inaequalis sed et organica cum familias seu societates minores aliqualiter autonomas contineat. E contra societas coniugalis est inaequalis inorganica; item paternalis et herilis; ex his oritur familia, quae proinde dici potest tum organica, quia tribus vel saltem duabus (omissa herili) constat, tum inorganica quia centrum est paterfamilias in omnibus, unde non est collectio societatum adaequate distinctarum in maiorem societatem, sed distinctarum tantum inadaequate, quia paterfamilias est membrum necessarium cuiusque ex his.

69. Qui autem ex ipsa rei natura habent ius constituens societatem, ut per se loquendo et in abstracto patres-familias in prima origine societatis civilis, possunt alias constabilire inaequalitates, quae et perpetuae esse possunt, ut si monarchiam haereditariam constituant; sicut in facto hae inaequalitates statim exurgere possunt, ut si potenti familiae sponte adhaererent aliae minores, ex qua praevalentia sensim sine sensu evolvitur forma monarchica; ita ex iusto bello vel aliis legittimis causis.

70. Societas autem supernaturalis impossibile est exigat aequalitatem, cum media ad finem in se non habeat, sed necessario accipiat a fundatore, a quo proinde pendet designatio subiecti potestatis.

71. III. Pariter *ex finis natura oritur ius societatis constitutae ad operandum*, idest ad media quibus societas uti potest ad sui finis consecutionem; habet

enim ius ad media proportionata, salvo ordine finium; quod significat, 1. tendendo ad fines liberos, non debet praeiudicium inferri finibus necessariis; nec 2. tendendo ad fines inferiores, finibus maioribus; et 3. si fines aequales seu collaterales sint, ex aequo servandi si fieri potest, etiam alterius consecutionem differendo, si non urget; in vero autem conflictu, datur libertas. Fines enim seu bona quae appetimus et ad quae operando tendimus sunt alii aliis subordinati, et omnes fini ultimo; hinc cum finis inferior, ordine et entitate, opponitur superioris consecutioni, cum hic sit magis necessarius ad finem ultimum, ille cessat esse moralis; siquidem absolute appetimus tantum finem ultimum, et cetera appetendi officium est tantum quatenus cum eodem necessario connectuntur, sive natura sua sive facto aliquo contingente; ius autem ea appetendi est tantum hypotheticum, idest dummodo non repugnent cum aliis necessariis; et si plura sint per se necessaria, praeferenda sunt quae fini ultimo proximiora; inter subalterna enim, inferiora habent rationem sufficientem suae appetibilitatis quatenus ducunt ad superiora; quod si ad ea non amplius ducant, cessat appetibilitas; si removeant prohibetur; si autem conflictus sit inter ea quae sunt parallela seu eiusdem ordinis, et sint etiam eiusdem entitatis, tunc datur libertas eligendi alterutrum.

Diximus eiusdem ordinis; nam bona sunt alia aliis superiora, attenta eorumdem specie, ex qua derivat ordo ipsorum. Hinc bona materialia sunt omnibus inferiora; materialibus succedunt sensibilia, deinde intellectualia, et ultimo veniunt moralia. Sunt enim ipsi ordines sic dispositi a natura, ut inferiores suum scopum habeant in superioribus quibus inservire debent. Inter bona moralia vero, quae sunt naturalia praefe-

runtur bonis positivis, quia illa sunt necessaria ex natura sua, haec autem contingenter. Item in ipso ordine naturali quae Deum respiciunt praeferuntur iis quae respiciunt societatem; haec rursus praeferuntur individualibus.

In eodem autem ordine attenditur entitas. Hinc bona habent suam hierarchiam ut ideae a singularibus ascendendo ad specifica et generica.

72. Regulae in conflictu servandae desumi possunt et ex natura legum protegentium bona; et sunt sequentes:

I. Lex divina praefertur humanae.

II. Ex humanis, ecclesiastica praefertur civili.

III Ex divinis, lex naturalis praefertur positivae.

IV. Ex duabus legibus eiusdem originis (idest si ambae naturales, vel positivo-divinae, vel ecclesiasticae, vel civiles), lex negativa seu prohibens praefertur affirmativae seu praecipienti.

V. Si eiusdem originis et etiam eiusdem qualitatis (seu ambae affirmativae vel negativae) praefertur quae maioris entitatis est, seu 1. quae nobiliorem terminum habet; hinc officium erga Deum, praefertur officio erga homines; officium in bonum publicum, officio in bonum privatum; 2. si terminus sit idem, attenditur natura boni quod lex protegit; hinc vita praefertur bonis externis.

VI. Omnibus paribus datur optio.

73. Sed quicumque sit finis societatis, semper ei concedendum est ius dominii; quia cum hominum societas sit exterior et visibilis, indiget rebus materialibus, ex. gr. loco ubi socii adunentur. Iurisdictionem autem suam explicat societas perfecta in territorio sibi respondenti, ideoque in universo orbe si universalis sit. Hinc ex proportione subiecti ad finem fit ut semper ei competat ius comparandi sibi mediis de cetero

idoneis, bona quaedam temporalia. Hoc ius in societate perfecta est independens, sicut cetera eius iura. Stabilis autem proprietas est optimum medium providendi sibi redditus, 1. quia certius; 2. quia semper dat eamdem proportionem cum hominis substentatione.

74. Cum quatuor sint quae societatem constituunt, idest multitudo, unitas, finis et media, patet societatem eo esse perfectiorem quo: 1. maior est multitudo; 2. quo arctior unio seu vinculum morale, tum obligationis tum affectus; 3. quo finis seu bonum excellentius; 4. quo media efficaciora. Ex quo iam datur intelligi quantum excellens sit societas ecclesiastica quae extensione omnes homines amplectitur; unione maxime obligatoria et maximae charitatis pollet; tendit ad finem ultimum et supernaturalem; mediis efficacissimis, imo et facillimis.

Sequitur insuper societate perfici homines; etenim perfectio consistit in cognitionum acquisitione, voluntatis recta institutione, et actionibus externis utilibus; atqui societas dat menti cognitionem debiti finis et mediorum, voluntatem instituit in amore finis et mediorum, actiones exteriores moderatur et media suppeditat; hinc socii collatis viribus animae et corporis mutuo adiuvantur.

ARTICULUS II.

De potestate societatis perfectae in suos.

Cum nobis agendum sit de potestate quae societati perfectae convenit vi suae naturae, seu ex eo quod societas perfecta sit, inquirimus: 1. de eius potestate in suos; 2. relationes eius iuridicas cum aliis societatibus perfectis; de prima agimus in praesenti articulo, et primo generatim, deinde speciatim tum de potestate legislativa, tum de iudiciali et executiva.

SECTIO I.

De potestate societatis perfectae in suos generatim.

Totidem paragraphis 1. demonstrandum est societatem iuridicam esse personam moralem; 2. videnda quantitas iuris socialis in se inspecti; 3. qualitas et quantitas iuris socialis in socios; 4. origo potestatis socialis in se; 5. in subiecto concreto; 6. divisio potestatis socialis.

§ 1.

SOCIETAS IURIDICA EST PERSONA MORALIS.

75. Primo demostrandum est societatem iuridicam esse personam moralem; cumque dubium non sit eam non esse personam physicam, sed aliquod ens morale, idest ex unione voluntatum constitutum, si demonstretur esse personam, sufficit. Et sane persona est subiectum iuris; atqui societas iuridica est talis; etenim ex definitione societas in genere est *hominum congregatio ad eundem finem communibus mediis consequendum.* Societas autem iuridica est *hominum congregatio ad eundem finem communibus mediis consequendum, iuris vinculo colligatorum.* Igitur cum sint socii coniuncti vinculo iuris, singuli sunt obligati obligatione exteriori, seu coram ipsa societate; sed obligationi respondet ius; ergo societas est subiectum iurium respectu singulorum.

Et sane; vel societas iuridica est ex iure praevalenti, vel ex contractu; si primum, evidens est eam iure socios ducere ad finem; imponitur enim a lege; si alterum, cum cuique facultas sit, per se loquendo, idest salvo conflictu qui per accidens aliter potest

obligare, tendendi ad finem honestum mediis proportionatis, cumque consociatio necessaria sit vel utilis ad finem consequendum, patet singulis ius esse pacto ad id se obligandi; sed ex pacto debite inito exurgit obligatio iuridica; ergo societati ius est tendendi ad finem. Hinc non modo in societate necessaria, sed et in voluntaria singuli tenentur; et si postea poeniteant, non possunt recedere nisi legittime resoluta societate; ergo ius quoddam est non modo in singulis, sed in ipsa adsociatiatione et proinde est persona moralis seu subiectum iuris respectu sociorum. Cum autem societas est perfecta, eius ius est independens et in suo fine procurando societas est sibi sufficiens.

§ 2.

DE QUANTITATE IURIS SOCIALIS IN SE INSPECTI.

76. Quaeritur quantum sit ius societatis, an nempe socii societatem ineundo, simul conferant sua iura quae habebant ut individui, et ius societatis nihil aliud sit nisi summa horum iurium collatorum, sive omnium quae in eo ordine possident individui si societas sit completa et perfecta, sive aliquorum, si partialis; vel an ius sociale sit aliquid excedens hanc summam, ideoque praevalens, sui generis.

Si I^{um} sequeretur: 1. voluntate sociorum societatem dissolvi, et potestatem socialem nihil posse in socios omnes simul invitos; dicimus omnes; si enim aliqui tantum, etiam multi, sint inviti contra pactum sociale, cuius observantiam et pauci urgent, servandum est, nisi aliud expresse conventum fuit; 2. sequeretur societatem nihil posse quod singuli in eadem specie non potuissent.

Si II^{um} tunc 1. potestas socialis valet obligare socios

et repugnantes; 2. aliqua praecipere ad quae singulis ius non est. Igitur quaestio est magni momenti.

77. Iamvero distinguimus inter societatem necessariam et voluntariam. Si 1.^{m} habeatur, ius societatis est praevalens; idque duplici ex capite esse potest: I. si finis socialis non est adaequate identicus cum fine individui, sed maioris praestantiae, seu speciei moralis superioris; hinc mirum non est *a*) si pro fine superiore proprio societatis, ei liceat media adhibere quae individuo pro suo fine inferiore non licent, idest mirum non est si ius sociale praestet iuri individuali; *b*) item mirum non est si potestati sociali ius sit obligandi et socios omnes simul invitos, cum finis sit iuridice necessarius, et eius assecutio sit societati praecepta. Hic finis necessarius et altior verificatur comparando individuum cum societate civili; ille est enim ordinatus a natura ad suam felicitatem temporalem; societas e contra, ad perfectionem humanae familiae, quae neque a singulis individuis neque a singulis aetatibus potest attingi; hinc finis societatis civilis est vita et perfectio personae moralis perpetuae, ideoque et individua sacrificat, ut in bello, et ad plura alia ius habet ad quae non extenditur ius individuale.

II. Haec praevalentia haberi potest et cum finis necessarius est idem pro individuo et pro societate, sed cum media illum consequendi non possidentur ab individuis sed a societate; id evenit in Ecclesia; siquidem finis in ordine supernaturali intentus ab individuo est proxime sanctificatio, remote salus aeterna, ad quae individuis procuranda ordinatur ipsa Ecclesia; sed Deus qui hunc finem supernaturalem iure praevalente adsignavit, quique proinde extrinsecus quodammodo est humanae naturae, media santificationis et salutis non concessit singulis sed tantum Ecclesiae. Ergo Ecclesia

a) habet sibi obligatos socios et invitos, quia habet potestatem eos ducendi ad finem necessarium. *b*) Eius potestas ad plura extenditur, quae ab individuis iure proprio non attinguntur. Igitur ius societatis necessariae est praevalens.

78. Est autem quaedam societas necessaria in genere, sed libera singulis; haec est *coniugalis*, quae in genere a natura humano generi praescribitur, sed non singulis; cum igitur habeat finem proprium a natura intentum, suas habet leges a natura praescriptas, ideoque semel ac quis libere eandem contraxerit et eius finem libere susceperit, exurgit ius praevalens; idest 1° quoad media, quaedam enim potest ad quae singulis ius non est; 2° non amplius est in potestate contrahentium societatem resolvere, ideoque cum sit societas imperfecta subdita maiori societati, huius auctoritas potest exigere ne ab absolutis officiis eiusdem societatis partes discedant. Societas autem familiaris quoad reliquas sui partes essentiales, idest quoad societatem paternalem, necessaria omnino est.

79. Videamus modo de societate plene voluntaria. Consideranda sunt duo: finis et media, ut videamus an ex alterutro capite, eius ius sit praevalens summae iurium individuorum, vel in ea tantum consistat. Animadvertimus nos loqui de iure quod ei ex sui natura competit, non autem considerare privilegia seu iura quae a superiore societate a qua pendeat possint eidem tribui.

Ipsa 1.° ordinatur ad finem liberum, libera sociorum voluntate electum, ad quem et singuli ius habebant tendendi singulariter. Ergo ratione finis non praevalet. E contra singuli non habent ius tendendi ad finem societatis civilis, vel paternalis aut filialis; de hac est evidens cum a natura, finis cura detur patri non

filio; item in civili singuli nequeunt ordinare relationes externas familiarum et supplere auctoritative insufficientiam earundem pro perfectione humani generis; possunt enim haec curare mediis tantum ethicis, non auctoritativis exigendo et imperando.

2.° Cum finis sit omnino liber, si omnes velint recedere, recedunt; hinc non est datum potestati sociali cogere socios si omnes velint societatem solvere.

3.° Ratione mediorum, de iis tantum disponit quae singuli socii simul conferunt. Ergo neque ratione mediorum est in ea ius speciei diversae ac sit in singulis. Est quidem in ea quantitas mediorum quae in singulis non erat; hinc societas perficit singulos et eis possibile vel facile reddit quod secus esset vel impossibile vel difficile. Conferuntur enim in societate cognitiones, ex quo mens perficitur; item mutua fovetur benevolentia atque vinculo obligationis firmatur, ex quo voluntas perficitur; et maxime conferuntur vires physicae, ideoque societas perficit individuos; sed non sunt in societate voluntaria nisi collecta ea media quae erant in sociis divisa, ex qua collectione utique perficiuntur et media ipsa et socii eis utentes, et fiunt obligatoria ex pacto, quae erant libera, sed non exurgit ius ad aliquod medium specifice novum.

80. Igitur non est in societate voluntaria plus iuris quam exhibeatur a summa iurium collectorum a sociis. Tamen quia singuli socii perficiuntur et ampliantur ipsorum media ex mutua communicatione et adiutorio, persona moralis exurgens est de facto perfectior omnibus sociis distributive sumptis, ideoque eius ius est accidentaliter melius; dico accidentaliter quia est in eadem specie; ita ius commercii est specie idem in individuo et in societate, quamvis ex societate in meliorem statum devenerit singulorum ius, ac ideo melius

factum sit. Sed in omnibus distributive continetur potentialiter ius omnium collective sumptorum, quia est in eorum potestate ponere societatem.

§ 3.

QUAE ET QUANTA SIT POTESTAS SOCIETATIS PERFECTAE RELATE AD SOCIOS.

Potestas societatis perfectae in socios enuntiari potest sequenti quadripartita propositione.

1.° *Quae sunt necessaria vel utilia ad finem plene consequendum societas perfecta a sociis exigere iure potest.*

2.° *Quae non sunt necessaria aut utilia ad finem, exigere non potest.*

3.° *Quae sunt necessaria sed pertinent ad ordinem quemdam superiorem, ea per se ordinare et determinare non valet.*

4.° *Sed determinata a competenti auctoritate, iure, per se loquendo, urgere potest.*

81. Probatur per partes. Quoad I.am; socii obligati sunt vel ex iure praevalente a quo societas constituta est, vel ex pacto legittimo ad tendendum ad finem socialem mediis proportionatis; qui enim tenetur ad finem, tenetur et ad media proportionata; secus haberetur contradictio, quia lex naturae exigeret quod est impossibile, seu finem sine mediis. Ergo societas exigere potest a sociis quae sunt necessaria vel utilia, cum ius habeat ad plenam et tutam finis consecutionem; et generalius exigere potest quae sunt proportionata ad finem.

82. Nota tamen etsi societati ius sit ducendi socios ad plenam finis consecutionem, id non absolute intelligendum est, sed relative ad vires sociales. Finis enim

est perfectio, et quidem in Ecclesia est perfectio spiritualis, iuxta verbum Domini: « Estote perfecti sicut « et Pater vester coelestis perfectus est ». Sed consecutio perfectionis simpliciter est impossibilis; hinc Dominus perfectionem proposuit ut typum ad quem aspirare debemus, ut semper perfectionem nostram augeamus, idest, ut aiebat S. Paulus « ut quotidie crescamus in Christo ». Verum certi sumus nunquam nos eam assecuturos; tamen ad eam aspirando semper crescimus, cum duplici elemento conficiatur, viribus nostris et gratia; iamvero quamvis limes sit tum viribus humanis tum capacitati gratiae iuxta leges praesentis ordinis, tamen ita distat ut in indefinitum augeri possit perfectio nostra. Haec de individuis; sed sicut perfectio individui relativa est eius viribus, ita perfectio societatis est relativa conditioni et viribus societatis ipsius; hinc legislatio ducit ad perfectionem relativam, seu ad gradum accommodatum viribus societatis; et quoniam conditio socialis variabilis est, spectat ad prudentiam legislatoris leges accommodare statui sociali, quamvis semper tendat ad eundem finem. Quoniam autem vires sociales resultant ex eo quod communiter possibile est, potest esse individuis aliquibus possibile, quod non est communitati; hinc individua possunt attingere perfectionem plenius ac communitas; proinde ipsis et praecepta dari possunt quae nequeunt societati. Hinc actus heroici individuis praecipi possunt, sed non societati.

83. Ex quibus sequuntur duo corollaria.

I. Saepe media idonea ad finem esse possunt plura, ita ut per se electioni locus sit, et per se plus minus indifferens sit quodnam eligatur. Dicimus *plus minus*, quia sicut de minimis non curat praetor neque legislator. Tamen ut plurimum nequit permitti individuis

ut ad libitum eligant, quia confusionem pareret et deficiente conspiratione, finis non attingeretur.

Exemplum evidens suppeditatur a militia; possunt enim esse plures modi aciem instruendi et dimicandi; sed si cuique militum libera tribueretur facultas, praelium certissime infelicem exitum haberet, nisi aliquando per accidens et praeter meritum ducis. Igitur cum necessaria sit vel utilis determinatio mediorum idoneorum, societas pollet iure ea determinandi, et determinata exigendi.

II. Circa media necessaria vel utilia ius est societati iudicium ferendi tum circa qualitatem tum circa quantitatem eorundem, ita ut sicut determinat cum plura sunt, ita auctoritative declarat cum unica sunt.

84. Quid autem si in hoc iudicio erret? Tunc si erraret in eo quod unice indicaret ut idonea quae unica non sunt, eius declaratio saltem valeret ut determinatio medii idonei quamvis non unici; si autem erraret undequaque quatenus medium propositum neque idoneum est, tunc incidimus in 2^{am} partem thesis, idest *quod societas ius non habeat exigendi quae ad finem nec necessaria sunt neque utilia.*

85. Prob. 2.^{a} thesis pars.

Etenim in hac hypothesi deficit rationabilitas et utilitas legis, et ratio ob quam socii tenentur societati praestare actus suos; est enim consecutio finis; sed quod est omnino inutile non ducit ad finem; hinc errante societate et proponente media inutilia ad finem, socii per se non tenentur. S. Th. 1^{a} 2^{ae} q. 90, a. XI. « Omnis » lex ordinatur ad communem hominum salutem et in « tantum obtinet vim et rationem legis; secundum vero « quod ab hoc deficit, virtutem obligandi non habet ».

Diximus socios non teneri per se; etenim per accidens possunt teneri, si duo verificentur: 1^{o} rem prae-

ceptam quamvis inutilem esse tamen licitam; 2° extare aliquam aliam rationem id exigentem, ex. gr. ad turbas et scandala vitanda. Haec obligatio est per accidens, idest non exurgens ex ipsa rei natura, sed ex aliqua accidentali circumstantia.

86. Idem iudicium ferendum est si societas exigat quae sunt nociva, dummodo haec noxietas non importet etiam illiceitatem; quaedam enim nocent tantum materialiter et quaedam moraliter, et quaedam damna materialia etiam ex officio vitanda sunt.

87. Prob. 3ª pars. Nempe *ea quae ad finem necessaria sunt sed ad superiorem ordinem pertinent, non posse ordinari et determinari a potestate inferioris ordinis.* Et sane; ius est cuilibet tendendi ad finem suum, sed salvo ordine finium seu servata ordinum subordinatione; iamvero qui ad consequendum finem inferiorem disponit de iis quae natura sua spectant ad ordinem superiorem, perturbat finium ordinem. Nam curam susciperet eius quod non ei sed alteri commissum est, et periculo se exponeret contradicendi ei qui competenti potitur potestate. Ergo ius suum excederet.

88. Prob. 4ª pars. Seu *quae sunt fini plene assequendo necessaria sed ordinis superioris, semel ac a competenti superiori auctoritate fuerint ordinata et determinata, posse, per se loquendo, ab auctoritate inferioris ordinis merito exigi a suis.* In hac enim hypothesi auctoritas inferior non usurpat sibi quae sunt superioris, sed tantum inservit superiori et sibi consulit; ad utrumque autem ius habet, cum ex hypothesi necessaria sint fini suo. Tamen in his urgendis non debet modum a superiore auctoritate permissum excedere; cavere enim debet ne dum urget media ordinis superioris pro consecutione sui finis inferioris, noceat ipsi

superiori fini, media urgendo eo modo qui fini superiori non convenit, iudicio competentis auctoritatis; hinc diximus, per se loquendo iure pollere ea urgendi, cum per accidens eo carere possit. Deinde ea media urget subditis suis, quatenus sunt subditi superioris auctoritatis; quod si subditi huius non essent, pro eis auctoritas superior nou determinasset huiusmodi media, ideoque ab iisdem exigi non possent.

Quadripartita propositio de potestate societatis perfectae in suos, quam demonstravimus, servata proportione valet et de societatibus imperfectis. Omnes enim societates iuridicae iure exigunt a suis quae ad proprium finem necessaria sunt, salvo ordine finium; sed societates perfectae ea exigunt independenter; imperfectae dependenter a sua maiori, ideoque salvis iis quae eidem reservata sunt.

89. Ob. contra 3am partem: qui ius habet ad finem, ius habet ad media omnia necessaria; secus esset contradictio; atqui auctoritas socialis ius habet ad finem suum; ergo et ad media omnia.

Resp. hanc difficultatem nos preoccupasse. Qui ius habet ad finem, ius habet ad media servato ordine finium et servata subordinatione ordini superiori, conc., his non servatis neg.; idest ius habet ad media proportionata; iudicat autem de proportione mediorum sui ordinis, non autem superioris, sed tantum eadem urget cum a competenti auctoritate ut proportionata, subditis proposita fuerint. Hinc auctoritas inferior ius habet recurrendi ad auctoritatem superiorem ut ipsa provideat.

90. Ex his quae disputavimus iam apparet necessitas quod 1° in societate sit auctoritas; est enim auctoritas *ius socios obligandi in ordine ad consecutionem finis socialis*. Auctoritas differt a iure sicut species a genere;

ius est genus, auctoritas species; omnis auctoritas est ius, sed non viceversa; et nota quod etiam dominus habet auctoritatem hoc sensu, quia obligat membra societatis herilis pro fine eiusdem, qui est communis; etenim et dominus retribuit servum. Auctoritas obligat et cum declarat, quia est declaratio authentica; hinc vel ponit nexum iuridicum medii cum fine, vel illum obligatorie declarat.

Auctoritas autem societatis perfectae plene inspecta dicitur maiestas, vel imperium, italice *sovranità*. Est autem in se seu in suo conceptu una, quia una societas et eius finis, quamvis diversis gradibus possit participari; hoc sensu aiebat S. Cyprianus: « Episcopatus « unus est cuius a singulis in solidum pars tenetur; » dicitur *in solidum*, quatenus non est scissa societatis auctoritas et imminuta ob comparticipationem quae plurium propria est; hinc multo minus imminuta non est suprema potestas ex aliorum subordinata participatione.

Patet igitur auctoritatem requirere aliquod subiectum; etenim auctoritas, cum sit ius obligandi socios, exigit subiectum sicut omne ius, et ab eo praescindendo est quid abstractum, et proinde incapax agendi; agit enim quod physice subsistit. Iamvero cum societas ius habeat 1° declarandi obligatorie media necessaria; 2° determinandi media aliqua cum plura sunt idonea, apparet haec requirere actionem concretam, ideoque subiectum concretum huius iuris, quod est auctoritas in concreto, quae proinde est *subiectum potestatis socialis*.

91. Hoc subiectum consistere non potest in singulis sociis ita ut omnes sint distributive aeque competentes; etenim oporteret quod 1° singuli eodem modo iudicarent de mediis necessariis; 2° eodem modo eligerent

inter plura media idonea; 3° sponte actionem conformarent iudicio. Sed si haec difficile haberi possunt in parva societate amicabili, et ut plurimum brevi tempore, nullo modo verificantur in societate numerosa et perpetua, ut est perfecta societas; in tanta enim iudiciorum diversitate, affectuum pugna et voluntatum depravatione est moraliter impossibilis ipsa iudicii uniformitas, multo magis caetera. Et etiamsi haec essent possibilia, tamen non destruerent in societate iuridica existentiam auctoritatis, ideoque eius subiecti, sed tantum exercitium eiusdem non necessarium, per accidens, facerent. Hinc nomen *auctoritatis*, quia ipsa *auctrice* exercetur societatis ius et per ipsam societatis bonum augetur.

92. Hoc subiectum pluribus rationibus constitui potest, dummodo idoneis eius fini assequendo seu exercendae potestati sociali, de quibus rationibus quae formae sociales appellantur suis locis agemus. Hoc subiectum potestatis oportet sit determinatum. Est determinatum etsi sit ipsa multitudo; etenim 1° non est subiectum auctoritatis multitudo utcumque sed legittime ordinata, ut aiebat Tullius: *populus est coetus iuris consensu et utilitatis communione sociatus*; quae legittimitas constituitur lege positiva vel eruitur ex ipsa natura personae moralis aequalis; 2° singuli tenentur stare legi.

93. Oportet etiam subiectum auctoritatis sit unum aliquo modo, ne contradictio habeatur, quamvis in Ecclesia sit inadaequate duplex. Huic subiecto competunt et alia iura socialia praeter enunciata in propositione; sed quoniam maxima est eius necessitas et maximi momenti est in societate, de eo mentionem facere voluimus cum primo occurrerit opportunitas, ut sermo in futuro minus esset abstractus, ita ut cum loquamur

de potestate societati competente intelligamus eam quae auctoritati sociali convenit.

94. Hinc in concreto societas constat duabus partibus, multitudine et subiecto auctoritatis seu auctoritate in concreto; 1um est materia, quia est aliquid ordinandum et ordinabile ad plures fines: materia enim est elementum de se indeterminatum ad aliquod compositum constituendum, et determinabile; quae indeterminatio in iure non sumitur absolute ita ut sit aliquid omnino indeterminatum, sed relative ad compositum; et in re nostra sunt homines, qui utique iam sunt in sua specie humana determinati, sed possunt accipere ulteriorem determinationem, seu non modo ut homines sint sed et socii, et quidem societatis determinatae; 2um elementum est forma seu principium determinans materiam, ordinans et specificans compositum morale quod dicitur societas. Iamvero est auctoritas in concreto quae multitudinem ordinat ut efficaciter tendat ad finem. Hinc finis dicitur forma societatis extrinseca; est enim bonum distinctum a societate, ipsam movens. Auctoritas e contra, dicitur forma intrinseca, quia consistit in subiecto vivente in ipsa societate.

§ 4.

DE ORIGINE POTESTATIS SOCIALIS IN SE INSPECTAE.

95. Inquiri potest origo potestatis socialis in se inspectae, et origo eiusdem in determinato subiecto. Prima quaestio est mere iuridica, seu rationaliter iuridica; altera est historica, seu historico-iuridica. Hae duae quaestiones respondent duplici quoque origini societatis, nempe mere iuridicae et historicae.

Inquirere originem iuridicam alicuius societatis, significat inquirere causam primam efficientem exi-

stentiae eius iuridicae, an nempe inita sit lege aliqua iubente, vel pacto libero. Inquirere autem originem historicam, significat inquirere facta quibus homines aut parendo legi, aut plena libertate morali agentes, societatem inierunt. Si societas nulla lege iubeatur, tunc libera contrahentium voluntas continet originem tum iuridicam tum historicam; e contra, si societas lege praecipiatur, tunc origo eius iuridica consistit in ipsa lege; origo historica in iis factis quibus homines legis intentionem executioni demandarunt.

96. Quoniam societas iuridica importat in ipsa societate potestatem, prout in praecedenti paragrapho explicatum est, hinc patet originem potestatis in se inspectae, ab origine iuridica societatis ipsius pendere, ideoque in societate necessaria potestatem emanare a iure praevalente quo societas ipsa hominibus praescripta est; e contra, in societate libera, potestatem emanare a iure personali sociorum.

§ 5.

DE ORIGINE POTESTATIS SOCIALIS IN SUBIECTO.

97. Potestas autem socialis requirit aliquod subiectum, quod diversimode constitui potest. Aut enim est persona physica aut moralis; in primo casu habetur monarchia, in secundo poliarchia, quae rursus subdividitur in aristocratiam et democratiam, prout resultet ex paucis electis sociis, aut ex omnibus. Hae tres dicuntur formae simplices sociales seu regiminis. Dantur quoque formae mixtae pro diversa proportione quibus componitur subiectum morale potestatis ex duabus vel tribus formis simplicibus.

98. Iamvero in societate voluntaria, cum omnis potestas emanet a voluntate sociorum, patet subiectum

essentiale esse socios ipsos, qui tamen exercitium iuris socialis valent etiam delegare uni aut pluribus. E contra in societate necessaria, videndum est an causa iuridica eiusdem determinaverit quoque subiectum potestatis vel non. Si primum, tunc origo potestatis in subiecto est eadem ac origo iuridica societatis ipsius. Id factum est in Ecclesia, cum Christus Dominus ipse formam regiminis ecclesiastici determinaverit, imo et primos pastores elegerit atque instituerit, a quibus ceteri ordinati sunt.

Si autem lex quae causa iuridica societatis est, potestatem quidem socialem constituerit, sed subiectum eiusdem non determinaverit, tunc factis humanis determinatur. Id evenit in societate civili; excepta enim theocratia hebraica, Deus non designavit subiectum determinatum potestatis civilis.

99. Verum ex hoc neotherici deducunt potestatem socialem, *la sovranità*, essentialiter et inalienabiliter spectare ad ipsum populum, qui eligendo principem aut optimates, non alienat suum ius, sed tantum delegat pro meliori exercitio. Hinc sequitur collatam potestatem revocare posse, et principem atque optimates, meros depositarios eiusdem esse, non proprietarios. Et proinde habentur quidem diversae formae regiminis seu gubernii, sed una est forma subiecti supremae potestatis, nempe democratica.

100. Potestatem civilem a Deo immediate collatam fuisse populo, et ab eo transferri in principem, docuerunt et insignes ex scholasticis, ut Bellarminus, *De laicis* lib. III. cap. VI. et Suarez *De legibus* lib. III. cap. IV., nec non in *Defensione fidei catholicae et apostolicae adversus anglicanae sectae errores*. Cum enim Iacobus magnae Britanniae rex, primatum in humanis et in divinis sibi vindicaret, contendens sibi a Deo

immediate collatam esse potestatem, adeoque a Summo quoque Pontifice independentem, Doctores catholici merito observabant, 1° potestatem regiam circa temporalia versari, et non circa sacra; 2° in ipso ordine temporali non manare a Deo eadem immediata ratione ac potestas pontificia. Nam Christus Dominus formam regiminis ecclesiastici determinavit, quae ab Ecclesia mutari non potest. Hinc Cardinales eligendo summum Pontificem, personam quidem designant, sed auctoritas ei immediate a Christo derivat. E contra Deus nullam formam specialem regiminis civilis praescripsit, sed rem factis humanis determinandam reliquit; hinc regulariter in prima societatis formatione, voluntate populi determinatur. Imo populus saltem aliquando recuperat ius suum, ut 1° si extinguatur subiectum determinatum, ex. gr. dynastia; 2° si deficiant conditiones quibus imperium ei collatum est. Hinc potestatem habitu tantum apud populum perseverare docebant, cum lege regia in principem translata est, quam translationem quasi alienationem dicebant, ideoque potestatem a populo non amplius formaliter possideri, neque ad libitum revocari posse.

101. Imo Bellarminus cit. cap. 6. (lib. III. *de laicis*) putabat hanc potestatis translationem in unum vel aliquos paucos, ex divino praecepto faciendam esse. Scribit enim: « Respublica non potest per se ipsam exercere « hanc potestatem; ergo tenetur eam transferre in ali- « quem unum aut in aliquos paucos ». Id tamen universim verum non est, cum impossibile tantum sit ut populus numerosus, ipse executionem det legibus suis, non autem impossibile sit condat leges per se, quarum executionem magistratibus committat, sicut faciunt et reges.

102. Postquam autem apparuerunt enormes abusus

qui ex theoria potestatis a populo collatae, opera neothericorum derivati sunt, Doctores catholici in hanc materiam subtilius inspexerunt. Hinc docuerunt Deum lege naturali praecipere hominibus ut societatem ineant; societati Deus suam adsignat potestatem; subiectum tamen eiusdem non determinat, sed determinandum relinquit hominibus qui societatem efformant, seu eis qui divino parentes praecepto, societati dant historicam originem. Determinandum autem est conformiter naturae finis socialis. Iamvero si res in se inspiciatur, finis socialis obtineri potest tum si societas regatur ab uno, tum si a paucis, tum si ab omnibus, quamvis in hac hypothesi regulariter minus perfecte. Hinc in prima normali societatis formatione est in potestate populi aut se designare subiectum auctoritatis socialis, sive ex toto sive ex parte, aut designare unum aut paucos. Proinde potestas socialis ante hanc designationem non est in populo formaliter, sed tantum virtualiter, quia nempe semetipsum designare valet; et per consequens populus non est subiectum potestatis civilis positivum, idest a natura designatum ut necessarium, sed tantum negativum, quando nempe societas inita est, nec ullum speciale subiectum publicae potestatis designatum fuit. Hanc theoriam luculenter invenies in *Encyclica*, *Immortale Dei*, *1 Nov. 1885* (1).

103. Verum neotherici dicunt ex eo quod populus valet se designare, semper praesumendum esse semetipsum designasse; quisque enim suam amat independentiam et perfectionem. Et proinde dicendum esse,

(1) Pro ampliori evolutione huius materiae, vide opus nostrum, *Nozioni di diritto pubblico naturale ed ecclesiastico*, *n. 133 e segg.*, nec non dissertationem, *Il diritto divino e il diritto umano nella società*, *part. 2.*

reges habere tantum delegationem exercitii potestatis publicae, sed ipsam potestatem in populo residere.

Huic observationi respondetur praesumptionem cedere veritati; iamvero publicis moribus vel etiam constitutionibus obtinuit ut quando populus intendit delegare tantum exercitium publicae potestatis, non reges constituat aut imperatores, sed consules aut praesides. Optime autem populus non designat se in subiectum publicae potestatis, sed unum vel paucos, quia illud regulariter minus expedit fini sociali. Hinc praeterquam quod praesumptio cedit veritati, apparet quoque praesumendum esse populum favisse suae independentiae, quando id iuvat publicae tranquillitati et felicitati, non autem quando obstat, ut saepe fit in re nostra.

104. Ex his apparet non idem esse potestatem competere societati et competere populo seu multitudini; competit enim societati formatae, ideoque postquam multitudo coaluit et designatum fuit subiectum potestatis socialis. Hinc potestas est in societate, sed non necessario in multitudine; sicut virtus visiva est in homine, non tamen in universo corpore; potestas tamen civilis instituta est et collata in bonum multitudinis seu corporis socialis, sicut virtus visiva data est oculis in utilitatem totius corporis. Haec pro quaestionis praestantia de hac materia indicare iudicavimus.

§ 6.

DE DIVISIONE POTESTATIS SOCIETATIS PERFECTAE IN SUOS.

105. Divisio publicae potestatis ceteris praeferenda est in legislativam, iudicialem et executivam. Oportet enim 1° normam dare communitati obligatoriam, ut socii finem socialem operando consequantur; quod per potestatem legislativam praestatur.

2° Oportet ius controversum in concreto dirimere, aut laesum ad poenam infligendam auctoritative declarare, quod fit per potestatem iudicialem. Hinc duplex iudicium, civile et criminale, quae divisio et in iure ecclesiastico retinetur; etenim iudicium dicitur civile, non attenta auctoritate iudicante sed materia iudicabili. Inspecta auctoritate iudicante, in materia tum civili tum criminali, dividitur in ecclesiasticum et saeculare, prout auctoritate sacra vel profana proceditur. Potestas iudicialis legem applicat casibus particularibus concretis, quia interpretatio abstracta legis dubiae vel obscurae, spectat ad potestatem legislativam.

3° Eorum quae leges vel sententiae iudiciales praescribunt, executio curanda est; quod efficaciter fit a publica potestate, si a privatis sponte et ordinate praestari nolit aut non possit. Hinc potestas executiva.

106. Potestatis executivae partes sunt tres, idest 1° potestas gubernativa, seu regendi personas conformiter legibus; 2° administrativa, nempe curandi bona; 3° coactiva. Ius autem poenas constituendi comprehenditur sub legislativa; poenarum applicatio sub executiva; hinc de coactiva interest tractare ut de obiecto ad quod extendi potest competentia legis; nam quod lex constituta executioni demendetur, est sequela necessaria; hinc sequentibus sectionibus agemus separatim 1° de potestate *legislativa;* 2° de *iudiciali;* 3° de *coactiva.*

SECTIO II.

De potestate legislativa, speciatim.

Quaeramus totidem paragraphis 1° de notione et divisionibus legis; 2° de eius promulgatione; 3° de materia legis in genere.

§ 1.

NOTIO ET DIVISIONES LEGIS.

107. Lex definitur a S. Thoma, 1ª 2ae q. 90. a. 4. « Ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui cu- « ram communitatis habet promulgata ». Huius definitionis analysis pertinet ad ius canonicum, ideoque ut notam eam supponimus. Natura autem et limites potestatis legislativae patent ex iis quae num. 81 et seqq. exposita sunt.

108. De divisionibus legis agitur pariter abunde in iure canonico; ideoque pauca innuemus quae ad ius publicum specialius referuntur.

Lex potest praescribere actus positionem, vel omissionem; hinc leges *affirmativae* et *negativae*. Affirmativae dicuntur aliquando et *positivae*; sed hoc nomen melius reservatur legibus latis non ex necessaria rerum natura, sed arbitrio et prudentia legislatoris.

Leges *negativae* sunt aut *irritantes*, aut *prohibentes*, aut utrumque simul.

109. Ad prohibentes revocantur *permissivae*, etenim proprie prohibent molestari eum qui aliquid fecerit aut omiserit. Possunt autem rationabiliter ferri per se vel per accidens. Per se, 1° si quod permittitur sit in se honestum et fini sociali non necessarium; tunc lex positiva permissiva non est necessaria, nisi per accidens, ut si antea extitisset lex positiva prohibens, aut disputaretur de rei liceitate, aut quidam sibi immerito ius impediendi tribuerent. 2° Rationabiliter quoque per se permittitur quod est inhonestum sed alienum a fine et sphaera socialis actionis, ex. gr. ordinis superioris; puta fidei non susceptio est res inhonesta, sed auctoritas socialis civilis aut ecclesiastica nequit cogere infideles, etsi mala conscientia maneant in infidelitate,

ad fidem suscipiendam, quia auctoritas Ecclesiae non fertur in eos qui foris sunt; civilis fertur in eos sed pro sua sphaera civili; atqui religionis susceptio non est huiusmodi. Ergo fidei susceptio non cadit sub competentia auctoritatis civilis aut ecclesiasticae.

Per accidens lex permissiva rationabiliter fertur, si quod permittit sit in se inhonestum et fini sociali nocivum, sed maiora mala ex eius prohibitione haberentur; tunc lex dicitur potius tolerans et obligat inferiores magistratus et etiam privatos ne privata auctoritate impediant caeteros ab abusu suae libertatis; privatus enim male agit si sibi usurpet auctoritatem super alios quam non habet, cum publica potestas expedire non putaverit hunc abusum compescere. Excipe nisi privatus habeat titulos speciales; ex. gr. dominus in servum, pater in filium quaedam potest quae tamen lex non potest, vel saltem non sibi vindicat; puta pater recte puniret ebrietatem in filio, etsi lex civilis eam non puniret in cive.

Igitur lex permissiva, puniendo violatores libertatis aliorum, punit auctoritatis usurpationem, et quando est per se, protegit libertatem individui, non autem abusum prout talis est; ex. gr. etsi infidelis teneatur suscipere fidem, tamen ius habet ne ad hoc cogatur, cum fides sit suscipienda sponte; ergo ius habet ut protegatur eius libertas, quamvis ipse ea abutatur; etiam tunc lex protegit aliquod bonum seu libertatem personalem et personae dignitatem.

§ 2.

DE LEGIS PROMULGATIONE.

110. Lex nequit esse formaliter norma agendi pro communitate, nisi eidem intimetur. Ad hoc requiritur

1° ut proponatur ab eo cui ius est societatem dirigendi ad suum finem; 2° manifestetur societati; 3° tamquam obligatoria; quae tria nomine promulgationis indicantur, quae etiam dicitur forma legis. In hoc autem quod proponitur societati, lex differt a praecepto quod respicit individuos; sed est differentia pro obligatione morali et iuridica, accidentalis; sicut enim superior societatis directe et primario curat societatem, ita indirecte aut saltem secundario per potestatem executivam curat et singulos; nisi enim singuli curarentur et aliquando directe licet secundario, ipsa societas non procederet, quia societas separata ab omnibus singulis est aliquid abstractum.

111. Ex his facile deducuntur plura corollaria. I. Promulgationem esse rite factam si eiusmodi sit ut moraliter ad omnes diffundi legis notitia potuerit; id expresse docet Innocentius III *in cap. I. tit. 5 de Postulatione Praelat. lib. 1. Decret.* Intimatio autem personalis necessaria non est, imo regulariter in magna societate esset impossibilis. Subditi autem habent obligationem procurandi sibi notitiam legum, cum ius legislatoris et obligatio subditorum sint correlativa. Hinc Reg. XIII. Iuris in 6.° « Ignorantia facti, non « iuris excusat ». Hinc sequitur primam legis manifestationem oportere esse authenticam, seu factam iussu legislatoris et ita ut appareat eius voluntate esse factam; sed eius propagatio necesse non est sit officialis; sufficit deducat in certam notitiam factae authenticae promulgationis.

II. Lex obligat et successores in societate; cuius rei et alia ratio est, quod fertur in societatem quae est persona moralis quae eadem est etsi mutentur paullatim individua, sicut domus censetur eadem etsi paullatim mutentur eius partes; sed societas prout talis

non modo censetur sed est eadem, eadem nempe persona moralis quamvis constans diversis membris physicis.

III. Sufficere promulgationem in una civitate aut loco ex quo ad alia loca moraliter derivare possit notitia factae promulgationis, nisi ipse legislator aliud caveat. Quae sedulo sunt animadvertenda; etenim non modo in aliquibus regnis posset vi impediri ecclesiastica promulgatio, sed tempore persecutionis neque solemnitates consuetae servari possent, ex. gr. si summus Pontifex esset captivus.

IV. Sequitur, quod maius est, legem obligare ante acceptationem subditorum, imo et ipsis repugnantibus; iuri enim praecipiendi quod legislatori competit, respondet obligatio obediendi in subditis.

§ 3.

DE MATERIA LEGIS IN GENERE.

112. Lex oportet sit honesta et utilis ut sit rationabilis. Ex his sequitur: I. Non esse iniustam legem quae offendat ius ceteroquin vigens, sed eo in casu vigere desinens ex conflictu cum iure maiore; ex. gr. lex praecipiens bellum laedit vitam singulorum ad quam ius de se habent, sed cum adsit conflictus cum bono publico, eidem tenentur renuntiare.

II. Lex rationabilis cum lata est, potest fieri irrationabilis, idest vel inhonesta vel inutilis, ex circumstantiarum mutatione; tunc abroganda est vel ei derogandum.

III. Si quae lex sit societati utilis, sed aliquibus minus utilis vel etiam nociva, potest vel debet dispensari.

113. Constituta potestate societatis perfectae, constitutum est principium quo possit iudicium ferri de singulis obiectis; etenim videndum est an attentis con-

cretis conditionibus societatis, sint utilia vel necessaria fini sociali, et an superioris ordinis sint. Haec applicatio a nobis fiet loquendo in specie de potestate Ecclesiae, cum eius finem perspectum habebimus. Totum enim ius legislativum in eo consistit ut animadvertat ex una parte naturam finis socialis, ex alia naturam sociorum, et proinde media accommodet utrique extremo.

114. *Scholion.* Quamvis legislativa potestas competat modo perfecto societati perfectae, tamen in societatibus vere organicis aliqualis potestas legislativa competit et minoribus societatibus, intra limites legislationis generalis, et relate ad obiectum et finem specialem societatis minoris. Ideo enim sunt vera organa quia habent sphaeram actionis suae quamvis sub vigilantia et dependentia maioris; sub dependentia, quia haec quaedam sibi reservat vel ei sunt reservata ab ipsa natura, ea nempe quae afficiunt statum societatis perfectae; sub vigilantia, quia haec invigilat ne illa in suo ordine abutatur sua potestate; hinc competentia legislativa huius pendet a fine particulari eiusdem, et non attingit quae spectant ad finem generalem et ad relationes inter partes societatis perfectae.

SECTIO III.

De potestate iudiciali, speciatim.

Duplici paragrapho, 1. enucleamus naturam potestatis iudicialis; 2. adumbramus criteria praecipua pro recto eius exercitio.

§. 1.

ENUCLEATUR NATURA POTESTATIS IUDICIALIS.

115. Potestas iudicialis est ius declarandi seu proponendi modo obligatorio, quaenam subditorum actio-

nes in concreto sint iuri conformes, quaeque eidem difformes, et effectus legittimos eiusdem conformitatis aut difformitatis; idest ius declarandi applicationem legis seu effectuum legis, actionibus subditorum. Hinc tria in iudicio distinguuntur: 1° iudicium circa rectum sensum legis; 2° circa naturam facti; 3° circa relationem facti ad legem, in cuius declaratione consistit sententia: 1um iudicium est theoreticum et mere iuridicum; 2um mere empiricum; 3um est mixtum, idest empirico-iuridicum.

116. Potestas iudicialis societatis perfectae differt a potestate arbitrorum voluntariorum et arbitratorum; arbitri enim voluntarii et arbitratores sunt personae electae a contendentibus, ideoque 1° tantum invocati interveniunt, et sicut ius iudicandi datur eis ex pacto, ita modum iudicium exercendi pendet ex pacto, et ex voluntate reciproca contendentium retractatur vel modificatur. E contra societas intervenit iure suo et eum modum servat quem expedire iudicaverit, nec limites agnoscit eius ius nisi quos iustitia et ipsa rei natura ac necessitas determinant.

117. 2° Arbitri non habent vim cogendi socios ut stent ipsorum sententiae, sed tantum pollent vi directiva, cui partes tenentur stare ex pacto; sed si eis placeat a pacto recedere, in ipsorum potestate est. Generatim tamen leges civiles et canonicae cogunt alterutram partem ad servandum *laudum* arbitrorum et arbitratorum si altera urgeat; e contra societas perfecta iudicat cum potestate propria exequendi sententiam.

118. In societate nemo est iudex in causa propria, principe excepto, seu eo qui auctoritate suprema pollet. Et sane 1° cum ius competens membris quatenus talia sunt, statuatur a lege, cumque munus legem declarandi ad eiusdem auctorem spectet, et lex sit

quid publici, non singuli privati sed socialis potestas dirimit controversias quae inter socios oriantur, in ea materia in qua sunt adsociati; hinc ipsa declarat conformitatem actionum cum lege; et proinde si societas sit civilis non iudicat de iure Ecclesiae, nec viceversa per se loquendo.

2.° Si iudicium spectaret ad privatos, aeque spectaret ad utrumque contendentem; sed tunc cum polleant eodem iure, nemo praevaleret; hinc essent respective independentes; et tunc si media pacifica non sufficiunt ad partes concordandas, non superest nisi bellum, idest quod quisque vi mediante prosequatur quod putat esse ius suum, cum non teneatur stare iudicio alterius. Sed bellum solvit societatem, cum auferat mutuam conspirationem ad bonum commune. Ergo nequit dari inter socios prout tales sunt.

119. A regula enunciata excipitur *princeps*; ipse enim non est aequalis sed superior ceteris; hinc iudicat suas controversias ut persona publica, non ut privata; alii nequeunt ei bellum indicere, cum non sint aequales. Tamen valde expedit et apud omnes civiles populos in usu est, ut princeps suas privatas causas non ipse iudicet, sed iudicibus delegatis committat, qui proinde suprema potestate delegata procedunt, et oportet princeps eis veram perfectamque libertatem relinquat.

120. Sicut autem in societate perfecta est perfecta potestas iudicialis, ita et in societate imperfecta sed aliquatenus autonoma est potestas iudicialis; tantum autem porrigitur potestas iudicialis, per se loquendo, quantum legislativa; dixi per se, idest nisi superior auctoritas det maius vel minus ius. Etenim quisque iudicat de iis quae praescribit; qui enim ius habet praescribendi media, ius habet exigendi eadem adhiberi; hinc 1° determinandi sensum legis et modum applica-

tionis eiusdem singulis factis: « Unde enim ius prodiit, « interpretatio quoque procedat » legitur in cap. *inter alia*, 31. *de sententia excommunicationis;* 2° ius habet inspiciendi an facta respondeant legi; hinc cognoscendi et iudicandi de factis ipsis, ut sententiam proferat de eorumdem convenientia aut difformitate cum lege, ideoque declarat quaenam legis dispositiones, seu praemia aut poenae sint eisdem applicandae, vel quaenam iura sint acquisita. Igitur per se competentia potestatis legislativae determinat competentiam potestatis iudicialis.

§ 2.

ADNOTANDA PRO RECTO EXERCITIO POTESTATIS IUDICIALIS.

121. Sicut ex natura et fine legis deduximus praecipuas eius proprietates et normas a legislatore prae oculis habendas in iisdem constituendis, ita et pro iudiciali potestate praestabimus, in eorum praesertim commodum qui iuri tantum ecclesiastico operam dant; idem in sequenti articulo quoad potestatem executivam.

Cum scopus potestatis iudicialis sit ut ius controversum determinetur, et ius violatum reparetur, patet reduci ad veritatis et iuris victoriam; sed ut iuris victoria socialiter habeatur, oportet innotescat iustitia sententiae evidenter ipsi communitati. Ut enim aiebat S. Paulus de iis maxime qui officium publicum gerunt, oportet iusti sint non modo coram Deo, sed etiam coram hominibus. Hinc legislator curare debet I. ita iudicia institui ut veritas facile et tuto appareat iudicibus; et quoniam plus vident oculi quam oculus, pro gravioribus negotiis tribunalia collegialia institui solent.

II. Appareat evidenter iustitia iudicum societati; primum quod recensuimus est essentiale; hoc alterum est

secundarium, tamen magni adhuc momenti. Id quamdam iudiciorum importat publicitatem atque solemnitatem ut non modo legisprudentes adsistere valeant litigantibus, eisque proponendi sua argumenta ac respondendi libera sit facultas, sed praesertim in iudicio criminali, testium et probationum valor contradictioni accusati exponatur, et cognitionem publicam directe vel indirecte (ut cum scriptae probationes communicantur) non effugiat. Solemnitas autem tendit tum ad reverentiam popularem, tum ad cautelas quasdam inducendas. Id per modum regulae; si enim incolumitas socialis de publica cognitione aliter aliquando consulat, faciendum est; est enim salus populi suprema lex, salvo iure superiore. Hinc si publicitas et solemnitas obstet securitati publicae, ex. gr. si testes inveniri facile non possent timore perversorum, tunc sufficiat curare iudicibus certo rem innotescere; quoad publicam fiduciam supplebit notoria iudicum integritas, ut praesertim fit in re ecclesiastica, in qua facilius procedi potest secreto et summarie, etiam ex natura poenarum quae infliguntur; sunt enim reparabiles; et deinde datur appellatio saltem in devolutivo ad summum Pontificem, ut in suspensionibus ex informata conscientia. Deinde aliae cautelae non desunt; de quibus vide cap. ult. de Haereticis in 6., nec non Eminentissimum Hergenroether in suo opere germanico, *Ecclesia Catholica et Status christianus in sua evolutione historica quoad praesentis temporis quaestiones dissert. 16. p. 2. n. 5.* (1).

Ad hanc etiam libertatem testium ordinatur reorum graviorum criminum custodia, non modo ne fugiant et subtrahant se iudicio.

---

(1) Vide versionem italicam, Parma Fioccadori, 1878, vol. 3.

III. Sed non tantum oportet iudicia ita instituantur ut facile pateat veritas, sed etiam cum possibili minimo incommodo eius cui ius est. Siquidem et hoc iniquum est, ius non posse absque difficultate locum suum tenere.

IV. Cum societas numerosa est, impossibile est omnia iudicentur a suprema potestate; hinc necessitas instituendi iudices inferiores, quibus minora demandentur, reservatis maioribus principi eiusque assessoribus, quibuscum ad maiorem securitatem iudicat. Hinc necesse est princeps non modo ita instituat iudiciorum agendorum rationem ut facile veritas appareat iudicibus, sed etiam ut difficile ex malitia iudicum pervertatur iudicium, ad quod iuvat tum publicitas de qua supra, tum collegialis natura tribunalium pro negotiis maioris saltem momenti, tum maxime

V. Ius appellationis ad tribunalia superiora et tandem ad supremum cui ipse princeps praesidet. Quae appellatio et faciliorem reddit veritatis cognitionem. Tamen pro minimis negotiis non solet concedi, quia plus noceret reipublicae quam iuvaret.

VI. Cum iudicium constet I. iudicio theoretico circa legis sensum et rectum applicationis modum; II. ex iudicio empirico circa factum, ex quorum comparatione fertur sententia, oportet utrique provideatur per rectam institutionem tum scientificam tum forensem iudicum. Sed oportet praeterea ad cognitionem deveniant auctoritatis iura controversa et, maxime, violata; hoc fit analogia factorum, ex sensibilitate sociali, sicut a sensibilitate individuali oritur cognitio facti individualis, dum iudicium theoreticum fit a mente. Igitur oportet *a*) libera sit facultas privatis tum accedendi ad tribunal ob ius controversum, tum ob ius violatum; hinc et ut defendantur ab iniuriis adversa-

riorum et delinquentium, et etiam ut pauperes adiuventur quatenus habeant defensorem ex officio et immunitatem a taxis iudicialibus. *b*) Quoniam non semper facile est sint criminum accusatores quia hoc spectat ad bonum publicum, et non ad privatum, de quo maxime privati solliciti sunt, oportet socialis potestas invigilet ex officio ut facile possit crimina cognoscere.

VII. Ut sententiae sint efficaces et civium fiduciam mereantur, consulendum est promptae et integrae earumdem executioni.

SECTIO IV.

De potestate executiva speciatim.

122. Circa potestatem executivam cum nemo negaverit ceteras eius partes, et tantum de coactiva vel de ea gubernatione quae ad eam accedit, errores plurimi fuerint maioresque quaestiones, de his diligentius loquendum est, et totidem paragraphis quaerendum 1. de existentia et natura potestatis coactivae; 2. de iure praeventionis; 3. de iure censurae; 4. de regimine urbano; 5. de crimine; 6. de poena; 7. de iure veniam concedendi; 8. de vi armata; 9. scholion, de unitate supremae potestatis, eiusque unico subiecto.

§ 1.

EXISTENTIA ET NATURA POTESTATIS COACTIVAE.

123. Potestas coactiva est *ius vim physicam adhibendi in personas ad consecutionem finis socialis.*

Propositio. — *Competit societati perfectae potestas coactiva in suos.*

Et sane competit societati perfectae ius adhibendi media proportionata natura sua ad sui finis consecu-

tionem; iamvero finis obtinetur primo, praescribendo haec media sociis ut ea sponte ponant, et ab eis exiguntur iure, si rationis usu polleant. Sed deficiente bona sociorum voluntate, vis est unicum medium natura sua proportionatum ad sui finis consecutionem; etenim media non alia sunt nisi moralia aut physica; moralia quae rationi ostendunt necessitatem agendi, et voluntati hanc moralem seu rationalem necessitatem imponunt; id praestat efficacissimo modo lex generaliter, et sententia iudicialis ac praeceptum magistratus pro particularibus negotiis et personis; physica consistunt in vi, quae et ponit media quae erant ponenda, et removet obstacula quae erant non ponenda, et reordinat ordinem laesum. Iamvero vis est medium unice idoneum ad procurandum finem socialem, deficiente bona sociorum voluntate. Haec vis semper est physica sive sit materialis sive spiritualis, dummodo sit vis externa socialis; etenim hic physicum non opponitur spirituali, sed morali, quod consistit in obligatione cui voluntas potest resistere. E contra vis physica est necessitas cui voluntas nequit resistere, ideoque obtinet effectum suum etiam invito subdito. Cum igitur vis sit medium unice idoneum fini obtinendo, posita mala sociorum voluntate, est proinde medium necessarium.

124. Sed insuper est medium de se proportionatum; oportet enim media sint natura sua proportionata fini ob quem adhibentur; hinc non licet vim fraude et dolo malo supplantare vel calumnia, aut veneno. Vis in re nostra est medium proportionatum quia duo praestat: 1° ponit media quae et invitis sociis possibile est ponere; ex. gr. dat bonorum possessionem; et 2° socios ex invitis facit volentes. Voluntas enim quae rationibus non flectitur, suadetur poena; et hoc dupliciter: I. antecedenter; nempe timore poenae incurrendae,

praestantur ea quae secus non praestarentur; II. consequenter, ad maiores poenas vitandas, cum experti sumus poenas praesentes. Iamvero vis est medium proportionatum, idest natura sua idoneum et ordinatum ad hos effectus producendos; de 1° patet; sed et de 2° ; etenim est in natura voluntatis ut moveatur appetitione felicitatis sive ad ea procuranda quae eam conferunt, sive ad vitanda contraria; igitur cum vis privationem alicuius boni inferat et causet aliquem dolorem sive ordinis materialis sive spiritualis et socialis, movet proinde voluntatem natura sua, ut sponte quaedam ponat et quaedam omittat. Igitur vis quae de se est elementum non rationale, fit rationalis per quamdam participationem et extensionem, cum rationi inservit, ideoque illi ordini exequendo quem ratio praescribit; est enim ex rationis praescripto proprium vis physicae ut a voluntate iusta regatur; regitur autem a iusta voluntate, cum a superiore adhibetur ad compellendas sociorum iniustas voluntates aut quomodocumque ad ordinem servandum, aut violatum reparandum.

Multo autem magis apparet vim rationabiliter, ideoque iure adhiberi cum vi iniustae vis iusta opponitur; etenim vis vi repellitur; ideoque sociis attentantibus vi sua privata ordini sociali, vis ipsa socialis opponitur ut a nocendo impediantur.

125. Confirmatur propositio. Inutilis esset potestas legislativa et iudiciaria sine coactiva; etenim perversi homines non praestarent quae lege, praecepto vel sententia essent praescripta. Igitur oportet societas polleat et vi coactiva tamquam sequela potestatis legislativae et iudicialis.

126. Ex his patet fundamentum iuridicum seu titulus seu ratio ex qua oritur ius vis coactivae ; est enim necessitas tutelae ordinis socialis et vis physicae pro-

portio, eidem tutelae, ne finis socialis consecutio fiat impossibilis ex toto vel ex parte. Tutela autem ordinis in eo est quod 1° defendatur ab impugnantibus seu conantibus eum turbare, et 2° executioni mandetur et invitis sociis, aut ipsi ex invitis fiant volentes, aut 3° iam violatus reparetur.

Item patet in quas personas vis coactiva exerceatur, idest in omnes a quibus laeditur ordo socialis, vel in discrimen vocatur.

§ 2.

IUS PRAEVENTIONIS.

127. Societati ius quoque est praeveniendi laesionem, non modo eam repulsandi in actu aggressionis vel eam reprimendi: possumus enim tria considerare: 1° praeventionem ab attentatione, 2° defensionem in actu aggressionis, 3° restaurationem laesionis consummatae.

Etenim I. sunt quaedam bona quae semel laesa restaurari nequeunt; ita vita, membra mutilata, et multo magis animorum innocentia; cum ergo societas ius habeat haec bona sociis suis conservandi, cumque saepius defendi non possent in actu aggressionis, puta ex inopinata aggressione, patet eorumdem laesionem esse praeveniendam, idest eas cautelas ius est societati constituendi quae necessariae sunt vel utiles ut hae aggressiones vel non fiant, vel raro; hinc arma non indiscriminatim permittuntur, nec in societate ecclesiastica lectiones librorum malorum. Imo saepe magistratibus ius tribuitur interveniendi auctoritate et prudentia sua, cum casus inopinati, vel specialia rerum adiuncta id requirant. Praeventio est rationabilis, quia est de se medium proportionatum ad bonorum

conservationem; iamvero qui habet ius ad finem, habet ius et ad media proportionata; sed salvo ordine finium; hinc non debent ad delicta praevenienda, maiora bona impediri aut tot cautelae poni, ut nimis arcta sit libertas sociorum; est autem nimis arcta cum legibus ita opprimuntur ut activitas languescat; abstinebunt enim a malis quibusdam, sed et nihil boni aggredientur. Oportet insuper delicta praeveniantur minori quo fieri possit sociorum incommodo.

II. Sunt alia bona quae restitui possunt, sed cum difficultate, unde Leo III. in Epistola I. ad Metropolitam Illiriae (apud Labbaeum) ait: « Cautius usur-« pationibus antequam tententur obsistere, quam quae « usurpata fuerint vindicare ». Vel restitui possunt, tantum cum incommodo partis laesae, ut honor laesus ex libello famoso; igitur delictum praeveniendum est ne discrimini exponatur ordo publicus vel ne innocentes inutili vexationi subiiciantur. Sunt autem quaedam bona quae restitui possunt, sed non semper a delinquente; ex. gr. si incendio doloso a paupere patrato pereat aliquid. Et tandem semper laesus fuit ordo moralis publicus, etsi ordo materialis fuerit reintegratus; interest autem impedire laesionem publici ordinis moralis, cum bonum morale sit excellentius inter bona cuiusque societatis.

§ 3.

IUS CENSURAE.

128. Doctrinae propagatio unum est ex negotiis quod sub praeventione cadere potest. Etenim attenta hominis conditione in concreto et maxime populi, nec omnes idonei sunt sophismatibus dissolvendis, nec pravis cupiditatibus quae excitantur valent omnes resistere.

Ergo si error et deceptio haec non praeveniatur, frustra quis curabit eam evellere postquam radices egerit. Hinc fluit ius censurae in iis quae typis publice eduntur. Id praesertim valet in Ecclesia quae ut suum directum obiectum habet doctrinam. Sed servata proportione obtinet et pro societate civili.

129. Contra ius censurae opponunt fautores libertatis typicae impressionis (libertà di stampa), errorem esse rationibus confutandum; hoc medium unice esse accommodatum indoli mentis humanae.

Resp. Si omnes pollerent ingenio sufficienti et recta voluntate immuni a quavis mala inclinatione, concedi posset; sed cum haec in concreto non verificentur, oportet errandi occasionem removere, ideoque errorem non modo directe impugnare rationibus, sed et indirecte. Quamvis autem confutatio doctrinalis sit medium proportionatum ad scientiam gignendam, non est semper proportionatum ordini sociali servando; nos autem agimus de salute societatis, non de scientifica institutione.

130. Obiiciunt 2. Unusquisque ius habet bonum publicum procurandi prout suppetant vires, quod maxime fit per doctrinae, quae vera iudicatur, propagationem.

Resp. Unusquisque hoc ius habet servata hierarchia sociali conc., secus nego; alio enim modo ad publicum bonum concurrunt privati, et alio modo socialis auctoritas; illi debitam subordinationem servent oportet.

131. Obiicitur 3. Ipsa socialis auctoritas errare potest; ergo saltem extra Ecclesiam ius censurae non adest. Conc. antecedens, nego consequens. Etenim si haec ratio valeret, tunc nec leges ferre posset in aliis materiis. Probat tantum tria: 1. socialem auctoritatem teneri subiicere se auctoritati infallibili, in iudi-

cando, si adsit; 2. ab hac praescindendo non posse aliquid exigere quod non sit evidens sensui communi, saltem peritorum; 3. si excedat, haberi incommodum per accidens in hac materia, sicut et in ceteris.

§ 4.

DE REGIMINE URBANO.

132. Necessitas praeveniendi delicta, et simul ipsorum auctores facile detegendi, postquam patrata sunt, importare potest in societate institutionem quamdam specialem quae italice ex graeca voce dicitur *polizia*, latine autem *regimen urbanum*. Iamvero media quibus utitur haec institutio, ut sint efficacia oportet ut plurimum sint secreta; hinc huius institutionis periculum ne eius officiales abutantur potestate sua; hinc etiam facile fit populis invisa, cum ipsum secretum, locum facile det calumniis; deinde apparent onera quae imponit, sed non sic apparent utilitates quas affert, cum maior utilitas sit negativa, idest ipsa tranquillitas socialis.

133. Verum ad abusus vitandos oportet 1° officiales sint electissimi; 2° maiori poena plectantur si abutantur; 3° severior in ipsos sit vigilantia; 4° actio socialis praeservatrix regulariter ad actiones tantum ordinis publici referatur; haec enim sunt obiectum publicae activitatis; 5° sed exceptionaliter et in interna oeconomia privatorum sese immiscere valet, dummodo ex exterioribus indiciis appareat necessitas huius interventus; 6° secretum servandum donec auctor delicti detectus eiusque probationes fuerint collectae; sed postea sufficienti publicitate actus donandi sunt, ut supra diximus de iudiciali agentes potestate.

134. Actio socialis praeservatrix praesertim in eos fertur de quibus, certitudine quadam morali, iudicari

potest eos esse ordinem publicum turbaturos; ita vagi, otiosi, qui alias crimine fuerunt coinquinati etc., de quibus speciales leges condi possunt.

135. Coactiva autem praeservatrix potestas et in eos fertur qui societati ex naturae vitio nocere possunt, ut sunt furiosi, pestilentes et his similes. Hos enim societas custodit vel removet, sicut cetera impedimenta physica, ex. gr. feras, salva tamen dignitate humanae personae.

136. Sed praesertim coactiva potestas in poenis decernendis applicandisque manifestatur. Dico *decernendis;* etsi enim id fiat legislativa potestate, tamen ad coactivam referendum est, quia supponit in societate potestatem poenas vere applicandi inferendique. Igitur videamus 1° quid sit crimen, 2° quid poena, et 3° quaenam socialis potestas in poenis intimandis; de quibus tamen breviter cum in iure criminali ex professo de his sermo instituatur.

§ 5.

DE CRIMINE.

137. Crimen est *actio vel omissio iniusta, auctori suo imputabilis, socialem ordinem turbans.* Dicitur *imputabilis;* etsi enim coactiva potestas possit custodire eos qui naturae necessitate socialem ordinem turbant, non tamen eos punire potest, quia nulla in eis est culpa. Dicitur 2° *turbans ordinem socialem;* ex quo apparet differentia inter peccatum et crimen seu delictum; illud turbat ordinem moralem simpliciter, hoc ordinem moralem socialem; auctoritas enim socialis non est per se simpliciter custos ordinis moralis, sed socialis; hinc non considerat peccata quae ordinem socialem nullo modo turbant.

138. Sumimus crimen et delictum ut synonima; imo sub nomine delicti, servata proportione, comprehendimus et *quasi-delictum*. Quo nomine venit *actio iniusta turbans socialem ordinem, imputabilis, non ex dolo qui defuit, sed ex culpa iuridica;* idest *ex omissione debitae diligentiae*. Etsi enim in iure criminali et in poenis proportionandis, sit distinguendum inter delictum proprie sumptum, quod procedit ex dolo, et quasi-delictum, tamen sub ratione generica conveniunt. Quot autem species ordinum socialium, tot sunt et criminum, et praecise civile et ecclesiasticum; hinc diverso criterio utrumque iudicatur ex diversitate ordinis seu finis quem laedit.

139. Ex his sequitur I. non esse delictum peccatum mere internum; neque si manifestetur postquam commissum est, nisi de societate agatur cuius finis est ipsa moralis personae institutio in sanctitate; tunc enim laedit ordinem socialem ipsa manifestatio peccati interioris.

Sequitur II. propagationem doctrinae ordinis socialis subversivae, esse delictum, ideoque merito puniri. Doctrina enim est quae homines ad operandum impellit, ideoque doctrina impellens ad ordinis subversionem, est causa eiusdem subversionis; id praestat menti errorem captiose proponendo et voluntatem inordinatis affectibus movendo; est autem quid externum; ergo est delictum.

Sequitur III. conatum externum ad delictum esse delictum quamvis minus delicto consummato. Propositio habet duplicem partem: 1° Conatum externum esse delictum; est enim *actus exterius dolosus apparens, ad consummationem delicti tendens*; hinc incipit ordinem socialem turbare, et illum vere turbat, si non physice saltem moraliter. Hinc non est conatus actio mere

indifferens, sed oportet vel per se vel per accidens ordinem dicat exterius delicto. Proinde non sunt audiendi qui attentatus delictorum impunitos vellent, ideo quia nullum malum ex eis provenit; etenim saltem adfuit turbatio moralis exterior ordinis socialis, quae et illud facit ut horrorem delicti imminuat, ideoque ceteros ad delinquendum procliviores faciat.

2° Diximus conatum esse delictum minus quam crimen consummatum; haec propositio aliquos iuristas contradictores habuit; aiebant enim illum qui conatum posuerat, iam manifestasse propositum delicti patrandi; sed voluntas peccandi est peccatum eiusdem speciei ac ipsa patratio peccati; etenim actio exterior non mutat speciem actus, sed tantum accidentaliter eum aggravat. Sed omissa quaestione morali de identitate specifica actus interni et externi, quae quamvis vera ad rem non est, certum est actum externum convertere peccatum in delictum; nos autem de hoc quaerimus; et etiam moralistae docent actum externum maiorem solere praeseferre malitiam, cum in peccandi proposito voluntatem magis obfirmatam ostendat. Solet autem evenire saepe eum qui peccatum proposuit, deterreri ab eo consummando, quia realitas plus terret quam idealitas; ita sanguinis effusio deterret animum non omnino depravatum.

Iamvero certum est merum peccandi propositum non turbare ordinem socialem; turbari vero a conatu; sed minus quam a delicto consummato.

140. Quid autem de delicto praeterlapso, seu frustrato, cum nempe casu stetit ne delictum consummaretur, positis de cetero a delinquente omnibus necessariis, ut si ictus ex inopinata causa diverteretur? Applicanda est crimini praeterlapso eadem ratio ac vero conatui, nempe puniendum esse sed aliquanto

minus ac delictum consummatum; defuit enim damnum, quamvis nonnulli repugnent, quia hic delinquens posuit exterius omnia media idonea ad delictum consummandum, dum merus conatus non importat media omnia. Sed a primis addi etiam posset ratio oeconomica, ut nempe erranti semper locus sit poenitendi cum aliqua utilitate; secus si primus ictus incassum feriret, delinquens nulla utilitate alliceretur ut a secundo abstineret.

§ 6.

DE POENA.

141. Poena generatim sumpta est *malum passionis ob malum actionis*. Inspici potest vel sub respectu morali, vel sub respectu sociali; prima sub consideratione afficit peccatum et Deum auctorem habet, nisi voluntarie fuerit ei satisfactum; sub secunda afficit delictum et infertur a potestate legittima. A nobis consideratur sub respectu sociali et sic definitur: *malum physicum delinquenti infligendum a legittima potestate ob ordinis perturbationem quam in societate delictum induxit*. In hac definitione nomine mali physici intelligitur privatio cuiuslibet boni subiectivi, excepta voluntatis rectitudine, sive agatur de bono materiali, sive sensibili, sive spirituali, ut babetur in censuris, sive sociali, ut est privatio bonae famae et iurium socialium adnexorum.

Hinc non consideramus *poenas conventionales*, quas paciscentes sibi mutuo promittunt, si conventionibus non steterint. Neque *poenam civilem*, quae est reparatio damnorum privatis illatorum, a iudice indicta; consideramus enim ordinem publicum. Iamvero de poena plura inquirenda sunt: 1° de iure societatis perfectae

eam inferendi; 2° criteria fundamentalia innuenda erunt pro recta poenarum constitutione.

I.

De iure societatis perfectae poenas inferendi.

142. Quoad I^um^ quaeritur an societati perfectae sit ius poenas inferendi. Et respondetur affirmative. Ad illud enim ius habet quod est necessarium et proportionatum ad eius finis consecutionem. Atqui huiusmodi sunt poenae. Et sane: cum horror mali moralis est ex hominum malitia insufficiens ad eos in officio continendos, non aliud superest quam ad illationem mali physici recurrere. Ergo poenae illatio est necessaria; sed est etiam proportionata, quia voluntas ex natura sua movetur maxime ex bono subiectivo. Iamvero lex per poenae comminationem homines deterret a delinquendo. Cum enim homines ad delinquendum moveantur inordinata appetitione alicuius boni subiectivi, spreto bono obiectivo seu morali, lex comminando aliud malum subiectivum aequale vel etiam maius, vincit pravam inclinationem voluntatis; igitur poena ante delictum est praeservatrix et sic sancit legem, seu eam firmat, efficaciamque ei impartitur ad hominum voluntates movendas. Quod si nihilominus praevaleat pravus affectus et admittatur delictum, tunc delinquens legi iniuriam irrogat et fit debitor poenae, quam oportet applicare, quia antecedens eius efficacia ex eo pendet quod vere applicetur data legis transgressione. Et sic poena fit expiatrix vel etiam emendatrix quoad patientem, et respectu eius fit vindicativa ex parte societatis poenam inferentis, et exemplaris quoad ceteros.

143. 1° Est de se emendatrix, si patiens emendationis adhuc capax sit. Cum enim inordinata appetitione

boni subiectivi legem violaverit, ex malo subiectivo per poenam illato, removetur eius affectus a delicto.

2° Est expiatrix sive corrigatur, sive non; cum satisfaciat iustitiae morali et sociali. Morali quidem; ille enim qui peccavit, necesse est poenitentiam agat sponte aut invitus. Est enim veritas sensus communis, virtutem meritum gignere et praemio dignam esse; vitium demeritum progignere et poena multandum esse. Cuius rei fundamentum in ipsa rerum natura est. Oportet enim bonum delectabile sit sequela boni honesti, et e contra miseria sit sequela mali moralis, ut ostenditur ex professo in ethica, et innuemus inferius in secundo argumento num. 146.

144. Sed praeterea per poenam satisfit societati. Qui enim deliquit societatem offendit et eius ordinem turbavit, indebitum sibi usurpando bonum; hinc fit debitor poenae. Per poenam igitur satisfacit societati et proportionatum sustinet malum; hinc reparat expiatione laesionem ordinis socialis.

3° Haec mali tolerantia ex parte patientis considerata dicitur expiatio, cum male habet quia male egit; considerata autem ex parte societatis laesae, poenae illatio fit vindicativa iuris laesi. Male enim infertur quia male actum est; sed scopus legis humanae non est satisfacere legi morali simpliciter, aut violatum ordinem moralem simpliciter vindicare, id enim ad iustitiam Dei spectat, sed illum vindicare tantum prout requirat finis socialis, seu societatis incolumitas.

4° Tandem poena fit exemplaris respectu ceterorum sociorum, quia intuitu poenae quam delinquentem sustinere cernunt, deterrentur ab eo imitando, sicut pravo eius facto ad delinquendum illecti fuerant.

145. Igitur poena defendit societatem ante delictum, quia a delinquendo deterret. Rursus defendit post de-

lictum, quia ceteros a delinquendo removet, et ipsum delinquentem ab aliis delictis retrahit. Poenae autem graviores et ulterius solent defendere societatem, quatenus delinquentem collocant in impossibilitate nocendi, vel in perpetuum, ut poena capitalis et carcer ad vitam, vel ad tempus, quoadusque nempe praesumatur longitudine poenae, voluntatem delinquentis fuisse contritam et a delinquendo remotam.

146. Verum et ex alio capite potest plenius ius societatis perfectae poenas infligendi demonstrari. Etenim societas ius habet ordinem socialem procurandi, ideoque non modo illum inviolatum custodiendi, sed etiam violatum reparandi. Atqui id importat ius poenas infligendi. Etenim delictum impunitum est deordinatio socialis permanens. Consideremus 1° ordinem naturalem, 2° socialem. Quoad I. ex rerum natura est ut operatio recta ad felicitatem ducat, idest bonum honestum causa sit boni delectabilis; et e contra, malum morale sit causa mali subiectivi. Etenim felicitas est quies subiectiva ex possessione debiti obiecti consequens, seu ex possessione obiecti ad quod natura destinat ut vere proportionatum capacitati et indoli subiecti; potentiae enim creaturae sunt quid incompleti et imperfecti, quod tendit ex naturae necessitate ad sui perfectionem, quam in se non habet, sed extrinsecus invenit in obiectis proportionatis. Proportio autem pro creatura rationali ultimo est in Deo, et proxime in ordine ab ipso statuto seu in ordine morali. Est igitur felicitas in observantia ordinis; et e contra ordinis transgressio est de se incapax felicitatis producendae; hinc miseriam adducit, et eo maiorem quo a vero obiecto et fine longius sit erratum. Ex hoc sensus communis clamat: virtutem natura sua praemio dignam esse et vitium poena; quae vox nihil aliud est

nisi expressio naturalis necessitatis, consentaneae diversis ordinibus pro ipsorum indole.

Id verificatur in ordine naturae ex quo imperfecta sanctio habetur in hac vita, et perfecta atque aeterna in alia.

147. Ex quo apparet iustitia poenarum aeternarum, quas fides docet, et recta ratio non improbat. Hae enim poenae sunt 1° maxime praeservatrices; sed 2° nequeunt dici exemplares quia eas experientia non apprehendimus; 3° emendatrices dici tantum possunt sensu quodam improprio, quatenus nempe ipsarum timore emendamur in hac vita, dum adhuc velle et nolle superest; item 4° non sunt defensivae societatis nisi quatenus praeservatrices, quia qui eas experiuntur iam societati nocere non possunt. Sed sunt effectus necessarius peccati, cuius poenitentia acta non est. Etenim qui libere adhaesit tamquam fini suo ultimo, ei quod tale non est, potestatemque amisit voluntatis mutandae, iam est in perpetua impossibilitate assequendi felicitatem suam; sed id est desperatio absoluta, seu absoluta infelicitas. Et nota potestatem voluntatem mutandi statim auferri posse; qui enim malum semel elegit, iam ei ex se adhaesit ut fini ultimo, spreto et posthabito bono infinito. Igitur poena aeterna reparat ordinem moralem violatum ut qui libere alienum se fecit a summo bono, vere careat summo bono ideoque felicitate, et facto suo ostendat veram bonitatem eius quod sprevit et veram vanitatem eius quod elegit. Igitur poena haec perpetuo corrigit quod mala voluntas semel sed irreparabiliter deliquendo admisit.

148. II. Consideremus ordinem socialem. Sicut adest ordo moralis, ita adsunt et ordines sociales, et sicut ordo moralis procedens a natura, naturaliter continet suam sanctionem, quae a Deo eius auctore executioni

mandatur, ita et ordines sociales qui et ipsi sunt ordines morales particulares, oportet contineant suam sanctionem, quae a suis legislatoribus ordinatur et executioni mandatur.

Et sane ordo socialis proponit sibi suum bonum quod est aliqualis felicitas perfectio et quies sociorum; ad illud consequendum leges condit; igitur iustum est et rerum naturae conforme ut legum observatores eam obtineant aliqualem felicitatem quae ordini sociali respondet quantum praesens imperfecta conditio permittit, et legum violatores ea careant. Contra ordinem ergo est si legum violatores et legum observatores sint in eadem conditione respectu bonorum socialium, et magis adhuc si violatores praestent bonis prae observatoribus. Sed ordo socialis non semper de se habet efficaciam naturalem, ut eius violatio ipso facto privet delinquentem bonis quae societas custodit aut defendit; imo aliquando ipsa legis violatione usurpantur; oportet ergo efficaciae naturali quae deest, substituatur efficacia legis et iudicis. Igitur lex debet delinquentibus auferre eam tranquillitatem et felicitatem qua ceteri fruuntur. Hinc delictum impunitum est deordinatio quaedam permanens, quae proinde a custode ordinis socialis auferri debet, et aufertur per applicationem poenae delicto proportionatam. In hoc consistit criminis vindicatio, et sub hoc respectu iustitiae socialis, poena est vindicativa, seu expiatrix vel reparatrix et restauratrix violati ordinis.

149. Si simul conferamus omnia, apparet poenam post delictum esse restauratricem ordinis socialis violati, quia id obtinet 1° per emendationem rei si fieri potest; 2° per exemplaritatem ceteros a delinquendo deterrendo, qui ex malo exemplo ad delinquendum fuerant incitati; 3° per vindicationem criminis, si

sponte non fuerit reparatus ordo laesus, vel si spontanea reparatio sit insufficiens pro eiusdem defensione. Igitur poena ordinem defendit tum antecedenter tum consequenter.

150. Ex his finibus poenae, expiatorius seu vindicativus est praecipuus et magis directus ac obiectivus, si res absolute consideretur.

Tamen pro diverso societatis perfectae fine, diversa fit huius principii applicatio. Etenim 1° potest lex quaedam praecipere quae directe sibi proponunt bonum individui; tunc individuus homo ea non observando, utique laedit ordinem socialem, sed sui causa statutum, et proinde non tam laedit ordinem socialem quam individualem; lex tunc non solet poenam addere nisi ad summum voluntarie suscipiendam seu poenitentiam, et quidem privatam si peccatum non fuit publicum, ne per publicitatem poenitentiae detur scandalum quod per ipsum peccatum datum non fuerat; hinc pertinet potius ad forum internum. Ex hac poenitentia fit ut qui ordinem suum violavit, illum reparet salutariter pro se. Finis enim uniuscuiusque rei est mensura eius, seu et iuris quo gaudet, et modi quo ius exercendum est, et relationum eius.

151. II. Potest societas lege sua sibi proponere ut ordinem imponat relationibus reciprocis individuorum vel etiam familiarum, et ut ipsorum ipsarumque iura defendat. Tunc violando eas leges non tam individuus violat bonum suum, quam alienum, cuius cura et defensio societati commissa est et quae curanda est etiam si sit non salutariter pro delinquente, dummodo utile laeso. Tunc non tam poenitentiae quam merae poenae feruntur. Meram autem poenam dicimus quae vel vindictam vel saltem exemplaritatem sibi proponit ut finem directum.

152. III. In qualibet societate, quicumque de cetero sit eius finis sive bonum individuorum, sive externum commune, necessaria est partium inter se coordinatio et subordinatio publicae potestati; ideoque leges pro organizatione societatis constituenda et servanda. Hinc laesio harum legum, non offendit bonum individuale aut privatum, sed publicum, et eam lex mera poena persequi potest.

153. Haec comprehendit et tutelam societatis, quae ex rei custodia habetur, cum probabile est ordini publico cum aliorum detrimento eum rursus esse attentaturum. Custodia per se esset praeventio; sed induit naturam poenae, quia non ex naturali causa eius necessitas derivat, sed ex antecedente delicto non satis emendato.

Scopi vindicativi et exemplaris differens ratio est; nam poenae vindicativae iusta mensura est lex talionis, ut nempe quantum boni quis sibi indebite usurpavit vel usurpare conatus est, ordinem violando, tantum mali patiatur.

154. Lex talionis iusta est, quia ipsius iustitiae punitivae expressio est, cum iustitia sit ad aequalitatem habendam ordinata. Locum tamen habere potest tantum in delictis quae laedunt bona physica, sensu superius explicato num. 141; haec enim tantum possunt honeste auferri, non ipsum bonum morale; et quidem neque in bonis physicis potest semper locum habere; quid enim si quis bis occiderit? Profecto nequit ipse denuo capite minui. Cum autem applicatur considerandum est delictum non materialiter sed formaliter; sic qui in impetu passionis deliquit, minus imputabilis est ac qui ex praemeditatione, ideoque male utrique eadem poena inferretur, quia materialiter est idem delictum, sed non formaliter; nos autem formaliter re-

gulam sumimus, et qui eam impugnaverunt, materialiter eamdem considerabant, et societati cuilibet perfectae et ei quae sibi proponit finem distinctum a fine individuorum negabant ius puniendi in vindictam.

155. E contra poena exemplaris ad meram societatis defensionem, tantum punit quantum ad cives deterrendos sufficit, etsi id sit minus quam talionis lex exigeret.

156. Aliquando tamen et contrarium evenit, ut nempe ex fine exemplari plus puniatur delictum quam per se lex talionis exegisset; id fit si delictum facile imitatores inveniat, qui non amplius deterrentur poenis de cetero proportionatis; tunc enim poenae augendae sunt; sed respondent delicto in concreto inspecto, in omnibus nempe suis circumstantiis tum intrinsecis tum extrinsecis considerato; adeoque adhuc adest lex talionis, sub ampla hac significatione sumpta.

COROLLARIA.

157. Ex dictis apparet I. originem et fundamentum iuris poenalis esse ius tuendi ordinem socialem; eius autem exercitium, legittimum fieri ex verificata necessitate poenae pro eiusdem ordinis tuitione.

II. Apparet etiam finem esse conservationem ordinis ipsius, quae conservatio et eius restaurationem importat.

III. Apparet reparationem privatae personae laesae vel damnorum materialium ipsi societati illatorum non cadere sub poena; etenim ad iustitiam commutativam pertineret, non autem ad distributivam, cuius pars est iustitia criminalis.

IV. Emendatio rei non est finis poenae primarius et directus, nisi societas sibi proponat bonum singulorum ut proprium et directum finem; in quo etiam casu semper cedit bono publico; hinc cum Ecclesia illud sibi

proponat, sunt in ea poenae medicinales seu censurae. Ceterum quatenus societas sibi proponit tantum bonum publicum, ut societas civilis, non est finis directus poenae; etenim cum poenae inflictio sit functio socialis, habet eumdem finem ac socialis potestas; sed ex hypothesi socialis potestas habet pro fine bonum publicum; ergo et poena; sed correctio per se spectat ad ordinem privatum; ergo non est obiectum essentiale potestatis punitivae.

158. Notandum tamen bonum publicum quoque augeri ex bono privato, et illud in hoc directe redundare et sibi proponi ut quid secundarium et accidentale a societate. Hinc si fieri potest, et hic finis curandus est, et proinde sibi proponitur et a societate civili, quamvis ratione secundaria si eam comparemus cum societate ecclesiastica. Ceterum exaggeratio finis medicinalis poenae profecta est ab iis qui quamlibet severitatem a publica poena remotam volebant; hi solliciti erant boni privati, sed societatem expoliabant vi defensiva ab hostibus suis, et sic ut mites se exhiberent scelestis, indefensos derelinquebant honestos, cum e contra humanitas primo in probos explicanda sit.

V. Apparet in societate poenam non sibi simpliciter proponere vindictam moralis culpae; id enim spectat non ad ordinem socialem sed ad moralem, cuius legislator iudex et vindex est Deus; sed attenditur moralis laesio ordinis socialis. Tamen quia naturalis honestas est fundamentum cuiuslibet humanae societatis, hinc poena et tuitionem ordinis moralis suscipit hoc generali sub respectu, quatenus nempe est fundamentum socialis ordinis, ideoque publica scandala coërcet, et proinde semper considerat laesionem ordinis socialis; hinc punit laesionem moralis ordinis pro maiori vel minori efficacia quam ad sensum moralem et publicam conscien-

tiam pervertendam praesefert; exemplo sint publicae blasphemiae aut publica delicta contra honestatem.

159. Obiicitur ex tradita doctrina sequi puniri non posse delicta quae nequeunt renovari; etenim finis poenae est tuitio ordinis socialis; sed tueri non potest quod semel violatum, nequit denuo violari.

Resp. tuitionem ordinis socialis respicere 1° transactum, quia poenae comminatio deterret a delicto patrando; sed ut hoc praestet efficaciter, oportet vere applicare poenam; 2° respicit futurum non modo pro eo delicto sed et pro reliquis; iamvero impunitas unius speciei ad alia diversae speciei impellit; 3° poena restaurando ordinem, per hoc illum tuetur.

160. VI. Ex hoc apparet et posse puniri delicta, cuius nullus superest effectus; ex. gr. si et damna reparata sint, et emendatio rei secuta sit et scandalum ablatum ac ex poenitentia aedificata sit societas. Venia donari poterit a societate quae primario intendat ipsum bonum individuorum; sed adhuc verum est ordinem publicum laesum fuisse et homines poena deterreri ab eiusdem nova perturbatione.

II.

Criteria fundamentalia pro recta poenarum constitutione.

161. Generale principium est talem esse debere poenam, ut sit sufficiens tutelae ordinis socialis; est enim eius finis et media sunt a fine dimetienda; ideoque illud poenae genus est eligendum et ea proportione applicandum quae fuerit efficacior tuendo ordini sociali. Ad id praesertim iuvat sequentia notare.

I. Oportet poenae sint certae et inevitabiles; hinc plus iuvant poenae leviores sed certae et inevitabilis

applicationis, quam graviores sed quae difficile possint applicari ob difficultatem reum detegendi; vel quae facile possint evitari ex protectione, privilegiis et aliis mediis indirectis.

II. Poena quo magis respondet naturae criminis eo melior est: per quae enim, ait Sapientia increata, quis peccaverit, per haec et punietur; quae regula in quantum fieri potest et a iustitia humana servanda est. Etenim cum quis legem offendat ex inordinato amore alicuius boni, si poena malum inferat in specie contraria, maxime opponitur pravae inclinationi, ideoque maxime deterret, et perfectius ad aequalitatem ordinem restaurat. Hinc plagia carceribus, furta poena pecuniaria, calumniae infamia, homicidia securi puniuntur.

III. In poena oportet salva sit dignitas personae humanae; sunt enim quid moralis; hinc poenae quae per se deteriorem delinquentem faciunt moraliter, non sunt adhibendae. Hae enim non modo non corrigunt, quod non semper potest exigi, sed etiam emendationem impediunt. Hinc negare carceribus detentis subsidia religionis non licet, aut in poenam ad communionem Ecclesiae neque in extremis admittere, non licet, et neque regulariter expedit ad exitum vitae differre; quod etsi aliquando in usu fuerit, a moribus Ecclesiae recessit.

IV. Eo maior oportet sit poena quo maior ordinis externi perturbatio a delicto illata.

V. Item quo maius bonum a delinquente sperabatur et quo facilior impunitas; utrumque enim maxime allicit ad delinquendum; cumque poena ad contrarium effectum ordinetur, oportet in contrarium impellat.

VI. Item gravior poena cum delicta frequentiora; tunc enim factum ostendit poenam hactenus fuisse in-

efficacem; excipe nisi perturbatio nimia in societate oriretur ex omnium criminum punitione.

VII. Hinc sequitur pro temporum, locorum et personarum circumstantiis sapienter poenas variari posse et debere.

§ 7.

DE IURE VENIAM DELINQUENTIBUS CONCEDENDI.

162. Hoc ius pertinet ad legislatorem. Etenim sicut lege statuitur poena pro delinquentibus, attentis iis quae communiter contingunt, ita per exceptionem, attentis specialibus circumstantiis, venia conceditur. Utrumque enim descendit ex eodem principio. Socialis siquidem potestas oportet curet bonum societatis; atqui id regulariter fit per debitae poenae irrogationem; sed aliquando et poenae condonatio potest expedire reipublicae. Ergo hac data hypothesi ius est sociali potestati ignoscendi. Cum de lege generali agamus, hoc ius spectat supremae potestati; ille enim legem solvit iure proprio, qui eam fert. Inferiores autem legislatores, prout in Ecclesia sunt episcopi, paritate rationis relaxant legem particularem a se conditam.

163. Obiiciunt: vel adsunt rationes ad poenam relaxandam, vel non; si 1^{um} non est gratia, si 2^{um} est iniustitia et adversatur bono publico.

Respondeo has rationes esse posse iustitiae vel convenientiae; iustitiae si poena quae in genere est iusta, sit iniusta ex specialibus circumstantiis. Etenim leges admittunt epikeiam, seu exceptionem in eo casu qui si a legislatore praevisus fuisset, certe sub lege eum non inclusisset. Imo etsi per absurdam hypothesim legislator humanus valeret praevidere omnes possibiles casus, tamen non expediret omnes has exceptiones in

lege commemorare, quia confusionem pareret. Ergo applicando legem prout litteraliter sonat aliquando committeretur iniustitia, quia supponeretur delictum ubi delictum non fuit. Tunc igitur relaxatio pœnae est actus iustitiae.

Sed praeterea extare possunt rationes convenientiae, puta gratitudo societatis pro acceptis beneficiis, vel ob utilitates futuras, vel etiam ad ostendendam aliquando benignitatem principis, qui Deum repraesentat et ita exercet iustitiam ut misericordiae non obliviscatur. De Reg. Principum lib. I. cap. 12. S. Thomas ait: « Iustitiae in eo zelus accenditur (in rege), dum considerat « ad hoc se positum ut loco Dei iudicium regno exerceat; ex altero mansuetudinem et clementiae lenitatem acquirit, dum reputat singulos qui suo subsunt « regimini sicut propria membra ».

164. Nostrum non est causas inquirere huius aequitatis, cum a criminalistis ex professo tradantur; sufficiat animadvertere alias esse posse ex parte societatis, ut multitudo delinquentium; alias ex parte delinquentis, ut praeclara merita anteacta; alias ex parte principis, ut ostensio clementiae.

165. Sed cessat ius gratiae quoties relaxat disciplinam et alios ad delinquendum faciliores facit; ideoque gratiae causa non est praesumenda sed probanda, seu satis evidenter innotescere debet.

§ 8.

DE VI ARMATA.

166. Lata sententia necesse est eam exequi; quid si damnatus sponte eam non suscipiat, ut faciunt certissime obdurati in crimine? Eritne societas absque medio tum se defendendi ab ulterioribus aggressionibus,

tum tentandi delinquentis correctionem, tum deterrendi ceteros ab eius imitatione? Id sine contradictione affirmari nequit. Igitur necessaria est vis ad sententiam exequendam, quae dicitur armata ut a vi legis, seu iuris distinguatur, tum a vi canonica quae in eo consistit ut delinquens per iudicis sententiam fiat debitor poenae, et ceteri teneantur ad eum habendum ut ethnicum et publicanum nisi Ecclesiae satisfecerit.

Multo magis vis armata necessaria est ad tuendam ipsam existentiam societatis adversus hostes tum internos tum maxime externos, qui eidem attentarent. Vis enim vi repelli oportet. Et in genere vis necessaria est pro coactiva iuris proprii consecutione, conservatione aut exercitio.

167. Verum notandum est non esse necessarium societati perfectae habere vim armatam propriam, sed sufficit ius obligandi eam societatem perfectam quae ex natura sua specifica habet vim armatam, ad eam adhibendam in ministerium societatis superioris ordinis. Id enim pro societate superiore sufficit; etenim obtinet finem suum; neque minuit eius perfectionem iuridicam; etenim non petit sed imperat (attenta ordinatione divina) societati inferiori usum vis armatae in sui favorem; igitur non ostendit dependentiam iuris quae aufert perfectionem societatis, sed dependentiam facti, qualem habet et rex a subditis, et pater a filiis, et dominus a servis, et anima a corpore, quae etsi eadem praestet, eo tamen indiget.

168. Neque obiici potest: si inferior armata potestas non pareat, tunc superior potestas finem suum non obtinebit. Id verificaretur etsi societas superior esset armata, sed minus quantitate quam inferior, quae opponeretur; est igitur vitium facti, non iuris; si igitur societas inferior armata, est erga superiorem

bene affecta, ut velit muneri suo satisfacere, ei ministerium suum suppeditabit, vel ei libenter permittet proprios habere lictores, quos proteget legibus et armis suis; quod si male affecta, et ei impediet formationem vis armatae propriae, quae saltem sit numero attendibilis, vel si tolerabit eius paucos lictores, non eos defendet, nec maiori vi armata seu exercitu proprio societatis superioris permittet defendi, ne in suo territorio sit vis armata a se independens, et sibi viribus aequalis ut suam facti independentiam tueatur.

§ 9.

Scholion. — DE UNITATE POTESTATIS SUPREMAE EIUSQUE UNICO SUBIECTO.

169. Vidimus in societate perfecta tres esse potestates: legislativam, iudicialem, executivam quae maxime coactivam amplectitur. Iamvero quaeritur an hae tres potestates sint tantum partes distinctae eiusdem potestatis, vel potestates separatae; item an in subiecto eodem resideant oportet, vel in disparatis subiectis residere valeant.

Dicimus autem primo non esse tres potestates separatas, sed tres partes eiusdem supremae potestatis, seu esse tres functiones eiusdem. Et sane hae potestates sunt ad invicem coordinatae et subordinatae fini sociali; hic exigit 1° ut media proponantur, 2° iudicetur de ipsorum usu, 3° executioni etiam coactive mandentur. Ideo autem proponuntur, aut iudicium civile fertur ut executioni mandentur; et ideo fertur iudicium criminale ut executioni coactive mandentur; finis igitur cuiusque potestatis est bonum sociale, et primae duae ordinantur ad tertiam; sunt igitur partes unius potestatis seu rectoriae societatis ipsius; hinc

est hanc distinctionem fuisse veteribus ignotam, ita ut neque apud Graecos neque apud Romanos iurisconsultos occurrat.

170. Ex primae quaestionis resolutione pendet et resolutio secundae. Si enim sunt tres functiones eiusdem supremae potestatis, et totidem eius respectus diversi, sequitur et unitatem subiecti requirere; ius enim indivisibile, indivisibile requirit subiectum. Et sane, si residerent in subiectis adaequate distinctis, non coordinarentur per se, sed aliquando tantum per accidens, ad finem socialem. Etenim potestas legislativa legem ferret, sed iudicialis 1° posset interpretari et applicare sensu diverso; 2° posset iudicia omittere aut inopportune eadem instituere. Item potestas executoria exequi posset vel sensu diverso ab eo quem intenderat legislator, et sic non adhiberentur media quae vere fuerant praescripta; vel posset negligenter eadem executioni mandare.

Oportet ergo sit aliquis unus qui et leges interpretetur et applicet executionique mandet vero sensu a legislatore intento, et tempore ac modo opportuno, ut socialis conspiratio habeatur. Ille autem ex ipsa rei natura est, qui legem tulit; hic enim scit quid media praescripta importent, et quomodo et quando applicanda; etenim ceterae duae functiones, seu iudicialis et executiva, nihil aliud sunt nisi applicatio et quaedam veluti extensio primae; igitur ei natura sua subordinantur. Ergo requirunt unitatem subiecti.

171. Tamen hoc subiectum esse potest physicum vel morale; et si morale oportet aliquo modo sit organicum, ita ut non omnes personae physicae idem constituentes pari iure participent; etenim aliquis saltem praeses necessarius est. Erit autem eo perfectius quo magis unitati sociali sapienter procurandae idoneum

erit; quod perfectissime invenimus factum in Ecclesia, in qua et suprema potestas competit uni personae physicae, et tamen iure divino adiutores habet pastores omnes, qui et ea quae sint opportuna, experientia propria agnoscant et cum leges exequi debeant et fructus ex eisdem reportare, etiam humano modo loquendo, maximo stimulo percelluntur ad eas sapienter condendas; quo autem firmius et indubitatum ius capitis, eo maior libertas discutiendi, inferioribus pastoribus concedi absque periculo potest.

172. Quamvis autem suprema potestas competat uni subiecto, ideoque eidem conveniat tum potestas legislativa, tum iudicialis, tum executiva, tamen exercitium immediatum harum potestatum potest, et aliquando expedit dividatur, praesertim iudicialis potestatis exercitium commode in pluribus negotiis (ex. gr. civilibus) datur magistratibus delegatis a suprema potestate. Sicut enim necessaria est coniunctio in eodem subiecto ad unitatem et efficaciam socialis conspirationis in finem, ita pro ordinata executione legum et iudiciorum utilis est divisio organorum quibus mediantibus hae potestates exercentur; nam divisis organis, magis distincte officia procedunt et perfectius singuli officium suum agnoscunt.

Item difficilior est abusus, cum non iidem officiales negotium incipiant et absolvant, sed diversi, qui proinde ad invicem sese invigilant. Si diversi id praestarent absque subiectione eidem supremae auctoritati, deesset unitas regiminis et conspirationis; sed servatur cum sint subiecti supremae potestati, a qua et impulsum uniformem recipiunt, et quae invigilat ut omnes muneri suo satisfaciant.

Hinc est in nationibus barbaris eosdem esse magistratus civiles et militares, legislatores, iudices et

executores; apud civiles gentes haec distribuuntur ut et princeps aliquos sibi adsciscat quibus utatur ad leges conficiendas, alios ut iudices, alios ut rectores, alios ut duces. Et etiam in re ecclesiastica videmus diversa tribunalia et Congregationes statutas fuisse.

173. Hae rationes quae utilem saepe ostendunt divisionem functionum sub suprema potestate, aliquibus occasionem errandi tribuerunt ut dividerent ipsas potestates; quod praesertim in re civili praestitit Montesquieu. Hic parens habetur modernae formae gubernii repraesentativi, ut potestas legislativa simul competat principi, optimatibus et oratoribus populi; iudicialis iudicibus a principe electis sed inamovibilibus, exceptis casibus a lege statutis; executiva principi sed per ministros responsabiles exercenda.

ARTICULUS III.

De relationibus iuridicis societatum perfectarum.

174. Potestas societatis vel est in suos vel in extraneos; sed individui extranei aut extraneae societates imperfectae prout tales, referuntur ad extraneam societatem mediante sua societate perfecta, cuius iurisdictioni addictae sunt. Ab his igitur societas perfecta extranea illud exigere poterit quod a societate maiori eis homogenea est sibi debitum et in eis redundans. Diximus prout extranei sunt; potest enim individuus vel societas imperfecta per accidens se subiicere iurisdictioni societatis extraneae, puta ratione delicti in eius territorio admissi.

Igitur nobis inquirendae sunt relationes iuridicae societatum perfectarum. Possunt distingui vel materialiter et formaliter vel formaliter tantum.

175. Materialiter distinguuntur ratione membrorum, cum socii unius nullo modo sunt alteri adscripti; formaliter, ex scopo specifice diverso societatis; et tunc possunt iidem homines utrique societati adscribi. Nequeunt autem convenire utroque modo, quia tunc non duae essent societates sed una; potest tantum aliquis individuus adscribi duabus societatibus eiusdem naturae, ex. gr. duobus regnis.

Igitur nobis inquirendae sunt relationes iuridicae societatum perfectarum 1° quando formaliter discrepant sed non materialiter; 2° quando distinguuntur materialiter. Sed in primo casu magna differentia est si sint in statu concordiae vel conflictus. Status concordiae est cum ex rerum natura, possibilis est consecutio finis utriusque societatis absque detrimento finis alterius, ita ut nec impediatur nec imminuatur; e contra est status conflictus; agitur proinde de conflictu obiectivo, non autem de eo qui pendet ex malitia aut errore alterutrius partis, qui dici posset ex defectu subiectivo. Sit igitur 1° de ipsarum relationibus in statu concordiae; 2° in statu conflictus; 3° de societatibus quae materialiter distinguuntur.

§ 1.

DE RELATIONIBUS IURIDICIS DUARUM SOCIETATUM PERFECTARUM, FORMALITER TANTUM DISTINCTARUM IN STATU CONCORDIAE.

176. Considerare possumus I. relativa officia communia utrique societati, tum negativa, tum affirmativa; II. officia specialia prout aequales fuerint vel inaequales; rursus officia alia derivant ex ipsa societatum comparata natura, alia ex mera charitate; haec inter communia recensenda sunt, quia charitas obligat

ex titulo generali; illa et communia esse possunt et specialia.

Totidem propositionibus haec officia enunciamus, incipiendo a communibus.

Propositio I. — *Ex duabus societatibus formaliter tantum distinctis in statu concordiae versantibus, neutra debet aliam impedire.*

177. Haec propositio enuntiat officium negativum commune iustitiae.

Prob. I. ratione finis. Etenim finis lege praescriptus vel permissus, ita obtinendus est ut absque necessitate non impediatur alius finis honestus, et multo magis si lege praeceptus; contraria enim agendi ratio esset irrationabilis utpote absque compensatione impediens aliquod bonum. Atqui ex hypothesi status concordiae, nulla est necessitas utrique societati impediendi finem alterius ob prosecutionem proprii. Ergo in statu concordiae, neutra debet aliam impedire.

Hoc argumentum exhibet officium negativum ex reciproca iustitia societatum.

178. Prob. 2. ratione subiecti. Etenim utraque societas oportet curam habeat sui subiecti; atqui ex hypothesi subiectum tenetur simul pluribus obligationibus; sed regula generalis iuris naturalis est, ut cum quis pluribus tenetur obligationibus, omnes servet, cum conciliabiles sunt. Sed ex hypothesi in casu nostro sunt conciliabiles; loquimur enim de statu concordiae. Ergo utraque societas non debet alteram impedire, seu, quod idem est, ita legem suam accommodare debet ut locus sit alteri legislationi et finis utriusque consecutioni.

Hoc argumentum probat enuntiatum officium, ex iustitia societatis erga sua membra.

***Propositio** II. — Utraque societas tenetur alteri auxilium ferre ex charitate, iuxta leges virtutis eiusdem.*

179. Haec propositio enuntiat officium commune affirmativum ex charitate; etenim officium commune affirmativum ex iustitia nullum est, cum officia affirmativa ex inaequalitate societatum pendeant, ideoque inferius considerentur; qui enim pares sunt, nihil sibi positive debent officio absoluto, seu ex mera rerum natura, sed tantum officio hypothetico, seu posito titulo aliquo contingente.

180. Sed non ita est de officiis charitatis. Charitas enim omnes obligat tum aequales, tum inaequales, prout uni fuerit necessitas et alteri facultas; hinc facilius obligat potentiores, cum ipsis soleat esse facultas et ceteris necessitas. Sed charitas non constituit officium iuridicum sed mere ethicum; hinc peti sed exigi non potest. Si tamen adsit superior iuridicus, poterit hic adigere et ad officia charitatis praestanda. Sed cum agamus de societatibus perfectis ideoque independentibus, id non verificatur.

***Propositio** III. — Societas ordine inferior, tenetur positive inservire superiori necessariae, tum ut societas, tum ratione membrorum.*

181. In mentem revocandum est quaenam societas sit ordine superior et quae inferior; quoniam societates diximus specificari ex suo fine, ea superior quae tendit ad finem moraliter superiorem et magis necessarium; finis autem ultimus est simpliciter necessarius; ceteri prout sunt media ad eumdem; hinc prout sunt proximiores vel remotiores a fine ultimo, ita stant inter se. Considerare autem possumus societatem ordine inferiorem, I. ratione suae naturae prout talis est, seu infe-

rior; II. quatenus considerantur personae quae sunt simul membra superioris societatis.

182. Inservire positive, est ea ponere quae necessaria vel utilia sunt consecutioni finis societatis superioris. Hoc posito prob. prop. I. ratione finis, ex quo ipsa societas inferior tenetur in necessariis deservire superiori. Etenim ideo prosequi possumus bona inferiora quatenus sunt ordinabilia ad superiora, et tandem ad supremum. Haec ordinatio aliquando est directa, quatenus sunt media de se necessaria, proportionata et sufficientia fini superiori, ideoque eiusdem ordinis; et tunc societas ea prosequens est subalterna ratione materiae, societati superiori, et est proinde imperfecta. E contra quando bona inferiora non sunt eiusdem ordinis ac finis societatis superioris, ad eam relationem tantum indirectam dicere possunt, ideoque subordinatio societatis inferioris non est ratione materiae sed finis. Iamvero in casu nostro verificatur haec tantum subordinatio; nempe cum ex hypothesi bona inferiora sint necessaria fini superiori, ob praevalentem necessitatem huius, sunt praestanda. Secus bona inferiora non inservirent unico fini ob quem rationabiliter appetibilia sunt et ad quem de se sunt ordinata.

183. Prob. 2. ratione membrorum. Societas inferior est ex hypothesi collectio personarum quae tendunt ad finem societatis superioris; ergo subiectum tenetur positive ad hunc finem consequendum; hinc ad necessaria, sive eiusdem sive inferioris ordinis.

Propositio *IV.* — *Societas superior tenetur ex sui natura adiuvare inferiorem in iis quae proprio fini necessaria sunt.*

184. Etenim sic procurat finem suum. Tamen non dicitur societatem superiorem deservire inferiori, quia

deservit qui alteri subordinatur, et implicat superiorem subordinari inferiori; hinc illum potius adiuvat; et sic non praestat actum iustitiae erga inferiorem, sed actum debitum sibi.

§ 2.

DE RELATIONIBUS IURIDICIS SOCIETATUM PERFECTARUM FORMALITER TANTUM DISTINCTARUM IN STATU CONFLICTUS.

185. Ut praemonuimus duae societates in conflictu sunt, cum una nequit fini suo insistere quin impediat finem alterius. Igitur est conflictus oriens ex necessitate rerum, non ex malitia aut imperitia; tunc enim corrigendus est defectus.

Quaerimus igitur quid iuris in conflictu; et distinguimus inter societates pares et impares; pares sunt quae finem moraliter eiusdem valoris habent; impares quae diversi, ex. gr. societas civilis atque ecclesiastica. Sit

I. DE IMPARIBUS

***Propositio** I. — Ex duabus societatibus imparibus formaliter tantum distinctis quae in conflictum deveniant, ea praevalere debet quae finem altioris ordinis habet.*

186. Ratio est quia ex duabus obligationibus eidem subiecto inhaerentibus, quae in conflictum venerint, ea praevalere debet quae bonum maius tuetur. Et sane bonum minus impediens bonum maius est relative malum; ideo autem ius est prosequendi bona minora quia ducunt ad maiora aut ad ea disponunt; hinc tale ius cessat cessante conciliatione cum maiori bono.

***Propositio** II. — Ius ferendi iudicium circa veritatem conflictus eiusque extensionem, spectat ad societatem superiorem.*

187. Ius disponendi de mediis necessariis ad aliquem finem, includit ius iudicandi de ipsorum necessitate. Atqui ius disponendi de mediis est proportionatum praestantiae finis. Ergo et ius iudicandi de mediorum necessitate est proportionatum praestantiae eiusdem finis. Hinc est praevalens in eo qui curam habet finis altioris; et proinde de conflictu iudicat societas superior.

188. Quod si societas superior evidenter erraret (supponimus enim agi de societate fallibili) in gravamen inferioris, haec per se non teneretur obedire superiori, quia praeciperet quae ad finem socialem non sunt necessaria, ut vidimus supra agentes de iuribus societatis in sibi subditos num. 85.

II. DE PARIBUS

189. Quoad societates pares perfectas, quae constent iisdem membris, dari non possunt; etenim societates aut distinguuntur natura aut numero; duae societates perfectae quae tendant ad finem diversae naturae sed pares non dantur; oporteret enim tenderent ad duos fines distinctos qui essent completi, seu integrum quemdam ordinem sibi sufficientem complectentes, sed eiusdem praestantiae, idest ad duos fines parallelos respectu superioris finis. Iamvero haec duo bona in suo ordine completa eiusdem praestantiae non dantur. Etenim duo tantum sunt bona completa, nempe felicitas praesens et futura; sed sunt bona imparia; non autem sunt duae felicitates praesentes aut duae futurae. Hinc patet paritatem dari tantum posse inter duas societates im-

perfectas, ex. gr. inter duas societates commerciales diversae materiae quae moraliter sint eiusdem valoris.

Si autem duae societates tendant ad idem bonum, tunc non distinguuntur natura sed distingui possunt numero, ut duae nationes; et in hac hypothesi si omnia membra sint eadem, iam non sunt duae societates sed una; ergo fieri tantum potest ut sint quaedam individua pertinentia utrique societati. Tunc si conflictus sit inter utramque, cum utrique obedire impossibile sit, superest eligant, et exclusive uni adscribantur, derelicta alia.

§ 3.

DE RELATIONIBUS IURIDICIS SOCIETATUM PERFECTARUM QUAE DISTINGUUNTUR MATERIALITER.

190. Animadvertimus duas societates huiusmodi esse non posse absolute supremas; etenim cum hierarchia societatum pendeat ex fine, oporteret utriusque finis esset absolute supremus; sed talis est tantum finis ultimus; ergo oporteret essent distinctae, ad invicem independentes et ad finem ultimum ordinatae. Id importaret Deum duas societates religiosas, quae eodem tempore vigere deberent, instituisse; quod non fecit, et minus sapienter fieri potuisset. Si autem extarent regerentur 1° lege negativa iustitiae, ne se ad invicem laederent; 2° lege positiva charitatis; et quoniam finis utriusque esset absolutae necessitatis, hinc strictissima charitate devincerentur, sicut et homines singulares inter se, quoad necessaria pro vita aeterna.

191. Igitur remanet sint vel impares, idest una tendens ad finem ultimum, altera ad finem proximum non necessarium pro ultimo, idest ad felicitatem praesentem, vel pares sed inferioris ordinis, ut duo regna.

Iamvero si 1um, videndum est an superior sit necessaria vel non; si hoc, inferior tenetur tantum erga eam lege negativa iustitiae, et positiva charitatis; ita synagoga erat suprema, sed non necessaria pro non hebraeis. Si autem societas superior sit necessaria, tunc inferior societas quamvis actu eius subdita non sit, tamen ordinatur ut fiat, ideoque eius membra tenentur eidem adscribi, et sic non amplius materialiter distinguerentur duae societates. Interim non est inter eas subordinatio quae oritur ex duabus obligationibus actualibus in eodem subiecto, sed per se adest quae ex ratione finis exurgit. Diximus *per se*, nam si societas inferior bona fide ignoret hanc subordinationem, vinculo morali per accidens non tenetur. Quid autem societas superior iure exigere possit, videbimus cum de relationibus Ecclesiae cum statu infideli.

192. Si autem sint pares, sed inferioris ordinis, distinguendus est status concordiae et conflictus. In statu concordiae tenentur I. lege negativa iustitiae ne se ad invicem impediant; cum enim ex hypothesi adsit conciliabilitas inter finem utriusque, et sint iure pares, neutra debet alteram impedire. Non tamen tenetur ex iustitia alterutra alteri inservire; quia sunt pares et proinde non subordinatae. Sed II. teneri possunt aliquando ex charitate ad mutuum adiutorium. Lex enim charitatis oritur ex generali societate quae est inter omnes homines, ideoque ligat et societates pares quae esse possunt ad invicem extraneae, attento fine speciali societatis, sed numquam sunt extraneae ratione humanitatis.

193. In statu conflictus neutra est alteri immolanda, sed ex aequo communis utilitas est procuranda. Sunt enim pari iure pollentes, ideoque utriusque ius in quantum fieri potest, conciliandum est, ideoque bona divi-

denda, si divisibilia, vel compensanda. Excipe nisi maior societas cui subordinentur aliud exigat.

194. Sed quid si ius utriusque sit dubium? Tunc communi concordia lis est componenda. Sed quaeritur an teneantur arbitros seligere, eisque rem committere. Respondemus negative; etenim cum sint independentes et perfectae, non tenentur suae independentiae nuncium mittere, sed ex sua independentia ius sufficiens habent ad sibi consulendum, ideoque et ad ius suum prosequendum; imo non modo ius sed et officium in omnibus quae assequendi sit obligatio.

195. Tamen optime eligunt arbitros in quaestionibus minoris momenti, idest pro iis iuribus quibus salva republica renunciari potest; item aliquando per accidens societas iure par, sed viribus inferior; expedit enim ei potius salutem suam committere arbitris, quam bellicae sorti. Tunc licet et duellum.

DE DUELLO.

196. Duellum (1) esse potest quadruplex; 1° auctoritate privata susceptum et pro causa privata; 2° auctoritate publica pro causa privata (duellum iudiciale); 3° auctoritate privata et causa publica; 4° auctoritate et causa publica. Primae tres species sunt illicitae; 4am licitam esse simpliciter plures concesserunt; roborant exemplo S. Wenceslai ducis Bohemiae, qui et ab angelis defensus est, adversario dicentibus: « ne ferias ». Verum ad hoc exemplum respondetur: 1° etsi Sancti subiective operati sint recte, non tamen sequitur semper rectas fuisse obiective ipsorum actiones, cum potuerint vel bona fide errare; (sic vidimus tempore

(1) De duello vide opusculum D. Iosephi Patroni, in quo omnia quae ad rem faciunt, abunde invenies. (Siena 1881).

magni schismatis occidentalis Sanctos divisos fuisse); vel potuerint opinionem probabilem tuto sequi ex dictamine reflexo; vel in casu exceptionali in re nostra; etenim dicimus duellum publicum causa et auctoritate, regulariter esse illicitum; supremae enim potestati officium est defendendi societatem omnibus viribus, non autem publicam salutem valet sorti committere; atqui per duellum cum utraque pars ponatur in eadem conditione, nuntium mittitur mediis magis efficacibus, et sorti committitur publica salus. Ergo duellum hoc per se illicitum est. Tamen per accidens potest esse licitum, si minores sint vires; tunc enim melius est rem sorti committere. Sed tunc liceitas est tantum ex parte debilioris; quod si vires sint aequales, utraque pars teneretur per media pacifica, hinc et per sortem pacificam, rem finire; si autem una renuat, licebit alteri et duellum. Est igitur aliquando licitum per accidens, ut esse potuit S. Wenceslao.

197. Ex eo quod utrique societati perfectae pari, facultas est prosequendi ius suum, quin per se teneatur ad arbitros recurrere, proprie non sequitur utramque esse iudicem in causa propria. Etenim id est tantum ex parte; neutra enim potest alteram obligare ut stet suo iudicio; sed iudex utrasque partes obligat; in casu utraque tantum est iudex hoc sensu, quod iudicio suo prosequitur ius suum. Si autem amicalis compositio haberi non possit, tunc armis utraque prosequi potest ius suum. En igitur bellum ultima ratio regum.

DE BELLO.

198. Circa bellum notandum est, iustum esse non quatenus sit medium idoneum dirimendae controversiae; sicut enim duellum inter privatos, non est idoneum, quia non ostendit cuinam ius et ratio faveat,

ita nec bellum. Sed bellum iustum tantum est cum ví cogimus adversarium ad ius nostrum certum colendum, vel cum, etsi ius nostrum sit dubium, tamen ipse nullam amicalem et rationabilem compositionem admittit. Hinc est quod obiective bellum ex utraque parte iustum haberi nequit; oporteret enim vel ius aeque et perfecte esse ex utraque parte, vel vim physicam esse medium proportionatum controverso iuri definiendo. Atqui utrumque est absurdum: 1^{um} quia lex moralis sibi contradiceret dando duobus ius aequale et exclusivum eidem indivisibili bono; quod si sit divisibile, dividendum est, vel si indivisibile saltem compensanda altera pars, ideoque non est ius exclusivum. Item absurdissimum est 2^{um}, idest vim physicam esse medium dirimendi ius controversum. Haberi posset ut tale, sicut et duellum tantum ex superstitione, nempe putando Deum sive in duello, sive in bello semper dare victoriam ei cui ius favet; sed id Deus non promisit; ergo id expectare est tentatio Dei, quae est una ex speciebus superstitionis, quibus in virtutem religionis peccatur. Hac superstitione laborabant multum antiqui populi barbari qui romanum imperium occupaverunt.

199. Igitur bellum iustum ex utraque parte esse nequit; potest utraque pars bona fide errare, et praesertim potest subditis incerta esse belli iniustitia, ideoque eis officium est suo principi praecipienti obediendi. Posito autem iure proprio certo, vel in se, vel reflexe, idest saltem ex irrationabilitate adversarii qui aequas amicales compositiones non admittit, bellum est per se iustum, quamvis esse possit illicitum si aliae extrinsecae conditiones non verificentur, idest quod mala maiora timeantur. Etenim vis physica est natura sua medium idoneum et proportionatum ad ius nostrum prosequendum contra eos qui illud voluntarie non re-

verentur, ut ex necessitate faciant quod ex officio nolunt praestare.

200. E contra societates in suo ordine dependentes seu imperfectae, nequeunt ad bellum recurrere, cum subiiciantur iudicio maioris societatis cuius partes sunt; etenim officium est societatis maioris moderandi relationes reciprocas suarum societatum minorum; hinc vis physica earumdem irrationabiliter adhibetur. Hinc male medio aevo familiae aliquando usque ad septimum gradum consanguineitatis et affinitatis inter se pugnabant.

201. Pariter si sint societates minores adscriptae distinctis societatibus maioribus, inter has controversia finienda est, primo amicaliter, quo non succedente, per bellum. Sed non potest bellum directe committi inter duas societates minores, cum utraque habeat suum legittimum iudicem.

202. Quid autem si falso societas quaedam putet se supremam? teneturne societas vere suprema eidem morem gerere? item tenenturne societates inferiores eam agnoscere ut sibi superiorem? Profecto error aliorum non minuit per se nostra iura, ideoque nec societates inferiores tenerentur ei se subiicere, nec superior legittima eam ut sibi parem habere. Iura enim per se ex veritate oriuntur et non ex errore. Quae tamen societas in errore est, quatenus bona fide in eo versatur, excusatur a culpa prosequendo putativum ius suum.

203. Tamen notandum est aliquando per accidens errorem aliorum limitare ius nostrum; dixi aliquando; ut enim nosmetipsos defendamus et ut nos ipsi aliquid iure faciamus aut omittamus, sufficit certi simus de nostro iure; sed ut exigamus ab aliis ut aliquid nobis praestent, oportet regulariter saltem, praesumere possimus ipsis constare de iure nostro et de sua obligatione;

secus iniuria exigeremus ut praestarent nobis id de cuius obligatione eis non constat, et vim adhibendo non eam adhiberemus in subsidium rationis, ut vi physica flectantur qui vi morali flecti nolunt; etenim ex hypothesi vis moralis seu obligatio eos non urgeret, ideoque vi nostrae resistendo recte agerent.

His explicit caput primum quo theoria societatis humanae perfectae in genere, considerata est. Iam ad Ecclesiam sermo est convertendus.

CAPUT II.

DE PERFECTIONE IURIDICA ECCLESIAE.

Totidem articulis agendum est 1° de Ecclesiae notione; 2° de eius distinctione a societate civili; 3° de eius natura iuridica; 4° de eius perfectione iuridica, ex sui natura; 5° ex voluntate divini Fundatoris; 6° speciatim agendum est de eius potestate punitiva et 7° de vi armata.

ARTICULUS I.

Ecclesiae notio.

204. Exposuimus iura societatis perfectae; remanet demonstrare Ecclesiam esse societatem perfectam. Tamen si supra exposita iura societatis perfectae negarentur derivare ex eius natura, imminueretur potestas societatis civilis, sed non ecclesiasticae. Etenim in promptu esset ostendere ex voluntate Christi ei sua iura competere, etsi non derivarent necessario ex natura societatis perfectae; seu essent iura ab extrinseco

collata, etsi ab intrinseco non emergentia. E contra societas civilis cum nulla alia iura habeat quam quae ab intrinseca eius natura derivant, imminuta esset in suis iuribus.

205. In antecessum oportet Ecclesiae notionem, iuxta ipsam rerum veritatem, idest iuxta principia catholica, determinare. Est autem Ecclesia: *societas a Christo Domino instituta ut in ea et per eam exclusive homines salutem aeternam consequantur.* Theologorum autem est exponere quomodo qui bona fide sunt extra corpus Ecclesiae, seu extra ipsam Ecclesiam proprie sumptam (scilicet prout est vera hominum societas), adhuc salvari possint per suam adscriptionem ad animam Ecclesiae, quae per gratiam sanctificantem fit; haec enim sunt per accidens; sed per se, medium exclusive necessarium ad vitam aeternam, est adscriptio Ecclesiae quae fit per baptisma.

206. Ecclesia ex catholica doctrina est vera hominum societas, ideoque visibilis, externa; est inaequalis, ideoque in ea est hierarchia, ordinis et iurisdictionis, et iurisdictio suprema simul et immediata residet in summo Pontifice.

Sed res nobis esse potest vel cum regalistis, vel cum haereticis, vel cum infidelibus. Regalistae volunt videri catholici, et plures etiam bona fide erraverunt; hinc subiective esse poterant boni catholici; igitur contra eos urgemus merito veritates catholicas circa naturam ipsius Ecclesiae ut appareat quid iuris ex iisdem descendat, ideoque ut contradictio appareat ex admissione principiorum et negatione conclusionum necessariarum. Si autem non admitterent divinam Ecclesiae institutionem ut societatis distinctae a civili, eiusque necessitatem negarent, tunc res esset cum haereticis aut infidelibus, ideoque disputatio iuridica haberi non

posset antequam theologica fuisset perfecta; tantum aliqualis defensio Ecclesiae ad hominem, vel ex generalibus principiis iuris naturae, institui posset.

Videamus primo quid de Ecclesia in se spectata iudicandum iuxta obiectivam veritatem, seu iuxta principia catholica: agendo autem cap. 3° de relationibus Ecclesiae cum statu heterodoxo, incredulo vel pagano, exponetur quid Ecclesia ad hominem ab eis petere aut exigere possit.

ARTICULUS II.

De distinctione Ecclesiae a societate civili.

207. Aliud est Ecclesiam distingui a societate civili, aliud esse societatem perfectam; etenim distingui a societate civili admittunt regalistae proprie dicti seu veteres. Hi enim fatebantur Ecclesiam esse societatem supernaturalem, in eaque esse potestatem ordinis, divinae omnino institutionis; imo esse aliqualem iurisdictionem seu potestatem disciplinarem, sed negabant eam esse perfectam, seu independentem a civili. Hinc veteres regalistae curam et defensionem suscipiebant Ecclesiae, eiusque tutelam, et aliquando puniebant transgressores legum Ecclesiae, etiam plus quam vellet ipsa Ecclesia, quae aliquando eos de hoc reprehendit. Volebant enim Ecclesiam conservare sed in ea dominando. Admittebant tamen eam distingui a civili, non modo ut provincia a regno, idest ut societas minor a sua maiori in eodem ordine, sed distingui specie essentialiter, quamvis esset dependens quoad exteriorem disciplinam a statu. Quae dependentia plus vel minus extendebatur; considerando enim administrationem Sacramentorum posse turbare ordinem externum, ad eam quoque aliqui traducebant, imo et ad dogmatum defi-

nitionem ex analoga ratione; ideoque quidam ita attenuabant potestatem Ecclesiae ut fere ad nihilum redigeretur; alii autem prout erant magis religione imbuti, minoribus limitibus coarctabant.

208. E contra recentes sunt increduli, ideoque statum superponunt Ecclesiae non ad eam protegendam sed destruendam, nec ipsis aliqua cura est de legibus ecclesiasticis; hinc ad summum considerant Ecclesiam ut societatem in eodem ordine subalternam sicut familia est distincta a societate civili, sed in eodem ordine; imo eam non habent ut societatem iuridicam, sed tantum ut amicalem (1).

209. Iamvero Ecclesiam esse natura distinctam a so cietate civili, demonstrant theologi attendendo 1° eius originem, 2° finem, 3° media.

I. Distinguitur origine; societas enim civilis est originis naturalis quoad ius et humanae quoad factum; Ecclesia est originis positivae divinae et supernaturalis quoad ius et quoad factum.

II. Fine; illa tendit ad felicitatem naturalem et quidem temporalem; haec ad spiritualem et quidem supernaturalem.

III. Mediis; cum haec sint fini proportionata; hinc societas civilis externis actionibus utitur; illa proprie intendit internam sanctitatem, consistentem in fide et gratia, quamvis haec procuret per media externa; sed

(1) Ita Mamiani, *Teorica della Religione e dello Stato* (Firenze, Le Monnier 1868). Minghetti, *Stato e Chiesa;* Castagnola, *Delle relazioni giuridiche dello Stato e della Chiesa;* Cadorna Carlo, *Il principio della rinascenza e uno strascico del medio evo, ossia la conciliazione-transazione* (Roma, Loescher 1887), de quo errore vide opusculum meum, cui titulus *Della natura di società giuridica e publica, competente alla Chiesa.* Roma, Tipografia Vaticana 1887.

ex his mediis quaedam sunt rigorose supernaturalia, ut sacramenta; alia ob originem, ut doctrina revelata et infallibiliter proposita.

Igitur nobis quaestio non erit de distinctione Ecclesiae a statu; eam enim negare tantum potest incredulus qui D. N. ut hominem purum traducat, nulla praeditum auctoritate instituendi societatem religiosam supernaturalem. De societate enim religiosa naturali, idest intra ambitum naturae, non inquirimus.

210. Multo minus nobis sermo esse potest cum iis qui nullam societatem iuridicam a Domino fuisse institutam contendunt, sed meram religiosam doctrinam traditam fuisse, aut amicalem tantum societatem constitutam. Hos enim ad theologos transmitteremus qui facile demonstrarent ex ss. litteris consideratis ut documentis historicis plenissima fide dignis, nec non ex aliis criticis fontibus Christum Dominum societatem religiosam iuridicam instituisse; siquidem adsignat adscriptionis modum per baptisma; magistratus in Apostolis, Matt. XVIII. « quaecumque alligaveritis », et praesertim in B. Petro, Matt. XVI. « Tibi dabo claves ». Item media in sacramentis, nec non necessitatem imponit huius societatis, Marc. ult. « qui crediderit et « baptizatus fuerit, salvus erit », quae et ex dicendis de natura societatis ecclesiasticae manifesta fient.

Accedit factum historicum hanc societatem nobis sese sistere ut veram iuridicam societatem ascendendo ad tempora superiora usque ad Apostolos et ad ipsum Christum.

ARTICULUS III.

De natura societatis iuridicae, Ecclesiae competente.

Propositio. — *Ecclesia Christi est societas iuridica.*

211. Illa est societas iuridica quae fundata est ab eo cui potestas erat eam instituendi, et proinde ei tribuendi ius existendi et vivendi seu operandi conformiter proprio fini; atqui huiusmodi est Ecclesia; fundata enim est a Christo Domino, cui « plenitudo potestatis collata est in coelo et in terra ». Mat. XXVIII. 18.

Ergo Ecclesia est societas iuridica, et ut talis agnoscenda est ex lege divina, cui omnes subiiciuntur.

ARTICULUS IV.

De perfectione iuridica Ecclesiae ex sui natura (1).

Propositio. — *Ecclesia Christi est societas natura sua iuridice perfecta.*

Prob. ex quadruplici capite; 1° quia est societas suprema; 2° quia una simul et universalis; 3° quia supernaturalis; 4° quia spiritualis.

212. Et I. quia est suprema; quae argumentatio est omnium firmissima et evidentissima; Ecclesia enim est societas iuridica et suprema; societas iuridica et suprema est natura sua iuridice perfecta. Ergo Ecclesia est societas iuridice perfecta. Prob. mai. Gradus enim societatis desumitur ex eius fine, et ea suprema est quae ad finem supremum tamquam ad finem suum directum tendit. Sed Ecclesia directe tendit ad finem supremum seu ultimum, idest ad salutem aeternam; est enim instituta ut medium exclusive ad hoc necessarium, ut articulo I. huius cap. dictum est. Ergo Ecclesia est societas suprema. Iam autem demonstravimus

(1) De natura iuridica et perfecta Ecclesiae vide citatum opusculum quod edidi typis Vaticanis an. 1887.

eam esse societatem iuridicam. Ergo Ecclecia est societas iuridica et suprema.

Prob. minor. Societas perfecta est ea quae est completa et iuridice independens; est autem per se completa et iuridice independens quae habet ut finem bonum aliquod in suo ordine completum, ut explicantes naturam societatis perfectae diximus num. 60. Atqui societas suprema tendit ad bonum completissimum, idest directe ad finem ultimum, qui ad alium nullo modo ordinatur, et cui ceteri omnes subordinantur. Ergo societas suprema est iuridice perfectissima.

213. Hinc absurdum est eam carere mediis, aut ea accipere iuridice ab alia; etenim ius eius ad finem est absolutum et illimitatum cum sit finis absolutae necessitatis, et ei subordinantur ceteri fines; ergo iure adhibet media omnia iudicio suo, et ea vel habet realiter vel saltem virtualiter.

Ecclesia habet realiter, idest formaliter et immediate, media supernaturalia ei a Christo Domino collata; virtualiter autem habet media naturalia; iam enim erant in mundo ante Ecclesiam, sed iure ea exigit a subditis suis qui ea possideant immediate. Cum ea petat auctoritative, eadem possidet iuridice; e contra subditus petit auxilium a superiore, non auctoritative sed subordinate; hinc non ipse subditus iudicat de iustitia petitionis sed superior, qui ei indulget iudicio suo.

Scholion. 214. Ut patet ex consideratione primae propositionis institutae argumentationis, eius vis pendet a revelatione, idest a fide docente Ecclesiam esse societatem institutam pro consecutione finis ultimi, supernaturalis, seu vitae aeternae. Huius enim rei veritas tantum ex fide innotescere potest; etenim nec natura humana ordinatur per se ad finem supernaturalem, neque ullus homo habere potest ius vindicandi sibi di-

rectionem ad felicitatem vitae futurae etiam naturalis ordinis. Et ideo ut admittamus de Ecclesia eam dirigere homines ad vitam aeternam, oportet admittamus Christum Dominum saltem fuisse legatum divinum in Ecclesiae institutione, ideoque et iure instituisse Ecclesiam, et potestate praeditum fuisse eidem media efficacia conferendi ad vitam aeternam. Qui enim legatus Dei non est, neque potest hominem ordinare et obligare ad finem supernaturalem, neque mediis pollet ad eumdem finem proportionatis. Si autem Dominus fuit legatus divinus, sequitur etiam fuisse Deum, cum id pluries expresse in Evangelio asseruerit.

215. Hinc cum dicimus Ecclesiam esse societatem perfectam natura sua, non intelligimus esse societatem perfectam iure naturae absoluto, sed supposito facto divino eam instituente ut veram societatem hominum necessariam ad vitam aeternam, sequi hoc ipso, esse societatem perfectam; est igitur ius hypotheticum, et quidem non facti naturalis, sed sequens ex ipsa natura facti supernaturalis. Sub eadem consideratione et sequentia argumenta sunt accipienda quae ex aliis Ecclesiae attributis arguunt.

Hinc ab exordio nostrae pertractationis diximus peccatum originale adversariorum in hac materia esse incredulitatem qua factum divinum institutionis Ecclesiae saltem adaequate non admittunt

216. Prob. 2º ex eo quod Ecclesia est una numero et simul universalis. Cum societas ecclesiastica sit una non modo specie sed numero, et simul sit universalis, sequitur eam distingui a societate civili non modo specie sed numero. Etenim societates civiles sunt numero plures; hinc non iidem homines sunt membra omnium societatum politicarum, sed iidem debent esse membra Ecclesiae et alicuius societatis civilis. Quo posito ita

arguimus: cum societas constet subditis et imperante, sequitur societates quae diverso constant supremo imperante, distingui numero; est enim imperans qui unitatem in concreto tribuit societati et est eius forma in concreto. Iamvero si Ecclesia non esset independens, penderet ab auctoritate civili, cum nulla alia sit iuridice perfecta; proinde auctoritas civilis esset suprema in ipso ordine ecclesiastico. Sed status civiles sunt plures, ideoque plura et subiecta supremae potestatis adaequate distincta. Ergo haberentur plures Ecclesiae, non una Ecclesia, seu haberentur Ecclesiae nationales, non Ecclesia universalis, sicut habentur plures Status ad invicem independentes, et non habetur unicus Status.

217. Neque dicas quod esset una Ecclesia ex unitate finis et charitatis, et etiam fidei, si Deus dedisset infallibilitatem singulis Ecclesiis; etenim id ostenderet unitatem in specie, sed non in numero. Iamvero Christus Dominus fecit unam Ecclesiam numero; fecit autem eam societatem veram hominum, idest visibilem et iuridicam, non tantum affectuum et amicalem; ergo requiritur in ea unitas auctoritatis supremae. Neque sufficit unitas dogmatis et sacramentorum; nam pro unitate societatis requiritur unitas regiminis, secus et societates civiles essent unica societas numero.

Neque dici posset Ecclesiam pendere a collegio ethnarchico, idest regum, nam hoc collegium iuridice non adest et esset probandum ex facto divino.

Scholion. 218. Si per absurdam hypothesim Dominus contulisset potestatem religiosam principibus, et proinde tot condidisset Ecclesias quot Status, Ecclesia tamen adhuc distingueretur a Statu 1° specie, cum tenderet ad diversum finem; 2° numero inadaequate, quia possent non omnes cives Status esse membra

Ecclesiae, quamvis ex hypothesi omnes principes essent fideles, imo Pontifices sui Status. Hinc distingueretur quod ipsi praestarent auctoritate regia et quod pontificia, sicut erat in dominiis ecclesiasticis; hinc adhuc verum esset has Ecclesias per se consideratas seu in abstracto esse distinctas et independentes a civili, quia subiectum utriusque potestatis respectiva iura possideret ob distinctum et completum finem.

219. Regalistae dicunt Ecclesiam esse independentem a Statu in abstracto, seu prout est religio, non autem in concreto, seu prout est societas visibilis; sed id opponitur fidei, cum Ecclesia sit una et universalis non modo ut religio, sed ut visibilis et vera societas; sed societas consistit non modo in unitate fidei, sed et regiminis; ergo oportet sit distincta et independens a civili, secus esset multiplex regimine, idest ut visibilis societas (1).

220. Ex hac Ecclesiae universalitate fit ut in sacris Scripturis populi exhibeantur ut ingredientes in Ecclesiam; est igitur societas maior et una, in qua ceterae ingrediuntur. Isaias cap. 2. « Et erit in novissimis die-« bus praeparatus mons domus Domini in vertice mon-« tium, et elevabitur super colles et fluent ad eum « omnes gentes. Et ibunt populi multi et dicent: ve-« nite et ascendamus ad montem Domini et ad domum « Dei Iacob et docebit nos vias suas et ambulabimus « in semitis eius ».

221. Probatur 3° ex supernaturalitate Ecclesiae. Cum Ecclesia sit supernaturalis, et eius potestas est supernaturalis; oportet enim sit proportionata fini, cum sit medium et de ceteris omnibus mediis disponat. Hinc potestas Ecclesiae etiam iurisdictionis, oportet sit supernaturalis, etiam ex eo quod disponit de ipsa pote-

(1) V. Patroni Giuseppe. Il Papato e gli Stati cap. I. a. 3.

state ordinis. Iamvero repugnat potestatem civilem esse per se subiectum potestatis supernaturalis, aut ab ea pendere potestatem supernaturalem; civilis enim est potestas naturalis et repugnat potestatem naturalem esse per se supernaturalem, aut ab ea pendere per se potestatem supernaturalem, quia repugnat maiorem pendere a minori. Ergo oportuit divinum Ecclesiae Fundatorem constituisse potestatem ecclesiasticam distinctam et independentem a civili, et constituisse subiectum potestatis distinctum, aut ipsam potestatem civilem eiusque subiectum elevasse ad ordinem supernaturalem, adeo ut haberet ex Christi voluntate eam potestatem in Ecclesiam quam per se non habebat. Verum praeterquamquod id repugnasset Ecclesiae unitati, ita alienus fuit Dominus a conferenda potestate ecclesiastica principibus, ut potius pluries praedixerit ipsos hostiles futuros Ecclesiae: « ante reges et praesides ducemini propter me in testimonium illis et « gentibus ».

222. Probatur 4° ex Ecclesiae spiritualitate. Repugnantia quod potestas civilis sit per se subiectum potestatis ecclesiasticae aut saltem quod haec ab illa per se pendeat, apparet et ex fine quem sibi proposuit Dominus in Ecclesia instituenda. Fuit enim ut genus humanum restauraret et a via perditionis in quam gentes ingressae erant reduceret. Iamvero potestas civilis per se regitur tendentiis humanis; cum igitur ex peccato originali hae tendentiae essent depravatae, Dominus efficaciter non consuluisset correctioni generis humani si Ecclesiae regimen contulisset auctoritati civili, nisi prius sanasset subiectum potestatis civilis; sed non apparet id factum esse; imo ex Evangelio contrarium praedicitur, nempe reges et praesides Ecclesiae adversaturos. Ergo potestas ecclesiastica est distincta et

independens a civili, et subiectum illius est distinctum et independens ab huius subiecto.

Scholion. 223. Non modo interest cognoscere argumenta valida, sed et quae minus recte allata sunt; etenim ab his est abstinendum; nocemus enim causae veritatis si infirma argumenta afferimus; adversariis enim occasionem praebemus spernendi et caetera argumenta. Hinc examinemus argumentum quo nonnulli utuntur ad probandum Ecclesiam esse societatem independentem a civili et perfectam. Arguunt ex eo quod Ecclesia sit antecedens ipsi societati civili; Ecclesia enim Dei est coaeva generi humano; hinc et cum vita patriarchalis vigebat, obtinuit; absurdum autem est societatem quae praecedit pendere a subsequente. Ergo concludunt, Ecclesiam esse independentem a societate civili.

Sed hoc argumentum multipliciter peccat: 1° confundit Ecclesiam Dei cum Ecclesia Christi.

2° Supponit Ecclesiam Dei ante Christum fuisse societatem perfectam; quod est falsum; etenim ante Christum aderat synagoga; et praeterea Ecclesia Dei complectebatur et alias personas, quia non aderat pro gentibus obligatio ingrediendi synagogam; imo quaedam gentes quae in Pentateucho enumerantur, ut Ammonites et Moabites, Deut. XXIII. 3., excludebantur a synagoga, erant enim delendae; et tamen nemo excludebatur a salute aeterna, et proinde ab Ecclesia Dei; synagoga autem erat societas perfecta, sed eius natura erat sui generis; cum esset divina legislatio tum religiosa tum civilis apud hebraeos.

3° Ecclesia Dei extra hebraeos et generatim ante Moysen, nec erat societas iuridica, sed amicalis inter iustos, qui iuxta familias suas tempore Patriarcharum Deum colebant.

4° Falsum est principium, idest societatem antecedentem non posse pendere a subsequenti; etenim familia est antecedens et tempore et natura societati civili; et tamen hac instituta ab ea pendet, quia ad eam ordinatur ut minus perfectum ad magis perfectum in eodem genere.

Igitur dicendum argumentum valere si observemus Christum dedisse formam iuridicam Ecclesiae Dei, ideoque fecisse veram societatem exteriorem, obligatoriam et unam, quae antea erat societas quaedam indeterminata, generica, amicalis. Sed tunc hoc argumentum reincidit in aliquod antecedentium.

Quid autem si quis non admitteret factum divinum institutionis Ecclesiae? Tunc tantum ad hominem arguere possumus et ex principiis generalibus iuris naturae, ut suo loco videbimus.

ARTICULUS V.

De perfectione iuridica Ecclesiae ex positiva voluntate divini Fundatoris.

Propositio. — *Ecclesia Christi est societas iuridice perfecta ex voluntate sui divini Fundatoris.*

224. Haec demonstratio proprie fit a theologis dogmaticis, qui eam conficiunt argumentis tum generalibus tum specialibus; haec postrema distinctim ostendunt Christum Dominum contulisse Ecclesiae independentem potestatem legislativam, iudicialem et coactivam. Nobis sufficiat argumenta quaedam generalia in mentem revocare, ob rei praestantiam.

Probatur I. ex sacris Litteris: 1° testimonium Matth. XVI. 18, 19: « Tu es Petrus et super hanc pe-« tram aedificabo Ecclesiam meam.... et tibi dabo claves

« regni coelorum. Et quodcumque ligaveris super ter-
« ram erit ligatum et in coelis, et quodcumque solveris
« super terram erit solutum et in coelis ». Iamvero Ecclesia dicitur 1° fundata super Petrum; sed si potestas ecclesiastica esset dependens a civili, Ecclesia proprie esset fundata super Caesarem, imo super Caesares seu reges. 2° Non omne quod Petrus ligaret aut solveret in terris ligaretur et solveretur in coelis, sed quod prius Caesar vel princeps confirmasset. 3° Petrus autem ligat et solvit omnia; ergo non pendet a principibus; illud enim « quodcumque » saltem intelligendum est de iis quae ad vitam aeternam et scopum religiosum referuntur; secus sequeretur Petro datam esse potestatem etiam temporalem directam universalem, seu regiam, quod certe regalistae non admittunt.

225. 2° Item Matth. XVIII. 18. Dominus alloquens universos apostolos collegialiter, ait: « Amen dico vo-
« bis, quaecumque alligaveritis super terram erunt
« ligata et in coelo et quaecumque solveritis super
« terram erunt soluta et in coelo ». Super quem textum duae superiores postremae observationes repeti possunt. Et notat Ioannes XXII. Constit. *Licet iuxta doctrinam* (Raynald. tom. v. p. 347, edit. Lucensis) eos quoque ligari qui sunt inviti; ideoque potestas Ecclesiae non est mere directiva sed obligans. Idem patet ex contextu, nam versiculo antecedenti 17, ait: « Si
« Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus et pu-
« blicanus »; qui ergo Ecclesiam non audit, excluditur a regno Dei quod est in terra et quod ad coelum ducit, cum extra Ecclesiam salus non detur; est igitur sanctio maxima, nisi poenituerit.

226. 3° Item textus Matth. ult. 18-20: « Data est
« mihi *omnis* potestas in coelo et in terra. Euntes ergo
« docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Pa-

« tris et Filii et Spiritus Sanctus, *docentes* eos servare « omnia quaecumque mandavi vobis. Et ecce ego vo- « biscum sum omnibus diebus usque ad consummatio- « nem saeculi ». Mittuntur ergo apostoli cum plenitudine potestatis, et proinde independenter 1° ad praedicandum; 2° ad sacramenta administranda, quorum primum est baptisma; 3° ad disciplinam constituendam, nam docent modum servandi omnia quae Christus imperavit; et in his praestandis habent Dominum secum usque ad saeculi consummationem, idest tum ipsi tum ipsorum successores; et proinde Ecclesia est infallibilis in suis iuribus asserendis, idest in iis proponendis quae Dominus ei mandavit imperare populis. Igitur cum ad vitam aeternam ducat et disciplina, Ecclesia est in ea proponenda independens, cum agat ex plenitudine potestatis Christi ipsius.

227. Probatur II. ex traditione. Ad quaedam capita reducimus ss. Patrum testimonia, quorum speciminis gratia unum vel alterum sub singulis capitibus afferimus. Notandum est ss. Patres non reiecisse civilem potestatem tantum cum contradicit iuri divino, ut et paterfamilias et quilibet alius eam reiiceret dicendo « oportet magis obedire Deo quam hominibus », sed reiecerunt quemcumque interventum ex defectu competentiae et ob independentiam Ecclesiae. Si autem Ecclesiae commissa esset tantum infallibilitas in docendo, seu potestas magisterii, et potestas ordinis idest sacramentorum, sed non potestas iurisdictionis, saltem independentis, non posset Ecclesiae simpliciter asseri plenitudo potestatis, et eius superioritas super reges, nec simpliciter repelli interventus civilis potestatis in re ecclesiastica. Iamvero haec ss. Patres statuunt.

228. Etenim I. affirmant plenitudinem potestatis esse in ecclesiastico magistratu. S. Ignatius mart. epist.

ad Trallenses: « Quid est aliud episcopus, quam is « qui omnem principatum ac potestatem in Ecclesia « obtinet? (1) ».

2° Verum imperium et civili praestantius esse in Ecclesia. S. Gregorius Naz. orat. 17. ad Theodos.: « Te « quoque imperator, imperio meo et throno lex chri- « stiana subiicit. Imperium enim et nos quoque episcopi « gerimus; addo etiam praestantius et perfectius; nisi « vero aequum est spiritum carni fascem submittere, « et coelestia terrenis cedere ». Iamvero si potestas ecclesiastica esset dependens a civili, imperator non subiiceretur imperio vero et throno episcopali.

Idem s. Gregorius Naz. orat. 20. refert Modestum, praefectum praetorii sub Valente interrogasse s. Basilium: « Nos vero quid tandem tibi videmur? Nihil « sane, inquit Basilius, dum haec iubetis (idest in spi- « ritualibus);.... vos quidem praefecti estis et quidem « illustres non inficias eo: minime tamen Deo praestan- « tiores: socios tamen vos habere mihi quidem amplum « et honorificum fuerit..... sed ut alios quosdam qui « nobis subiecti sunt ».

Item s. Isidorus pelusiota lib. 3. ep. 246. (edit. pa- risien. 1658): « Ex sacerdotio et regno rerum admini- « stratio conflata est; quamvis permagna utriusque « differentia sit. Illud enim veluti anima est, hoc velut « corpus; ad unum tamen et eumdem finem tendunt; « hoc est ad animae salutem ».

---

(1) Nota generatim in citationibus graecorum apud auctores extare accidentales varietates, ob differentes versiones. Ita Emidius Ruggeri in suo opere *Storia de' Ss. Padri e dell'antica letteratura della Chiesa*, Firenze 1876, vol. I. textum s. Ignatii ad Trallenses, ita vertit: « Episcopus omni principatu et potestate superior est ».

Item s. Ioannes Chrysostomus hom. 15. in 2am ad Cor. num. 3 et 4: « Duplex imperii genus est; alterum « cuius opera homines populis et urbibus imperant ac « civilem hanc vitam moderantur.... At vero hic aliud « quoque imperii genus est, ac civili quidem imperio « sublimius. Quodnam igitur est hoc? Quod in Ecclesia « viget... hoc enim imperium tanto civili excellentius « quanto coelum terra, imo etiam praestantius ».

Item s. Gelasius papa ad imp. Anastasium scribens: « Duo sunt, imperator Auguste, quibus principaliter « mundus hic regitur, auctoritas sacra Pontificum et « regalis potestas, utraque principalis, suprema utra- « que, neque in officio suo alteri obnoxia est ».

Idem s. Gelasius papa ep. 4. « Quod si dicunt: Impe- « rator hoc facit; hoc ipsum quibus canonibus, quibus « regulis est praeceptum?... Si quantum ad religionem « pertinet nonnisi Apostolicae Sedi iuxta canones de- « betur summa iudicii totius. Si quantum ad sacculi « potestatem, illa a Pontificibus et praecipue a b. Petri « Vicario debet cognoscere, quae divina sunt, non ipsa « eadem iudicare ».

S. Ambrosius in sermone contra Auxentium de Basilicis non tradendis: « Quid honorificentius quam ut « Imperator filius Ecclesiae esse dicatur?.... Impera- « tor enim bonus intra Ecclesiam, non supra Eccle- « siam est ».

Et s. Augustinus: « Imperator est in Ecclesia, non « supra eam ».

Symmachus papa in apologia contra Anastasium imperatorem: « Conferamus honorem Imperatoris cum « honore Pontificis, inter quos tantum distat quantum « ille humanarum rerum curam gerit, iste divinarum ».

S. Fulgentius (apud Suarez, Defensio fidei catholicae, lib. VI. cap. I. n. 4): « Quantum pertinet ad huius tem-

« poris vitam, in Ecclesia nemo Pontifice potior, et « in saeculo, christiano imperatore nemo potior in- « venitur ».

S. Gregorius M. in Epistola inserta ante acta Synodi sextae: « Idcirco Ecclesiae praefecti sunt Pontifices a « Reipublicae negotiis abstinentes, ut Imperatores si- « militer ab ecclesiasticis abstineant et quae sibi com- « missa sunt, capessant ».

Et Stephanus VI. imperatori Basilio scribit: « Ac- « cipe, quaeso, benigna fronte quae sequuntur. Datum « est tibi curare ut iustitiam ministres subditis tuis, « ut leges condas, ut terra marique militares copias « disponas. Haec est praecipua cura potentiae et prin- « cipatus tui. Gregis vero cura nobis commissa est « tanto praestantior quanto distant a coelo ea quae in « terra sunt ».

3° Tradunt praeter ecclesiasticos magistratus, ne- minem aliquid posse in Ecclesia, etsi rex sit aut impe- rator. S. Ioannes Damascenus orat. I. de Imaginibus: « Ne tentes imperator, ecclesiasticum statum dissol- « vere. Ait enim Apostolus: quosdam quidem posuit « Deus in Ecclesia apostolos, quosdam autem prophe- « tas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et « doctores; non autem dixit reges ».

Idem s. Io. Damascenus orat. 2. de Imaginibus: « Tibi « parebimus imperator, in his quae ad huius saeculi « negotia pertinent.... Verum ad res Ecclesiae statuen- « das, pastores habemus qui nobis verbum loquuntur, « atque instituta ecclesiastica tradiderunt ».

Eadem repetit s. Theodorus studita, referente Teoc- teristo in vita s. Nicetae cap. 5. apud Bolland. die 3. Aprilis: « Tibi quidem imperator civilis status et exer- « citus commissus est; haec igitur cura. Ecclesiam « autem pastoribus et doctoribus, ut ait Apostolus,

« derelinque.... Hoc tibi ante omnia respondemus res « ecclesiasticas ad sacerdotes doctoresque pertinere; « imperatori vero exterarum curam propriam esse (1) ». (Apud Baronium ad an. 814. num. 17. et 19.).

4° Subesse Ecclesiae in iis quae ad eius finem assequendum pertinent, etiam supremos magistratus; et si contra egerint, iniuria agere. Ita Lucifer Calaritanus, qui ab antiquo ut sanctus habetur, lib. I. pro Athanasio ad Constantium imp. cuius indebitus interventus in re ecclesiastica notus est; animadvertit Lucifer forsitan imperatorem posse pro se invocare legem Deut. XVII. 8. 9. in qua praeter sacerdotes memoratur et iudex; hic iudex iuxta communem sententiam est ipse summus Sacerdos, cum de eo scriptum sit v. 12.: « Qui autem superbierit, nolens obedire sacerdotis im- « perio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo et « decreto iudicis, morietur homo ille et auferes malum « de Israel ». Tamen Lucifer ab hoc praescindit et arguit contra imperatorem in hypothesi etiam quod Moyses loquatur de iudice civili. Sunt autem verba Moysis: « Si difficile et ambiguum apud te iudicium « esse perspexeris.... Surge et ascende ad locum quem « elegerit Dominus Deus tuus. Veniesque ad sacerdotes « levitici generis et ad iudicem qui fuerit illo tem- « pore, quaeresque ab eis qui iudicabunt tibi iudicii « veritatem etc. » Lucifer autem subdit: « Sed dicis « isto in loco Deo devotissimus Moyses quomodo sa- « cerdotum fecit mentionem, sic et iudicis. Proba te « super nos factum iudicem, proba ad hoc te consti- « tutum imperatorem, ut nos armis tuis ad omnem « implendam voluntatem amici tui diaboli perduceres.

(1) V. Bolgeni. *Limiti dei due poteri pag. 65.*

» Cum probare non possis, quia praeceptum sit tibi « non solum non dominari episcopis, sed et ita eorum « obedire statutis, ut si subvertere eorum decreta ten- « taveris, si fueris in superbia comprehensus, morte « mori iussus sis, quomodo dicere poteris iudicare te « posse de episcopis quibus nisi obedieris, iam quan- « tum ad Deum, mortis poena fueris mulctatus? » Ut patet hic applicat textum veteris legis, novae, ex hypothesi et ex quadam analogia; sed excludit interventum imperialis auctoritatis non modo ratione abusus quia contradiceret in eo casu iuri divino, sed per se et simpliciter. Quae doctrina Luciferi Calaritani habet consentientes omnes Patres illius aetatis.

S. Athanasius ita eidem Lucifero rescripsit: « Acce- « pimus epistolas et libros religiosissimae ac sanctis- « simae animae tuae, in quibus perspeximus imaginem « apostolicam.... magisterium veritatis.... doctrinam « verae fidei.... traditionem integram patrum nostro- « rum, regulam rectam ordinis ecclesiastici.... Videris « esse templum Salvatoris, qui in te habitans haec « ipsa per te loquitur.... Crede mihi Lucifer, non tu « solus haec locutus es, sed Spiritus Sanctus tecum ».

Idem Athanasius in hom. ad monachos citat textus eiusdem sententiae ss. Pontificum Liberii et Iulii et episcopi Hosii et aliorum. Vide Roskovany, *Monumenta catholica pro independentia potestatis ecclesiasticae*, vol. I. En celebris textus Hosii Cordubensis episc. ex hist. arian. ad monachos s. Athanasii (edit. maurin. n. 44). « Quid tale a Constante (fratre Con- « stantii) actum est? aut quis ibi episcopus relegatus? « aut quando iudiciis ecclesiasticis interfuit? Desine, « quaeso, et memineris te mortalem esse; reformida « iudicii diem, serva te in illam diem purum, nec te « misceas ecclesiasticis rebus, neque nobis in hoc ge-

« nere praecipe; sed potius eas a nobis disce. Tibi Deus « imperium commisit, nobis quae sunt Ecclesiae con- « credidit; quemadmodum qui tibi imperium subripit, « contradicit ordinationi divinae, ita et tu cave ne « quae sunt Ecclesiae ad te trahens magno crimini « obnoxius fias. De te scriptum est: quae sunt Cae- « saris Caesari; de nobis: quae sunt Dei Deo. Neque « igitur fas est nobis imperium in terris tenere, ne- « que tu thimiamon et sacrorum potestatem habes ». Et num. 52. « Quandonam Ecclesiae decretum ab im- « peratore accepit auctoritatem? » Ibidem vocat Constantium abominationem desolationis, quae dicta est a Daniele propheta.

Notandum passim Patres allegare verba Domini « red- « dite quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo » ad defendendam independentiam utriusque potestatis.

Item s. Ambrosius in ep. 14. alias 33. alloquebatur Valentinianum imp. sic: « Allegatur imperatori licere « omnia, ipsius esse universa. Noli te gravare impe- « rator, ut putes te in ea quae divina sunt imperiale « aliquod ius habere; noli te extollere, sed si vis di- « vinitus imperare, esto Deo subditus; scriptum est: « Quae Dei Deo, quae Caesaris Caesari. Ad impera- « torem palatia pertinent, ad sacerdotem Ecclesiae; « publicorum tibi moenium ius commissum est, non « sacrorum ».

S. Eusebius vercellensis et Lucifer ad imp. Constantium: « Non enim de re romana iudicium est, quo tibi « ut imperatori fides adhibeatur, sed de episcopis agi- « tur, et oportet in hoc iudicio pari iure cum reo et « accusatore agi ».

S. Hilarius (opp. tom. 2.) ad eumdem imp. Constantium: « Provideat ac decernat clementia tua, ut omnes « ubique iudices, quibus provinciarum administrationes

« creditae sunt, ad quos sola cura et sollicitudo pu-
« blicorum negotiorum pertinere debet, a religiosa
« observantia se abstineant, neque post hoc praesu-
« mant atque usurpent, et putent se causas cognoscere
« clericorum ».

Leontius episcopus ad eumdem imp. « Miror impera-
« tor quî fiat ut aliis curandis destinatus, alia tractes?
« qui cum rei militari et reipublicae praesis, episcopis
« ea praescribis quae ad solos episcopos pertinent ».

Item Liberius papa pluribus et pluries ex s. Athanasio et Theodoreto, defendit libertatem iudicii ecclesiastici; (et nota agi non de causa dogmatica, sed de personali Athanasii, ideoque disciplinari).

Felix III. papa an. 492 ad imp. Zenonem: « Certum
« est hoc rebus vestris esse salutare, ut cum de causis
« Dei agitur, iuxta ipsius constitutum regiam volun-
« tatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non
« praeferre... » (Roskovany num. 21).

Gregorius II. ad Leonem Isaurum (an. 717 ad 731) in Bullario Rom. tom. I. « Quemadmodum Pontifex
« introspiciendi in palatium potestatem non habet, ac
« dignitates regias deferendi, sic neque imperator in
« Ecclesias introspiciendi et electiones in clero pera-
« gendi, neque consecrandi etc. »

229. Probatur III. ex facto perenni Ecclesiae. Etenim non modo traditio christiana semper vindicavit Ecclesiae suam independentiam doctrinaliter, sed multo magis practice factis, ut ex allatis testibus ss. Patrum colligi potest, et ex Ecclesiae definitionibus inferius afferendis, nec non ex universa ecclesiastica historia.

Etenim 1° Ecclesia non modo sese constituit contra praeceptum synagogae act. IV. et V. (quando apostoli dixerunt coram synedrio: oportet magis obedire Deo quam hominibus), quod praeceptum manifeste erat nul-

lum, utpote contrarium divinae iussioni evangelium praedicandi, ut et veteres regalistae concedebant; sed insuper etiam in ordinanda disciplina, apostoli semper processerunt, numquam requirendo auctoritates hebraeorum; hinc et concilium act. xv. celebrarunt, et postea Paulus cum Sila v. 41. « perambulat Syriam « et Ciliciam, confirmans Ecclesias, praecipiens custo- « dire praecepta apostolorum et seniorum »; et tunc maxima pars christianorum adhuc ex iudaeis conversis resultabat.

Item act. xvi. 4. Paulus et Timotheus « cum per- « transirent civitates tradebant eis custodire dogmata « quae erant decreta ab apostolis et senioribus qui « erant Ierosolymae ».

2° Independenter a politica potestate, imo ea repugnante, apostoli fundaverunt et ordinaverunt Ecclesias in universo orbe romano.

3° Data pace Ecclesiae, ipsi imperatores agnoverunt Ecclesiae independentiam, de quo statim authenticas probationes afferemus.

4° Quod si aliqui imperatores, ut Constantius, Valens et alii Constantinopolitani, sese immiscuerunt negotiis ecclesiasticis, a Patribus repulsi sunt, ut supra vidimus.

5° Idem praestitit Ecclesia cum imperatoribus occidentalibus, medio aevo, praesertim occasione investiturarum, nec non cum aliis regibus, ut cum Henrico II. Angliae rege, et aevo moderno in praetensione regii placiti, usque ad nostra tempora, adeo ut Ecclesia numquam acquieverit cum imminuta est ipsius independentia, ut ex particulari examine singularum quaestionum, quae diversis aetatibus inter Ecclesiam et societatis civilis rectores exortae sunt, apparebit, cum eas singillatim evolvemus.

230. IV. Confirmatur thesis ex imperatorum christianorum confessione. 1° Constantinus Magnus imperator, cum episcopi ariani supplicem libellum eidem dedissent, ut refert Rufinus (saec. V.) Hist. eccl. lib. 1. cap. 2. eisdem reposuit: « Deus vos constituit sacer-« dotes et potestatem vobis dedit de nobis quoque iu-« dicandi, et ideo nos a vobis recte iudicamur; vos « autem non potestis ab hominibus iudicari. Propter « quod Dei solius inter vos expectate iudicium, et ve-« stra iurgia quaecumque sunt ad illud divinum reser-« ventur examen. Vos enim nobis a Deo dati estis Dii, « et conveniens non est ut homo iudicet Deos, sed ille « solus de quo scriptum est: Deus stetit in synagoga « Deorum; in medio autem Deus iudicat ».

Idem Constantinus ex Eusebio lib. 3. de Vita Constantini cap. 1. in Conc. Nicaeno non prius assedit quam episcopi annuissent, et finito Concilio scripsit epistolam ad Alexandrinam Ecclesiam apud Socratem lib. 1. cap. 9. « Quod tercentis placuit episcopis nihil aliud « existimandum est quam Dei sententia, praesertim « cum in tantorum virorum mentibus, insidens Spiritus « Sanctus divinam voluntatem aperuit ».

2° Valentinianus I. (an. 364-376) ut refert Sozomenus Hist. eccl. lib. 6. cap. 7. ad episcopos occidentis: « Mihi qui in sorte sum plebis fas non est talia cu-« riosius inquirere; sacerdotes quibus ista curae sunt, « inter se ipsos, quocumque loco voluerint conveniant ». Ergo celebratio concilii est libera, et ibi negotia ecclesiastica pertractantur libere.

3° Theodosius M. (an. 379-395), leg. 3. cod. *de episcoporum iudiciis* vult episcopos iudicare de causis ecclesiasticis et quae contra facta fuerant ait: « Contra « leges non minus divinas quam humanas improba te-« meritate commissa ».

4° Honorius (an. 395-408) epist. ad fratrem suum Arcadium orientis imp. vehementer eum reprehendit quod s. Ioannem Chrysost. in exilium egerit iudicio saeculari: « Cum si quid de causa religionis inter an-« tistites ageretur; episcopale oportuerit esse iudicium; « ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos « religionis spectat obsequium ».

5° Theodoricus rex, quamvis arianus, cum accusatus esset Symmachus papa et audisset in synodo romana 4ª sub eodem Symmacho habita, Papam non posse iudicari, voluit lex ecclesiastica observaretur et Symmachus iudicio non fieret obnoxius.

6° Iustinianus imp. Nov. VI. « Maxima quidem in « hominibus sunt dona Dei a suprema collata clemen-« tia, sacerdotium videlicet et imperium; et illud qui-« dem divinis ministrans, hoc autem humanis prae-« sidens ac diligentiam exhibens; ex uno eodemque « principio utraque procedentia exornant vitam ».

7° Basilius imp. in Syn. VIII. laicos alloquens ait: « Nullo modo vobis licet de ecclesiasticis causis sermo-« nem movere. Haec enim investigare Patriarcharum, « Pontificum et Sacerdotum est, qui regiminis officium « sortiti sunt et coelestes adepti sunt claves; non no-« strum, qui pasci debemus ». (Orat. Basil. imp. in Concil. VIII. act. X. apud Labb. tom. VIII. col. 1134). Idem Imperator eadem oratione act. X. « De nobis autem « laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute con-« versamini, quid amplius dicam non habeo, quam.... « quod qualiscumque religionis et sapientiae laicus exi-« stat, vel etiam si universa virtute interius polleat, « ovis vocari non desinet.... oportet nos cum timore « et fide sincera hos (Patres) adire et a facie eorum « vereri, cum sint ministri Domini omnipotentis et « huiusmodi formam possideant ».

8° Inter reges medii aevi praestat invocare testimonium Ludovici VII. Galliarum regis qui de Friderico I. Aenobarbo reluctante potestati Ecclesiae (apud Baronium ad an. 1162 num. 10) ait: « An ignorat praedic-« tus Imperator, quod D. N. I. C. cum esset in terris, « b. Petro et per eum universis successoribus eius oves « suas pascendas commisit? Nonne audivit in Evange-« lio ab eodem Filio Dei eidem Principi Apostolorum « esse dictum: Simon diligis me? Pasce oves meas? « Numquid sunt hic Francorum reges vel aliqui prae-« lati excepti? » Aiebat enim Imperator ad se tantum spectare quae respiciebant Romanum Pontificem, et non ad ceteros Principes christianos.

231. Probatur V. ecclesiasticis definitionibus. 1° Occurrit constitutio dogm. Io. XXII. X. Kal. Nov. an. 1327 quae incipit *Licet*, adversus errores Marsilii Patavini et Ioannis de Ianduno, quae legi potest apud Raynaldum, continuatorem Baronii ad an. 1327 num. 27 et apud Roskovany op. cit. vol. 1. In ea defenditur independentia Ecclesiae ab imperatoria seu civili potestate, et in specie potestas coactiva; et in verba Matt. XVIII. « quaecumque alligaveritis » observat Pontifex ligari et invitos; item s. Petrum morte plectisse Ananiam et Saphiram, et s. Paulum Elymam magum caecitate ad tempus, et Corinthium tradidisse Satanae etc.; et contraria doctrina Marsilii damnatur ut haeretica.

2° Idem tradit Bulla Coenae, quae olim singulis annis feria V. maioris hebdomadae confirmabatur saltem a Martino V. an. 1417 et deinceps usque ad Clem. XIV. an. 1769. Quod autem nunc non amplius memoretur singulis annis, eius vim non imminuit; etenim documenta doctrinalia sufficit semel promulgari. Potest autem ex prudentia Ecclesiae explicari si ad querelas inutiles imo nocivas cum principibus vitandas, in ho-

rum usurpationibus damnandis non insistat ea frequentia quae olim necessaria vel utilis esse potuit; id enim ad disciplinam, non ad doctrinam pertinet, quae est immutabilis, ideoque semel proposita, pro semper proposita est.

3° Omnia documenta quibus summi Pontifices damnarunt facta civilis auctoritatis vindicantis sibi superioritatem in ecclesiasticis negotiis, praesertim damnationes regii placiti et *exequatur*, quibus mediis auctoritas laica asseruit suam superioritatem relate ad Ecclesiam; quae documenta in speciali disputatione de eodem regio placito erunt afferenda, et apud eumdem Roskovany collecta inveniuntur. Pariter ex Syllabo notabiles sunt propositiones XIX. « Ecclesia non est vera per-« fectaque societas plane libera, nec pollet suis pro-« priis et constantibus iuribus sibi a divino suo Fun-« datore collatis, sed civilis potestatis est definire « quae sint Ecclesiae iura ac limites, inter quos ea-« dem iura exercere queat »; in qua proposit. Ecclesia dicitur plane libera ad indicandam suam immunitatem a civili potestate.

Prop. XX. « Ecclesiastica potestas suam auctorita-« tem exercere non debet absque civilis gubernii venia « et assensu ».

Prop. LIV. « Reges et Principes non solum ab Ec-« clesiae iurisdictione eximuntur, verum etiam in quae-« stionibus iurisdictionis dirimendis superiores sunt Ec-« clesiae ».

Tandem in iure habemus plures canones, quos quilibet consulat in Decreto Gratiani distinctione X. quorum praecipui summantur sic: 1^us^ « Lex Imperatorum « ecclesiastica iura dissolvere non potest (Nicolai I.) ». 3^us^ « In ecclesiasticis causis Regis voluntas Sacerdoti-« bus est postponenda (Felix III. papa) ». 5^us^ « Quae

« sacerdotum sunt, regibus usurpare non licet (Nic. I. « ad Michaelem imp.) ». 6us « Tribunalia regum sunt « sacerdotali potestati subiecta (S. Greg. Nazianz.) » Et celebris est canon XI. distinctione 96 Ioannis I. « Si imperator catholicus est, filius est non praesul « Ecclesiae; quod ad religionem competit, discere ei « convenit, non docere ».

OBIECTIONES ET DIFFICULTATES

I. *Ex ratione.*

232. Et 1° ex iure sociali: si Ecclesiae esset independens potestas ad omnia media eius fini proportionata, sequeretur conflictus cum societate civili. Atqui conflictus duarum societatum est inordinatio. Ergo nequit admitti hypothesis. Confirmatur minor: si Ecclesia esset societas perfecta, quae etiam dicitur *Status*, sequeretur *Statum* esse in *Statu;* sed repugnat duas perfectas societates esse inexistentes, seu unam in alia existere; etenim independentia unius excludit independentiam alterius; secus deficeret principium ordinans ipsarum relationes, et proinde bellum esset eis naturaliter normale, quod est maxime absurdum; etenim si bellum esset conditio naturalis permanens, seu per se derivans ex rerum natura, non ratio ordini sociali praesideret, sed vis physica. Ergo bene negavit Febronius Ecclesiam esse statum.

Resp. 1° indirecte. Si argumentum allatum aliquid valeret, ostenderet societati civili negandam esse naturam societatis perfectae et independentis; etenim si una tantum esse potest societas perfecta, profecto talis potius dicenda erit quae curat finem ultimum aeternum, quam quae finem contingentem et temporalem.

Resp. 2° directe. Dist. mai. per se nego, per accidens conc. Quoad min. conflictus per se conc., per accidens subd. si nulla sit ratio eum iuridice finiendi conc., secus, ut evenit in re nostra, nego et nego consequens.

Et I. quoad maiorem, notandum est conflictum haberi posse vel per se, seu attento fine et natura societatis, ita ut finis unius excludat finem alterius, vel materia unius seu obiectum, excludat ordinationem duarum societatum, ideoque semper adsit conflictus; vel haberi potest per accidens, idest ex contingenti aliquo adiuncto; et tunc non est semper, sed tantum aliquando et quidem partialiter quoad aliqua obiecta et actus aliquos. Iamvero posita independentia Ecclesiae et status civilis, non sequitur conflictus per se; non enim est repugnantia inter finem utriusque; neque materia temporalis capax est tantum legislationis ecclesiasticae vel civilis; imo per se adest convenientia; etenim Deus qui Ecclesiam instituit pro felicitate aeterna, instituit quoque civilem societatem pro temporali; bona autem temporalia non sunt per se mala, ut volebant Manichaei, sed vidit Deus cuncta quae fecerat esse valde bona; tantum attendendm est, ut ait s. Gregorius papa, ut sic transeamus per bona temporalia ut non amittamus aeterna. Igitur conflictus non est per se, sed per accidens; hinc non semper, sed tantum aliquando; et partialiter, pro societate.

233. Est autem per accidens I. aliquando ex vitio hominum, ex. gr. quia inordinate appetunt temporalia; et tunc sequitur tantum corrigendum esse quod inordinatum est; et praesertim notandum conflictum hunc oriri potius ex vitio magistratuum civilium quam ecclesiasticorum, quia, ut aiebat s. Ambrosius (Epist. ad sororem) « cupidiores sunt imperatores sacerdotio,

« quam sacerdotes imperio ». Quod si aliquando esset ex vitio magistratus ecclesiastici, ex. gr. episcopi, tunc non est imputandum institutioni, seu Ecclesiae, sed personae.

II. Aliquando est citra culpam hominum si quae temporalia de caetero honesta opponantur, ex speciali adiuncto, bono spirituali; sed id nihil aliud probat quam quod temporalia non constituunt finem ultimum, aut proximum necessarium (ut gratia sanctificans), sed contingentem et proinde ordinandum, et ut plurimum ordinabile ad vitam aeternam, sed non semper, quo in casu ab eo abstinendum est. Sed id non fit ex ipsa rei natura, cum ex hypothesi agamus de re per se honesta, sed per accidens, ut in re contingenti; neque semper fit, imo neque frequenter, quia quae sunt per accidens raro fiunt. Imo pro societate, fit tantum partialiter; e contra pro individuo aliquando fit totaliter, cum ex. gr. ad succurrendum in spiritualibus proximo, puta ad infantem baptizandum, vita est amittenda; sed numquam fit ut societas debeat suae existentiae sacrificium pati, verum ab aliquibus tantum bonis prosequendis aut conservandis abstinere.

234. Quoad minorem concessimus conflictum qui esset per se, inter duas societates aliquid praeseferre in ordine morali et iuridico inordinatum; etenim lex moralis approbaret duas societates inconciliabiles, ideoque sibi contradiceret. Sed conflictus per accidens, eo quod ex causa accidentali et contingenti oritur, non excludit existentiam iuridicam duarum societatum independentium, sed tantum importat necessitatem conciliandi existentiam utriusque, aliquo temperamento, seu aliqua rationali norma.

Iamvero vel societates sunt ratione finis pares vel impares; si impares, idest una tendens ad finem su-

perioris ordinis, altera inferioris, norma est hanc cedere primae; hinc societas civilis cedat Ecclesiae; si pares, ut duae nationes, tunc vel dividant bonum ad quod ambae per se ius habent, si est divisibile, vel statuatur compensatio; quod si impossibile fuerit, ad sortes recurrendum esset; hinc bellum ex utraque parte per se iustum numquam adest. Bellum enim quamvis vocetur ultima ratio regum, tamen non est ratio; etenim consistit in vi physica, et absurdum est vim physicam esse medium iuridicum seu rationale resolvendi conflictum iurium seu rationum. Vis physica rationabiliter adhibetur tantum ad executionem eius quod ratio dictat, cum impedimentum aliquod opponitur.

235. Quoad confirmationem allati argumenti « repugnat Statum esse in Statu » dist. Statum circa eumdem finem conc., circa fines diversos subd. si sunt nullo modo oppositi nego; si oppositi subd. si per se conc., si per accidens iterum subd. si nullo modo subordinati transeat, si subordinati nego. Quamvis nomen *Status* communius adhibeatur ad indicandam societatem civilem, ideoque opponatur Ecclesiae, tamen ea denominatio per se significat societatem perfectam, et proinde tunc et Ecclesiae competit, et eadem significatione usus est Febronius cum immerito negavit Ecclesiam esse Statum. Sed tunc, inquiunt, sequeretur Statum esse in Statu, sive intelligamus Ecclesiam supervenire statui civili et esse eius partem, sive e contra societatem civilem esse in Ecclesia; etenim non modo adsunt relationes individuorum eorumdem ad Ecclesiam et Statum, cum civis est christianus, sed insuper ipsae duae societates habent inter se relationes iuridicas prout sunt societates. Iamvero contendebat idem Febronius et ante eum protestantes, repugnare duos Status habere eosdem subditos, et repugnare Statum in

Statu. Verum distinctiones datae, quarum applicatio post ea quae diximus, facilis est Ecclesiae et Statui, omnem removent difficultatem. Etenim certe repugnat Statum in Statu cum finis est idem; tunc enim duplex independens auctoritas distraheret ad diversa socios, pari iure. Sed si finis sit diversus non repugnat eosdem homines tendere ad utrumque, dummodo non sint oppositi natura sua seu per se; hinc neque repugnat regi a duplici auctoritate independenti in suo ordine; quod si fuerit per accidens conflictus, aufertur attendendo superioritatem finis; id autem fit in re nostra; quod si finis esset eiusdem praestantiae et proinde nulla esset superioritas inter duas societates, dici posset aliquo modo amicabili componendum esse conflictum, quin necesse esset excludere alterutram societatem; sed quoniam hic casus non evenit in re nostra, diximus *transeat*.

Iamvero facilis est applicatio huius theoriae, cum fines Ecclesiae et status civilis sint non modo distincti sed per se independentes ita ut possibile sit instituere duas societates in suo ordine perfectas; tamen Ecclesiae finis est superior; hinc ratione finis ultimi societas civilis subordinatur ecclesiasticae, et proinde in conflictu, qui tantum per accidens esse potest, haec praevalet.

236. Obiicitur II. Societas perfecta oportet habeat plenam iurisdictionem, quae importat proprium territorium; nemo enim in alieno territorio potest liberam exercere potestatem, sed tantum domino permittente et ab eo dependenter. Atqui Ecclesia caret territorio; est enim principis. Ergo Ecclesia non est societas perfecta.

Respondeo negando Ecclesiam carere territorio; agitur enim de iure explicandi auctoritatem suam in ali-

quo territorio, non autem de dominio civili aut politico. Etenim ius relate ad territorium, vel est utendi fruendi de eius utilitate atque de eodem disponendi excludendo ceteros relate ad eamdem utilitatem, et tunc est dominium privatum, seu proprietatis; vel est ius exercendi in eo iurisdictionem, et tunc vel respicit iurisdictionem civilem, vel ecclesiasticam; si 1^{um} habetur dominium politicum; si 2^{um} dici posset haberi dominium religiosum vel ecclesiasticum huius territorii.

Iamvero sicut necesse non est eum qui gaudet dominio privato, polleat dominio politico, ita necesse non est ut qui pollet politico, gaudeat et ecclesiastico. Quod si ius Ecclesiae exercendi suam missionem in territorio aliquo, non placeat appellare dominium religiosum, dicatur ius servitutis activae, vel quocumque alio nomine designetur, dummodo res conservetur.

Fundamentum difficultatis oritur ex falso supposito ius in aliquo territorio esse indivisibile, adeo ut qui dominus est, talis sit quovis sub respectu; quod non est verum; etenim ius in territorio oritur ex titulo illud conferente; sed titulus potest conferre dominium privatum, quin conferat politicum; et politicum quin conferat ecclesiasticum. Hinc dominium unius est ius exclusivum aliorum, sed in eodem ordine, idest dominium privatum Caii excludit dominium privatum Sempronii, sed non excludit politicum regis; ita et dominium politicum regis non excludit dominium seu ius religiosum Pontificis. Hinc falsa sententia protestantium: « cuius est regio, illius est et religio ».

Iamvero Ecclesia accepit a suo divino Fundatore, Matt. ult., missionem in universam terram ex plenitudine potestatis Christi « data est mihi *omnis* potestas « in coelo et in terra; euntes ergo docete *omnes* gen- « tes etc. » Neque est contradictio cum dominio regis,

quia hoc respicit dominium politicum; igitur utraque iurisdictio, ecclesiastica et civilis, potest exerceri in eodem territorio.

237. Ex hoc apparet quam falsa sit et sententia eorum qui auctoritatem summi Pontificis dicunt *extraneam* ut invidiam et diffidentiam principum excitent; etenim auctoritas summi Pontificis est immediata et universalis; hinc s. Bernardus scribens ad Eugenium III. lib. 3. de consid. cap. I. ait: « Orbe exeundum est ei, « qui forte volet explorare, quae non ad tuam perti- « nent curam ». Hinc a sancto Officio schismatica et haeretica declarata est sub Innocentio X. propositio asserens constitutiones pontificias extra eius dominium temporale promulgatas, in alieno territorio legem ferre; quam propositionem iterum reprobavit Clemens XI. Constit. *Accepimus*, diei 11 Ian. 1715.

238. Obiic. III. Ecclesiam esse in republica; sed pars oportet suo toti subordinetur tamquam maiori. Ergo Ecclesia pendet a Statu.

Resp. dist. mai. Ecclesia est in republica formaliter negamus, materialiter subd. si sermo sit de singulis fidelibus aut de Ecclesiis particularibus conc., de ipsa Ecclesia universali iterum subd. si inspiciantur respublicae in concreto nego; in abstracto et in communi transeat.

Quoad minorem, dist. suo toti subordinari debet pars formalis conc., materialis nego et nego consequens.

Formaliter esse in aliqua societate significat esse partem homogeneam eiusdem, idest ratione finis proximi; materialiter autem esse in alia significat contineri in membris et territorio alterius. Iamvero Ecclesia non est pars formalis reipublicae cum eius finis sit distinctus et superior, utpote spiritualis et supernaturalis.

239. Materialiter autem possumus transmittere cum

non officiat thesi nostrae. Tamen etsi tempore societas civilis praecedat Ecclesiae, ideoque haec in illa materialiter recipiatur, in Dei mente prius intenditur Ecclesia quae curat bonum spirituale, et dein respublica; hinc haec veluti in illa recipitur. Deinde Ecclesia cum sit catholica, excedit quascumque societates civiles distributive sumptas; et quoniam in concreto iuridice non existit societas civilis in genere, sed singulae societates civiles, hinc Ecclesia est materialiter maior singulis; collective autem essent aequales quoad territorium et etiam quoad membra quando Ecclesia obtinebit plenam suam evolutionem et fiet unus pastor et unum ovile.

240. Quod si non consideremus societatem civilem in genere, sed status nunc existentes, etiam falsum est Ecclesiam materialiter esse in republica; etenim tantum singuli homines prius recipiuntur in republica et deinde per baptisma fiunt christiani; sed ipsae societates civiles hodiernae efformatae sunt in Ecclesiae sinu, cum eis praeexistat et veluti sint totidem eius familiae quas genuit et suscepit.

241. Obiic. IV. Ante Ecclesiae constitutionem societatem civilem fuisse in legittima possessione suae libertatis; imo et res religiosas ordinis naturalis legittime ordinasse; iamvero iniquum est aliquem exturbari legittima sua possessione, multo magis imminuere positiva eius iura.

Haec difficultas habet duas partes; in 1ª consideratur Status civilis independentia ex eo quod desit superior societas; est igitur independentia quaedam negativa; hinc superveniente Ecclesia imminuitur eius ius negative, non quatenus aliquid subtrahatur eius competentiae, sed quatenus ponitur sub Ecclesia ratione finis, quoad omnia quae ei competunt. In 2ª asseritur

Statum habuisse ex propria natura ius legem dicendi in negotiis religionis naturalis, ex. gr. cultum publicum moderandi; quod, superveniente Ecclesia, ei ablatum est; igitur eius iura essent positive imminuta, cum aliqua subtracta fuissent eius competentiae, quae de cetero ad eumdem Statum spectassent; id videtur non admittendum, quia gratia non destruit sed perficit naturam; et contra ordinem naturae nemo aliquid potest, neque Deus ob suam sapientiam.

242. Examinemus separatim 1am partem difficultatis; negamus Statum fuisse iure independentem; etenim iam ab initio extitit divina revelatio et supernaturalis religio; et quamvis ante Moysen, et etiam post ipsum apud gentes, societas religiosa non haberet formam iuridicam, ideoque neque extaret proprie dicta auctoritas religiosa cui Status deberet obsequi, tamen et Status tenebatur observare principia revelata, et singuli homines tenebantur ea sequi etiam cum Status aliter praecepisset; igitur Status non erat independens nisi demonstraretur Statui tributam fuisse a Deo auctoritatem custodiendi et interpretandi principia revelata, idest omnes principes fuisse et pontifices iure divino supernaturali.

Iamvero nemo id adhuc excogitavit; quidquid enim sit de iuribus principum in re religiosa, in statu merae naturae, de quo in 2a parte difficultatis, certum est ipsis hunc supernaturalem pontificatum traditum non fuisse. Ergo Status numquam fuit iuridice independens; tamen de facto, omnia fere regna discesserant a Dei mandatis; ergo rebellaverant; igitur Ecclesia vindicavit antiquum ius Dei.

243. Et notandum religionem in concreto non posse in duas dividi, idest in naturalem et supernaturalem, adeo ut possimus supponere auctoritates diversas eis-

dem praeesse, ex. gr. regiam naturali, et pontificiam supernaturali; etenim una est religio; est enim systema seu ordo eorum quae pro salute aeterna consequenda, servanda sunt, et posita elevatione hominis ad finem supernaturalem, ipse iam nequit consequi finem ultimum gradus mere naturalis (qui est cognitio Dei abstractiva), sed vel consequitur finem supernaturalis gradus (visionem Dei beatificam), vel nihil. Hinc totum systema naturalis religionis dirigitur ad finem supernaturalem, idest elevatur ad ordinem supernaturalem, et, generalius, facta revelatione haec includit vel supponit et veritates religiosas naturales, ideoque qui curam habet de revelatis, curam quoque necesse est habeat et veritatum naturalium, quae sunt substratum revelatarum. Iamvero cum societas civilis sit ordinis naturalis, nequit per se ius habere ad supernaturalia regenda; ergo oportet ei detur a Deo sive immediate sive mediate. Hinc si distinguerentur duae auctoritates, naturalis et supernaturalis in ordine religioso, et illa errante nequiret ab hac corrigi, iam frustraretur finis supernaturalis. Igitur una est auctoritas religiosa, seu supernaturalis: hinc etsi Deus aliquid iuris reliquisset potestati regiae in re religiosa, esset semper dependenter ab auctoritate supernaturali pontificia. Igitur numquam auctoritas civilis fuit independens, imo iuridice numquam habuit curam religionis mere naturalis, cum vera religio a mundi exordio fuerit semper supernaturalis.

244. Sed modo praescindamus a facto; consideremus principium, seu iniuste aliquem expoliari sua legittima possessione: dist. dum possessio remanet iusta conc., cum cessat eius iustitia nego. Et sane etsi Deus ab initio non statuisset supernaturalem religionem, potuisset tamen semper eam instituere; igitur etsi per

aliquod tempus reges fuissent in sua negativa independentia, eam amisissent iuste ex facto Dei. Neque id fuisset in regum et societatis civilis detrimentum; etenim cum religio supernaturalis sit perfectior naturali, est magis efficax; cumque societas civilis indigeat influxu religionis, eo melius se habebit quo haec fuerit perfectior; ex quo et regum auctoritas evadet firmior in negotiis suae competentiae.

245. Sed nunc transeamus ad alteram difficultatis partem, quae aiebat, ex nostra doctrina, iura regum per Ecclesiae institutionem fuisse positive imminuta, cum eis de cetero competivisset regimen religionis naturalis. Quaenam sint iura principis naturalia circa religionem naturalem, ne quaestiones implicemus, inferius videbimus in quaest. 2ª § 3. Nunc aptamus 2ae parti difficultatis eamdem responsionem ac 1ae, idest nequeunt iuste imminui iura naturalia principis dist.: naturaliter conc., supernaturaliter subd. in damnum humanae societatis et finis principatus ipsius conc., in utilitatem nego.

Et sane Deus est Dominus naturae, ideoque et iura naturalia valet moderari; hinc augere vel imminuere; tantum Pharao dixit: « non novi Dominum ». Ergo quaecumque fuerint iura principum circa res religiosas, poterant a Deo eis auferri; et nota profecto finem directum et proprium societatis civilis, esse felicitatem temporalem; sed quoniam religio est fundamentum moralitatis, et moralitas est fundamentum felicitatis etiam praesentis, per consequens quae religionem spectant intersunt societatis civilis; hinc religio quatenus fundamentum ordinis socialis interest reipublicae; non autem proprie quatenus religio est, seu ut medium pro felicitate aeterna; hoc enim spectat ad singulos individuos, et non habet naturaliter princeps maiorem

efficaciam ac alii in ea procuranda, aut potestatem ullam. Est ergo obiectum indirecte sese referens ad principem; hinc quod nemine providente, possit aliquid princeps circa religionem naturalem non est absurdum; sed si Deus provideat, tunc tutum est fundamentum societatis civilis, imo tutius; status proinde nihil habet quod videat in hoc negotio, nisi quod revereatur divinam institutionem; imo melius se habet eius conditio, quia tutius est fundamentum, et proinde expeditus a curis religiosis, princeps melius et tutius attendit felicitati praesenti procurandae. Hinc diximus Deum ex sua sapientia non posse imminuere iura naturalia principis in detrimentum finis ob quem principatus est institutus, sed tantum in utilitatem, quae utilitas habetur in re nostra.

246. Ex quo apparet et quid respondendum sit effato illi quod saepe auditur, *gratia non destruit naturam sed perficit*. Si enim perficit, aliqua addit et modificat, et proinde quaedam etiam imperfecta aufert. Iamvero iura, diversa sunt pro diversa conditione in qua quis est; hinc quoniam essentia est semper eadem, et iura rigorose essentialia semper eadem sunt; sed cetera modificantur; ita et homo aut familia extra societatem, est indipendens; ideoque pollet pluribus (ex. gr. armata vi prosequendi ius suum), quae amittit inita societate; et tamen perfectior est status civilis quam solitarius. Iamvero quod religio esset tantum naturalis, sine ullo pontifice divinae institutionis, ac proinde quod curaretur ab hominibus, hinc quod et a principe posset curari, non erat naturae perfectio, sed imperfectio; igitur ad ea pertinet quae a gratia seu ab ordine supernaturali modificari et auferri possunt.

247. Nota tamen officium principis circa religionem, ut inferius videbimus, duplex esse posse, defensivum et

ordinativum; defensivum, compescendi quae religionem offendunt; constituit proinde curam religionis negativam; ordinativum, praescribendi quae ex religione praestanda sunt, in quo cura positiva religionis consistit. Per revelatae religionis institutionem, 1^um^ officium non est principi ablatum, sed confirmatum, ut ex inferius dicendis; tantum ut tutius et efficacius praestaretur, non iudicat iudicio suo fallibili, sed sequendo iudicium infallibile Ecclesiae; e contra si quod habere potuit ius et officium in statu naturae, moderandi positive cultum, amisit, cum nobilior sit ordinata a Deo potestas; defensio autem armata ei relicta est, quia solus habet vim armatam.

248. Igitur possumus et sic respondere: institutione Ecclesiae imminuitur ius principum defensivum et substantiale nego; ordinativum subd. quod eis competat ut perfectio, ideoque cum detrimento societatis et finis principatus ipsius, nego; quod eis competere possit ex imperfectione transeat. Atqui imminutio iurium naturalium admitti nequit, contrad.: quae ex perfectione derivant et cum detrimento societatis conc., ex imperfectione et cum utilitate societatis nego.

249. Obiic. V. Si civilis auctoritas suscipiendo christianam religionem, in sua libertate et in suis iuribus imminueretur, principes fierent alieni ab eadem religione suscipienda.

Resp. id tantum irrationabiliter praestarent; 1° quia Deo rebellarent ut Pharao; 2° quia melius est pro societate civili et pro securitate principis, religionem curari supernaturali pontificatu; hinc tantum quaedam secundaria ad summum amitteret, cum maxima utilitate pro fine sociali.

250. Obiect. VI. Societas independens pollet iuribus maiestaticis; atqui Ecclesia eis caret, sed tantum eis

pollet societas civilis. Ergo Ecclesia non est societas independens.

Resp. si nomine iurium maiestaticorum indicetur suprema potestas, idest legislativa, iudiciaria et coactiva ordinis civilis, Ecclesiae non competit; sed si intelligitur, ut intelligendum est cum de re ecclesiastica agitur, potestas suprema independens legislativa, iudicialis et coactiva ordinis ecclesiastici, iura maiestatica Ecclesiae competunt, quamvis hoc nomen soleat adhiberi ad civilis potestatis iura indicanda. Quod autem Ecclesiae competat suprema potestas in ordine suo independens obligandi per leges, iudicandi et puniendi non modo per poenitentias, sed coactive, subditos suos, demonstravimus in thesi.

251. Obiect. VII. Ecclesia est societas spiritualis; sed societas spiritualis mediis tantummodo spiritualibus utatur oportet; etenim necesse est media sint fini proportionata. Sed societas utens tantum mediis spiritualibus dici nequit perfecta. Ergo Ecclesia non est societas perfecta.

Resp. Ecclesiam esse societatem spiritualem ratione finis, sed non ratione sociorum; hinc neque mediorum, cum haec oporteat sint proportionata fini assequendo, attenta natura subiecti a quo adhibenda sunt; igitur si a societate hominum adhibenda sunt, oportet sint sensibilia; nam et sensibilis est homo, et homines tantum sensibiliter inter se valent communicare, ideoque socialis auctoritas uti potest tantum mediis sensibilibus, quae tamen tendunt ad effectum spiritualem. Cum autem Ecclesia sit non modo societas tendens ad finem spiritualem, sed etiam supernaturalem, oportet haec media et supernaturalem efficaciam habeant, idest gratiam sanctificantem producendi, quae efficacia profecto invisibilis est; media proinde oportet sint sensibilia

seu visibilia ut ab Ecclesia valeant ministrari, et insuper habeant efficaciam invisibilem, ut gratiam producant; et hac ex causa unice a Deo dari possunt, cum ipse unus possit tribuere efficaciam supernaturalem rebus sensibilibus, ut habemus in sacramentis.

252. Obiect. VIII. Societas iuridice perfecta ea est quae disponit de ordine externo iuridico. Atqui id competit societati civili et non Ecclesiae. Ergo societas tantum civilis est iuridice perfecta. Ecclesia erit perfecta in ordine morali et religioso, et pro foro interno, non autem in ordine externo iuridico. Hinc distinctio iam inducta a veteribus regalistis, inter disciplinam internam et externam. Illa respicit rectam rerum ecclesiasticarum ordinationem ad finem religiosum et intra religionis ambitum; haec respicit ordinationem effectuum iuridicorum; prima pendet ab Ecclesia, ex. gr. quomodo sacramenta sint administranda; haec pendet a Statu, ex. gr. an Ecclesiae concedenda sit bonorum temporalium acquisitio et quibus clericis competat eorumdem possessio.

Respondemus dist. mai. Societas iuridice perfecta disponit de ordine externo iuridico simpliciter nego, in ordine ad finem suum concedo.

Quoad min. Societas civilis est quae disponit de ordine iuridico dist. quoad finem temporalem conc., quoad spiritualem nego. Est enim Ecclesia. Et sic negatur consequens.

Cum ordinem iuridicum simpliciter nuncupamus, intelligimus temporalem; negotia enim temporalia sunt obiectum magis ordinarium iuris; hinc societas disponens de ordine iuridico dicitur simpliciter societas civilis. Sed aliquando et negotia spiritualia cadunt sub iure; et tunc Ecclesia quoque disponit de effectibus iuridicis relativis. Hinc distinctio inter disciplinam

Ecclesiae internam et externam, eo sensu inducta ut prima tantum reservetur iudicio ecclesiastico, et secunda tribuatur competentiae civili, est falsa. Ecclesia enim est perfecta non modo ut religio, sed praecise ut societas visibilis et iuridica.

253. Obiect. IX. Finis Ecclesiae est salus aeterna; sed salus aeterna tantum libere obtineri potest. Ergo Ecclesia nequit cogere fideles. Sed societas perfecta habet ius cogendi suos. Ergo Ecclesia non est societas perfecta. Addit Mamiani, *Teoria della Religione e dello Stato* (Firenze, Le Monnier 1868) pag. 51, coactionem non religionem generare, sed religionis simulacrum, ideoque inutilem esse, noxiam et inhonestam. Ei concinunt Castagnola Stephanus, *Delle relazioni giuridiche della Chiesa e dello Stato*; Cadorna Carolus, *La conciliazione-transazione* et ceteri neotherici passim.

Resp. libertatem quae servanda est in prosecutione finis spiritualis, ex catholica doctrina duplici in casu considerari, 1° ad merendum; est enim necessaria ut actus sit meritorius; 2° ut quis adultus fidem amplectatur et Ecclesiae adscribatur. Iamvero neutro sub respectu opponitur iis quae diximus de potestate Ecclesiae etiam coactiva in suos; etenim ideo quia est in suos, non respicit conversionem infidelium, qui nequeunt cogi ad baptisma, neque puniri si ad illud non veniant. Sed nos agimus de fidelibus; iamvero his necessaria est libertas ad merendum; verum id non excludit ius Ecclesiae tum eos obligandi per leges, praecepta et sententias, tum puniendi; lex enim datur personae physice liberae, sed quae per legem amittit libertatem moralem; poena autem fertur in eos qui libertate abusi sunt. Poena vero movet voluntatem ut libere bonum faciat, sive antecedenter eam deterrendo ne a bono proposito discedat et legem infringat; sive

consequenter ad delictum, ut eius libere et interne poeniteat Deoque et societati satisfaciat, ut eius officium est; ergo non cogit, sed plus vel minus efficaciter voluntatem movet ut libere bonum operetur. Libertas enim ad meritum requisita, est libertas indifferentiae, quae nequit auferri quacumque externa coactione; haec tantum voluntatem deterret, sed non cogit; sed deterrere voluntatem a malo, non est laedere eius dignitatem; secus Deus qui proponit poenam aeternam, maxime laederet humanam dignitatem et libertatem. Et sane laesio est, cum contra ordinem naturae ad aliquid inclinamus, non autem cum conformiter naturae; tunc enim curamus ut persona servet suam dignitatem, et ne abutatur libertate physica contra libertatem moralem, eius limites violando. Hinc de se, coactio non tendit ad hypocrisim generandam, sed potius ad virtutem promovendam.

254. Deinde notandum est poenas praesertim temporales plus proponi ad iniurias contra religionem propulsandas, ideoque ad actus irreligiosos impediendos, quam ad procurandam positionem actuum religiosorum. Quod si aliquando timore poenae, quis ponat actum externum absque necessariis internis dispositionibus, et sic peccet, forsitan etiam graviter, erit ex mero abusu peccatoris et praeter intentionem societatis, quae intuitu boni publici, permissive se habet quoad peccatum individui. Et proinde propositae difficultati respondetur in forma: Finis Ecclesiae est salus aeterna tum individui tum societatis conc., individui tantum nego. Salus aeterna tantum libere obtineri potest, dist. idest oportet operari cum libertate indifferentiae conc., absque ullo motivo extrinseco nego. Iamvero Ecclesia per poenae comminationem non aufert libertatem indifferentiae, sed tantum voluntatem roborat contra pravas

inclinationes, ideoque potius eam adiuvat ut muneri suo satisfaciat.

255. Ex his apparet potestatem coactivam non opponi non modo charitati erga societatem ecclesiasticam sed neque erga individuum, cum Ecclesia quantum de se est, delinquentem puniat ut eum salvet, iuxta quod de incestuoso Corinthio aiebat s. Paulus « ut spiritus « salvus sit in die D. N. I. C. » Id bene explicat s. Augustinus pluries, ut epist. 85: « An non pertinet ad « diligentiam pastoralem etiam illas oves, quae non « violenter ereptae, sed blande leniterque seductae a « grege aberraverint, si resistere voluerint, flagello- « rum terroribus, vel etiam doloribus revocare? » Et in op. contra Parmen. lib. III. cap. III. n. 3. alludens ad virgam nominatam ab Apostolo (1. Cor. IV. v. ult.) « Numquid tamen et virga sine charitate est, quia ita « contexuit (s. Paulus): in virga veniam ad vos an « in charitate? Sed quod sequitur *et spiritu mansue-* « *tudinis*, admonet intelligi, quia et virga charitatem « habet. Sed alia est charitas severitatis, alia charitas « mansuetudinis; una quidem charitas est, sed diversa « in diversis operatur ». S. Paulus autem nominans virgam videtur alludere ad Prov. XIII. 24. « Qui parcit « virgae, odit filium suum; qui autem diligit illum, in- « stanter erudit », et Prov. XXIII. 13. « Noli subtrahere « a puero disciplinam, si enim percusseris cum virga « non morietur; tu virga percutias eum, et animam eius « de inferno liberabis ». Et epist. 143 ad Vincentium, idem s. Augustinus loquens de legibus imperialibus contra Donatistas ait: « Legum terror ita profuit ut multi « dicant: Gratias Domino qui vincula nostra disrupit ».

2° *Obiiciunt ex sacra Scriptura.*

256. I. Ex Evangelio s. Lucae XX. 25. 26, apparet ipsum Dominum adsignasse Ecclesiae media tantum

suasiva: « Reges gentium dominantur eorum et qui « potestatem habent inter eos benefici vocantur; vos « autem non sic; sed qui maior est, fiat sicut minor, « et qui praecessor est, sicut ministrator. Nam quis « maior est, qui recumbit an qui ministrat? Ego au- « tem in medio vestro sum, sicut qui ministrat ».

Resp. Dominum voluisse insinuare apostolis zelum gloriae Dei et salutis proximorum, quae unice intendere debent in suo ministerio, non autem elationem aut suam utilitatem, sicut reges, et quidem gentium seu infideles; et proinde ab apostolis non excludit ius supremum et independens regendi fideles etiam coactive, sed indicat scopum et modum potestatis exercendae; secus contradiceret aliis locis in quibus potestatem plenam dat apostolis, ut Matt. XVI. XVIII. et aliis citatis in thesi. Hinc et exemplum suum adducit, qui cum esset Dominus et Magister, insignitus plenitudine potestatis in coelo et in terra, tamen stabat inter eos ut qui ministrat recumbentibus, seu ut servus.

257. Obiect. II. Ex Matt. x. 14. Dominus reservat sibi iudicium eorum qui Ecclesiae adversantur, nec ab Ecclesia vult eos puniri; ait enim: « Quicumque non « receperit vos neque audierit sermones vestros, exeun- « tes foras de domo vel civitate excutite pulverem de « pedibus vestris. Amen dico vobis, tolerabilius erit « terrae Sodomorum et Gomorraehorum in die iudicii « quam illi civitati ».

Respondemus hic agi de infidelibus qui non adhuc christianam fidem susceperunt, ideoque Ecclesiae potestati subiecti non sunt, iuxta id quod ait Apostolus I. Cor. v. 12. 13. « Quid enim mihi est de iis qui foris « sunt iudicare? Nonne de iis qui intus sunt vos iu- « dicatis? Nam eos qui foris sunt, Dominus iudicabit. « Auferte malum ex vobis ipsis ». Iamvero Dominus

loco obiecto s. Matthaei loquitur de iis qui Evangelium respuebant, ideoque foris erant.

258. III. obiiciunt ex s. Paulo qui II. ad Tim. IV. 4. 5. ait: « Nemo militans Deo implicat se negotiis saecularibus, ut ei placeat cui se probavit. Nam et qui certat « in agone non coronabitur nisi legittime certaverit ». Ergo Ecclesia adhibens media saecularia seu temporalia non legittime certat. Sed societas perfecta adhibet media saecularia. Ergo Ecclesia non est societas perfecta.

Resp. eum qui militat Deo sese non immiscere negotiis saecularibus quoad scopum conc., quoad materiam tantum nego. Negotia enim non dicuntur saecularia aut spiritualia, quia illa visibilia sint, haec invisibilia, sed ratione finis; dixerat autem s. Paulus v. 3. « labora sicut bonus miles Christi »; et prosequitur eum monens ne distrahatur a suo ministerio, ne misceat se negotiis saecularibus. Hoc sophismate Henricus VIII. sibi vindicabat et modum ponere administrationi sacramentorum quia est res temporalis. (Rohrb. lib. 84. § 7.). Ceterum ipse Paulus Corinthium (I. Cor. v. 5.) incestuosum tradiderat « Satanae in interitum carnis ». Quocumque modo intelligatur haec poena traditionis Satanae, certe est poena, et importat vim coactivam et afflictionem etiam sensibilem in interitum carnis. Item I. Tim. I. 20. ait se Satanae tradidisse Hymenaeum et Alexandrum ut discant non blasphemare. Plura autem habet in 2. ad Cor., nam cap. x. 3. ait: « in carne enim ambulantes, non secundum carnem militamus; nam arma militiae nostrae « non carnalia sunt, sed potentia Deo ad destructionem munitionum, consilia destruentes, et omnem « altitudinem extollentem se adversus scientiam Dei... « et in promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam,

« cum impleta fuerit vestra obedientia ». Et cap. XIII. v. 2. ait: « Praedixi et praedico ut praesens et nunc « absens, iis qui ante peccaverunt, et ceteris omnibus, « quoniam si venero iterum, *non parcam* »; vers. 3. « an experimentum quaeritis eius qui in me loquitur « Christus, qui in vobis non infirmatur, sed potens est « in vobis? » vers. 10. « ideo haec absens scribo, ut « non praesens durius agam secundum potestatem quam « Dominus dedit mihi in aedificationem et non in de- « structionem ». Item I. Cor. IV. 21. « in virga veniam « ad vos an in charitate et in mansuetudine spiritus? » Alias idem sanctus Paulus (Act. XIII. 11.) virtute divina excaecavit Elymam magum, sicut s. Petrus vel melius Deus morte percusserat Ananiam et Saphiram (Act. V.); et sacer textus bis repetit, vers. 5. « et factus « est timor magnus super omnes qui audierant », et v. 11. « in universa Ecclesia et in omnes qui audierunt « haec ». Cum enim tunc temporis Apostoli destituerentur qualibet vi humana, Deus dabat eis virtutem coactivam sensibilem supernaturalem, vel per se vindicabat inobedientiam erga suos apostolos. Item ipse Dominus flagellis e templo eiecerat violatores, quod profecto sine virtute divina esse non potuit; non enim multi uni restiterunt, neque petierunt in qua potestate id ageret, ut notat Evangelista.

259. Obiect. IV. S. Paulus II. Tim. IV. 2. describens arma praelati ecclesiastici, tantum media suasiva recenset: « Praedica verbum; insta opportune, importune; « increpa in omni patientia et doctrina..... Tu vero « vigila; in omnibus labora; ministerium tuum imple. « Sobrius esto ».

Respondemus 1° si textum diligenter inspiciamus potius nocet adversariis; ait enim « insta opportune, « importune; increpa in omni patientia et doctrina »;

idest adhibe omnia media prout melius expedierit, sive mansuetudinem sive severitatem.

2° Notissimum principium interpretationis ss. Litterarum est doctrinam evangelicam et apostolicam non ex unico loco desumendam esse, sed ex omnibus parallelis et ex integro contextu ss. Litterarum; hinc quivis locus completur per alios, praesertim cum libri sacri N. T. non contineant institutionem scientificam, sed data occasione, sive Dominus sive apostoli unum aut aliud praeceptum dederint. Non est autem nostrum instituere interpretationem singulorum locorum, cum theologiam supponamus, sed ea citamus iuxta sensum determinatum qui a theologis ostenditur, saltem cum theologi inter se non discrepant.

3° Cum s. Pauli Epistola sit maxime practica, dat Timotheo ea consilia quae tunc temporis poterant ad actum perduci; iamvero attenta sociali conditione illius aetatis, maxime in suasivis quam in coactivis mediis insistendum erat; tamen vidimus s. Paulum a coercitivis non abhorruisse, etiam adhibita supernaturali vi; et ad eumdem Timotheum in I. Ep. v. 19.: « Adversus « presbyterum accusationem noli recipere nisi sub duo- « bus vel tribus testibus. Peccantes coram omnibus ar- « gue, ut et ceteri timorem habeant ».

3° *Obiiciunt ex ss. Patribus.*

260. Et I. textum s. Isidori Pelusiotae, qui lib. 3. ep. 449. ait: « Ecclesiam esse in regno »; ex quo sequitur eam esse regno inferiorem eique subordinatam, sicut pars suo toti.

Resp. ex verbis supra citatis n. 227, eum comparare Ecclesiam animae et regnum corpori; ideoque Ecclesiam esse in regno sicut anima in corpore, seu non dependens iuridice, imo regnans sed eo indigens de facto.

261. Sed celebrior est in hac re textus sancti Optati Milevitani, qui in lib. 3. *de schismate Donatistarum* ait: « Ecclesia est in Republica, non Respublica in Ec- « clesia ». Ex quo argumentari licet Ecclesiam esse in regno ut collegium, ideoque iuridice imperfectam esse.

Resp. 1° indirecte; non modo doctrina s. Optati semper habita est in Ecclesia ut orthodoxa, ideoque consona ceteris Patribus, sed in lib. I. cit. operis s. Doctor repellit Donatistarum calumniam asserentium Catholicos Ecclesiam ab Imperatore dependentem facere eo quod legibus imperialibus contra ipsos uterentur pro Ecclesiae pace. Si ergo sensus verborum quae obiiciuntur esset Ecclesiam dependere a Statu, iam sibi in eodem opere solemniter contradixisset; quod de tanto Doctore nequit admitti. Ergo quocumque alio modo sunt interpretanda.

Resp. 2° directe. Narrat eo loco Optatus Parmeniano, cum Constans imp. quasdam eleemosynas pauperibus erogandas transmisisset, Donatum, a quo Donatistae denominati sunt, maledicta pro gratiis retulisse; quod merito reprehendit et ait: « Iam tunc meditabatur « (Donatus) potestatibus et regibus iniuriam facere, « pro quibus, si Apostolum audiret, quotidie rogare « debuerat. Sic enim docet beatus apostolus Paulus: « rogate pro regibus et potestatibus, ut tranquillam « vitam cum ipsis agamus. Non enim respublica est in « Ecclesia, sed Ecclesia in republica est, idest in ro- « mano imperio.... ubi et sacerdotia sancta sunt, et « pudicitia et virginitas, quae in barbaris gentibus non « sunt, et si essent, tuta esse non possent ». Ex quibus apparet: 1° in verbis s. Patris rempublicam non sumi pro societate civili simpliciter, sed pro romano imperio, cui opponuntur societates barbarae, quae etsi civiles non dicantur ratione culturae, sunt tamen ci-

viles ratione naturae, ideoque regna barbara gaudent iisdem substantialibus iuribus ac regna civilia.

2° Ecclesiam dici in romano imperio eo sensu quo non erat in nationibus barbaris.

3° Huius discriminis rationem in eo consistere quod in romano imperio sit tuta et libera, non autem in regnis barbaris.

Hinc 4° non agi de existentia Ecclesiae simpliciter, sed de tuta existentia; etenim negat Ecclesiam esse in gentibus barbaris; sed id verum erat si agebatur de tuta existentia, non autem si de existentia simpliciter, cum constet iam longe ante, apud barbaros fuisse Ecclesias.

5° Apparet s. Optatum non admisisse doctrinam regalistarum de dependentia Ecclesiae a Statu. Ideo enim negavit Ecclesiam esse apud gentes barbaras, quia ibi non erat tuta et libera; atqui in sententia regalistarum, Ecclesia nullibi est libera, cum sit dependens a regibus; hinc neque tuta. Ergo s. Optatus non convenit cum regalistis.

6° Apparet vera mens s. Optati; ait enim Ecclesiam esse in republica, idest in societate civili simpliciter nego; in romano imperio (et ex paritate rationis, in quocumque statu eam protegente) subdist. ratione libertatis et securitatis conc., ratione iuridicae inferioritatis nego. Viceversa ait: « non est respublica in « Ecclesia » idest non est Ecclesia quae defendat efficacia sua rempublicam seu romanum imperium, sed potius viceversa. Etsi enim post s. Optatum factum sit ut Ecclesia praeter defensionem moralem reipublicae, derivantem ex praedicatione rectae doctrinae et debitae subordinationis praepositis etiam discolis, aliquando defenderit efficacia sua speciali etiam temporali statum civilem, tamen id tempore s. Optati nondum factum fuerat; hinc cum veritate asseruit non rempu-

blicam indigere defensione Ecclesiae ut tranquilla sit, sed Ecclesiam defensione reipublicae; quod et regulariter verum est, cum respublica sit quae armatam vim possidet et directe curat tranquillitatem temporalem.

262. Obiiciunt III. ex s. Ambrosio, qui in sermone contra Auxentium ait: « Dolere potero, potero flere, « potero gemere; adversus arma, milites, Gothos quo- « que, lacrymae meae arma sunt;... talia enim muni- « menta sacerdotis; aliter nec debeo, nec possum resi- « stere ». Ergo Ecclesia possidet tantum media suasiva et caret quovis medio iuridice defensivo, quo pollere debet societas perfecta.

Animadvertimus 1° in genere, criterium esse ut Patrum doctrina non ex textibus singularibus a suo contextu abstractis desumatur, sed ex integro corpore eorum quae docuerunt et egerunt. Iamvero ex probationibus a nobis allatis apparet luculentissime eos sanctam Ecclesiam ut societatem vere perfectam verbis et factis semper agnovisse, ideoque si occurrant quae alium videantur sensum habere, certum est tantum apparenter non realiter esse. Hoc posito respondemus:

2° In specie quoad auctoritatem s. Ambrosii; in thesi n. 227. IV° iam adduximus alium eius textum pro independentia Ecclesiae: « Noli te gravare imperator ». Notum est etiam eius factum separantis Theodosium imperatorem ab ecclesiastica communione, quo certe demonstravit sibi episcopo ius esse perfectum in ipsum imperatorem. Proinde quae obiecta sunt, intelligenda de prudenti oeconomia, qua utebatur potestate sua non in destructionem sed in aedificationem; vel quatenus non vindicat sibi ius armatae resistentiae; et nos ipsi non vindicamus Ecclesiae immediatum usum armorum.

263. Obiiciunt IV. s. Io. Chrysostomum qui hom. 4. in Isaiam ait: « Sacerdotis est *tantum arguere et au-*

« *dacter et libere admonere;* non movere arma, non « clypeos usurpare, non vibrare lanceam, neque arcum « tendere, nec iacula mittere, sed arguere et constan- « tiam ostendere ».

Respondemus et s. Ioannis Chrys. clarissima testimonia de independentia Ecclesiae nos in thesi vidisse; agit autem in obiecto loco de Azaria summo sacerdote V. T. contra quem Ozias rex arma movebat et clypeos. Rex enim in superbiam elatus ingressus erat templum ut thus adoleret (Paralip. II. XXVI.). Cui Azarias cum octoginta sacerdotibus fortissimis viris restitit quantum potuit increpationibus et precibus. Rex autem iratus minabatur sacerdotibus. Sed Dominus lepra eum percussit. Hinc s. Ioannes Chrysostomus verbis obiectis praemittit: « Ubi sacerdos contemptus est, dignitasque « sacerdotii conculcata, neque quidquam praeterea po- « tuit sacerdos (dicit Deo): Ego quod erat mei officii « praestiti, nihil amplius possum, succurre sacerdotio « quod conculcatur etc. » Igitur dicendum tantum hunc sanctum Ecclesiae Patrem putavisse sibi et Ecclesiae non licere adversus legittimum principem arma movere. Quae quaestio ab ea differt quam libro primo quaestionum specialium exponemus, quo nempe iure Ecclesia potuerit vel possit principes deponere. Aliud enim est principem legittime privare sua potestate, et aliud est eidem adhuc potestate legittime pollenti, armis resistere. Illud enim aliquando licet; hoc e contra non licet. Quaestio autem praesens est an Ecclesiae competat perfecta potestas non modo legislativa sed etiam coactiva; non autem de modo quo haec exercetur; quando enim agitur de materiali inferenda coactione, Ecclesia utitur ministerio brachii saecularis, ut infra videbimus, ideoque si princeps sit Ecclesiae infensus, donec potestate sua non fuerit legittime privatus, ipsa

Ecclesia ei armis non resistit. Ceterum etsi Ecclesia polleret iure armis resistendi legittimis imperantibus, tamen quoniam omnis potestas est in aedificationem et non in destructionem exercenda, ut aiebat s. Paulus de sua, hinc si inconveniens fuisset temporibus s. Io. Chrys. vel s. Ambrosii armis resistere imperantibus, optime asserebant sibi non licere arma et clypeos movere, sed sacerdotis esse tantum orare et lacrymas fundere. Quod si arma adhibere adversus reges semper esset Ecclesiae indoli contrarium, id ostenderet hanc potestatem ei non competere, non quia non sit perfecta societas, sed quia perfecta societas ius habet expeditum pro mediis proportionatis fini suo; si quae igitur non respondeant eius fini et indoli, ad ea ius non habet, non ex defectu perfectionis, sed utilitatis et convenientiae. Igitur materialiter non eadem sunt iura cuiusque societatis perfectae, sed tantum formaliter, ut nempe libere possit quidquid respondens est fini suo. Hinc etiam s. Thomas Cantuariensis, quamvis pro libertate Ecclesiae asserenda mortem sustineret, aiebat: « Non est Ecclesia more castrorum defendenda ».

264. Iamvero saltem certissimum est tempore ss. Ambrosii et Chrysostomi resistentiam armatam futuram fuisse omnino 1° inutilem, 2° maxime perniciosam Ecclesiae cum imperantibus religionem exosam reddidisset. Hinc Ioannes Antonius Bianchi (saec. superioris) in suo opere praestantissimo, *Della potestà e della polizia della Chiesa*, quod contra sophismata et calumnias Petri Giannone et aliorum regalistarum, iansenistarum et gallicanorum, pro s. Ecclesiae defensione scripsit, concedit et demonstrat non modo sub imperatoribus paganis, sed etiam sub christianis sed haereticis aut quocumque modo Ecclesiae inimicis, in romano imperio, impossibilem fuisse utilem resistentiam, quae postea

possibilis fuit et aliquando utilis contra imperatores romano-germanicos. Haec clarissimus vir statuit, quamvis ex theoriis tunc temporis vigentibus de potestate civili immediate a Deo collata populo et a populo principi, nimis concedat populo ipsi, circa depositionem imperantis, ideoque et populo christiano contra principem fidei et religioni infensum. Scriptores enim qui vivebant tempore abusuum regum, curabant eis sese opponere; nos autem qui vivimus post maximos abusus populi, a gallica perturbatione, cauti magis sumus circa regum et populi iura proclamanda.

265. Obiect. V. notum esse s. Augustinum reprehendisse usum vis coactivae.

Resp. quamvis ipse vix ad fidem conversus, putaverit vim coactivam non esse in delinquentes contra religionem adhibendam, tamen postea cum magis profecisset, mutavit, vel melius, correxit opinionem, ut ex textibus allatis in thesi apparet et ex eis quae subiungimus. Lib. II. retract. cap. V. « Tunc mihi non « placebat (*coactio*), quoniam nondum expertus eram « vel quantum malum eorum (haereticorum) auderet « iniquitas, vel quantum eis in melius mutandis con- « ferre posset diligentia disciplinae ». Nota tamen hic s. Aug. loqui de coactione facta per leges imperiales, sed praesupposito iudicio Ecclesiae, ideoque ministerialiter imperator inserviebat Ecclesiae. In sequenti autem textu sermo est de coactione directa per episcopos illata. In ep. enim 133. ad Marcellinum Africae tribunum eum laudat quia puniebat Donatistas: « Vir- « garum verberibus, qui modus exercitationis et a ma- « gistris liberalium artium et ab ipsis parentibus et « saepe etiam in iudiciis ab episcopis solet adhiberi ». Et in lib. ad Bonifacium seu epistola 185. cap. 5. Donatistis accusantibus catholicos quasi defecissent ab

exemplis apostolorum et praeceptis Domini, invocando contra ipsos leges imperiales, ait: « Quod enim dicunt « qui contra suas impietates, leges iustas institui no- « lunt, non petiisse a regibus terrae apostolos talia, « non considerant aliud fuisse tunc tempus et omnia « suis temporibus agi. Quis enim tunc in Christum cre- « diderat imperator, qui ei pro sua pietate contra im- « pietatem leges ferendo serviret, quando adhuc illud « propheticum complebatur: Quare fremuerunt gentes?.. « Nondum agebatur quod paulo post in eodem psalmo « dicitur: Et nunc reges intelligite, erudimini qui iu- « dicatis terram. Servite Domino in timore et exultate « ei cum tremore ». Et rursus in ep. 204. respondit argumento Donati: « Repetis, sicut audio, quod in « Evangelio scriptum est, recessisse a Domino septua- « ginta discipulos et arbitrio suae malae atque impiae « discessionis fuisse permissos, ceterisque duodecim qui « remanserant, fuisse responsum: Numquid et vos vul- « tis ire? Et non attendis quia tunc primum Ecclesia « novello germine pullulabat, nondumque in ea fuerat « completa illa prophetia: Et adorabunt eum omnes « reges terrae, omnes gentes servient illi? Quod uti- « que quanto magis impletur, tanto maiore utitur Ec- « clesia potestate, ut non solum invitet, sed etiam « cogat ad bonum ». Et tandem in epist. 185. ad Bonifacium scribit: « Sicut meliores sunt quos dirigit « amor, ita plures sunt quos corrigit timor ». Placuit haec ex s. Augustino referre, quoniam neoterici adhuc eius auctoritate abutuntur, more suo recensentes quae neophitus scripsit, et omittentes quae maturus Doctor.

S. Augustino consonat s. Gregorius Nazianzenus, qui scribens ad Olympum ait et senes semper addiscere, seque non adhuc prudentiae laudem mereri... Putaverat enim mansuetudine vincere potuisse apollinaristas; sed

experientia didicisse eos peiores factos esse, indulgentiamque in damnum recidisse Ecclesiae. Perversi enim neque mitescunt neque lenitate vincuntur.

Obiectiones ex facto.

266. Postremo obiiciunt ex facto; et 1° Haebraeorum apud quos reges, quamvis non possent exercere officium sacerdotale, tamen ordinabant res religiosas, et sacerdotio imperabant, ut cuilibet notum est qui familiares habeat ss. Litteras; hinc idem praestandum in N. T. quoad exteriorem disciplinam.

Resp. Transeat antecedens, negatur consequens. Societas hebraica fuit sui generis; I. apud ipsos erat divina legislatio tum civilis tum religiosa tradita a Moyse; II. finis religionis hebraicae non erat simpliciter spiritualis et supernaturalis sed temporalis etiam; hinc promissiones felicitatis temporalis pro observatoribus religionis; III. ipsorum Ecclesia erat nationalis; IV. aderat providentia extraordinaria, qua Deus immediate regebat populum sive per oraculum cum interrogabatur a summo Sacerdote, sive per Prophetas qui habebant munus publicum manifestandi voluntatem divinam et invigilandi ad abusus corrigendos; V. ipsa potestas civilis erat theocratica, non modo sub iudicibus ante reges cum ipse Deus exercebat iura regni (hinc cum populus petiit regem sicut gentes, dixit Deus Samueli « non te, sed me reiecerunt »); sed ipsi reges locum Dei tenebant; etenim et successerant iudicibus, ideoque tenebant eamdem auctoritatem loco Dei in populo suo, idest non tantum iure naturae ut apud omnes populos, sed iure positivo divino, et 2° multi ex ipsis erant a Deo designati, vel saltem familia seu ille a quo ius haereditarium oriebatur, donec Deus alterius unctionem non praeciperet; hinc est I. Paralip. XXIX. 23. de

Salomone dici: « Seditque Salomon super *Solium Do-*
« *mini* in regem pro David patre suo ». Hinc et Iosephus Flavius lib. 2. contra Apionem cum scripsisset « theocraticam reipublicae formam fuisse a Moyse in-
« stitutam » addit eam numquam immutatam fuisse. Igitur mirum non est si apud Hebraeos, reges plura potuerint in re religiosa, quae ad exemplum trahi non possunt, veluti constituentia ius naturae, absolutum et necessarium; haec enim praestabant ex iure positivo divino, ob specialem indolem et veluti identificationem utriusque societatis religiosae et civilis et finis utriusque (cum et religio tenderet ad felicitatem temporalem). Igitur negandum est consequens.

267. Tamen et antecedens non fuit concessum sed transmissum. Aliud enim est plurimum potuisse reges in re religiosa apud Hebraeos; aliud ipsos fuisse proprie superiores Summo Pontifici, adeo ut hic regi subalternaretur, sicut minister cultuum in statibus modernis (1). Hoc enim denegandum est, ut ostendunt Suarez in defensione fidei lib. 3. cap. 25.; Bellarminus in sua Responsione ad apologiam pro iuramento fidelitatis; item lib. 2. de Pontif. Rom. c. 19.; quae non prosequimur cum ad rem nostram non sint; etsi enim rex superior fuisset, id ex iure positivo divino factum esset; et sapienter fieri potuisset pro uno populo habente theocraticum regimen et alia suprascripta. Etenim ratio ob quam sapienter dividitur potestas regia a pontificia, et haec fit superior, est ne coelestia terrenis subdantur, ut naturaliter fieri ex corruptione humanae naturae si Rex esset et Pontifex, supra diximus in arg. 5° ex rei natura pro asserenda Ecclesiae independentia. E contra cum apud Hebraeos et leges prae-

(1) Rohrbacher Hist. Eccles. lib. 91.

cipuae scriptae essent a Deo in Pentateucho, ita ut reges non tam essent legislatores, quam iudices et executores, et deinde oraculo Dei corrigerentur reges, vel a Prophetis habentibus munus publicum, et Deus deponeret reges malos et alios designaret, profecto non tam proximum erat periculum posthabendi coelestia terrenis: hinc non fuisset apertum inconveniens, regibus committi supremam curam religionis. Et tamen factum non fuit, quia ut patet ex historia, hisce adiutoriis extraordinariis non obstantibus, multi reges ad idololatriam conversi sunt, ita ut et sacerdotes legittimos eiicerent et alios sibi constituerent.

Igitur multo minus cura religionis dari posset regibus nostris, cum et Ecclesia sit universalis et non nationalis; et directe et unice tendat ad aeterna, et reges careant adiutoriis Dei extraordinariis.

268. In hac re consulatur cap. 6. de Maioritate et Obedientia (tit. 33. lib. 1.) quod incipit « Solitae » et est epistola Innocentii III. an. 1198. scripta ad imperatorem constantinopolitanum, qui debitum honorem non dabat Patriarchae cptano, praetextu superioritatis regiae adducens textus V. et N. T. Summus Pontifex multa egregie disputat contra Imperatorem byzanthinum ut ostendat neque in V. T. sacerdotium proprie dependisse a rege; deinde concludit: *Verum quidquid olim fuerit in veteri Testamento, nunc aliud est in novo.*

269. Obiic. 2° ex facto paganorum, apud quos potestas religiosa suprema erat apud principem, cui sacerdotes famulabantur. Sed ex facto universali licet colligere ius naturae.

Resp. transmittendo mai. negando min. et negando consequens et consequentiam. Etenim 1° nobis sermo est de religione supernaturali, ideo quidquid sit de iure principum circa religionem naturalem, nequit ap-

plicari supernaturali; iamvero religio pagana profecto non fuit supernaturalis.

2° Dicimus ex facto paganorum nihil inferri iuris neque quoad religionem naturalem; nam factum universale non statim arguit sensum naturae, ideoque non statim arguit ius in re iuridica: factum enim universale probat tantum tendentiam universalem; tendentia universalis est a natura; sed natura habet partem rationalem et infirmam seu depravatam: ideoque videndum est an procedat a rationalitate vel ab infirmitate; sed scimus quanta in hominibus, potentibus praesertim, ut sunt imperantes, sit cupiditas dominandi; cum autem maxima sit religionis efficacia in rebus humanis, profecto maxime impellebantur imperantes ut sibi eius directionem vindicarent. Hinc de Decio romano imperatore scriptum est eum magis exagitatum ira fuisse eo quod in urbe Pontificis titulum sibi vindicaret Papa, quam cum tyrannus aliquis in provinciis usurpabat imperium. S. Cyprianus ep. 55: « Cum tyrannus multo « patientius et tolerabilius audiret levari adversus se « aemulum principem, quam constitui Romae Dei sa« cerdotem ». Aristoteles etiam valde inculcat regibus ut solliciti sint potiri rebus religiosis. Ergo ex solo facto res incerta est an ex voce naturae rationalis vel depravatae proveniat.

3° Cum religio apud paganos ad superstitionem conversa esset atque ad idololatriam, profecto sensus religiosus erat apud eos depravatus; depravata autem religione imperantibus timendum erat ne contra eos abuterentur sacerdotes; hinc maior excusatio in rebus religiosis sibi vindicandis.

4° Cum religio apud paganos inspiceretur tantum ut fundamentum praesentis vitae, et non futurae, reges iuste sibi poterant eam vindicare, ut ait s. Thomas

de Regim. Princ. p. 1. c. 16. « Sacerdotium gentilium « et totus divinorum cultus erat propter temporalia « bona, quae ordinantur ad multitudinis bonum com- « mune temporale, cuius regi cura incumbit; unde con- « venienter gentilium sacerdotes regi subdebantur ».

5° Tandem transmissum fuit antecedens; etenim non semper verum fuit imperantes potitos fuisse rebus religiosis; aliquando enim, in regimine praesertim populari, distincti erant summi sacerdotes a praesidibus supremis, et ab ipsis independentes. Alibi consueverunt reges adscribi collegio sacerdotali, ut omnia ad se traherent dominando in sacerdotes; igitur non nomine regio sed sacerdotali dominabantur. Ita Dion lib. 53. ait ex hoc factum esse ut cum plures erant Caesares, unus sibi procuraret collationem summi Pontificatus; tunc ait: « continuo fit ut omnium religionum « ac sacrorum domini sint ». De Persis ait Tullius de divinat. lib. I. n. 31: « Nec quisquam rex persarum po- « test esse qui non ante Magorum disciplinam perce- « perit ». Item Livius lib. I. cap. 19. Numa vulgare coepit « sibi cum Dea Egeria congressus nocturnos « esse; eius se monitu quae acceptissima Diis essent « sacra instituere, sacerdotes suos cuique Deorum prae- « ficere «. Item scimus augurum magnam fuisse potestatem apud romanos, ita ut et comitia dissolvere aut legibus vetitum apponere possent, quae viguerunt usque dum et morum antiqua honestas floruit. Alia facta citantur infra num. 475.

270. Obiic. 3. ex facto principum christianorum qui saepe saepius sese immiscuerunt negotiis ecclesiasticis.

Respondemus id aliquando factum esse ex consensu et auctoritate Ecclesiae, aliquando vero ex iniuria. Primo aliquando factum est auctoritate Ecclesiae, ut cum mandatum a summis Pontificibus impetrabant con-

vocandi concilia, vel efficaciam civilem tribuebant sacris canonibus ex voluntate ipsius Ecclesiae; ita Iustinianus lib. 1. Cod. tit. IV. *de summa Trinitate et fide catholica* leg. 6. scribit Ioanni papae: « Reddentes ho- « norem apostolicae Sedi et Vestrae Sanctitati (quod « semper nobis in voto fuit et est) et ut decet patrem, « honorantes Vestram Beatitudinem, omnia quae ad « Ecclesiarum statum pertinent, festinavimus ad no- « titiam deferre Vestrae Sanctitatis.... quae caput est « omnium sanctarum Ecclesiarum ». Respondet Ioannes papa ibid. leg. 5. « Quod quia apostolicae doctrinae con- « venit; *nostra auctoritate confirmamus* ». Et Nov. 137. idem imp. « His igitur quae sacris canonibus definita « sunt, insistentes, praesentem sancimus legem ». Pariter scimus apud Francos, Episcopos separatim constituisse quae ecclesiastica negotia spectabant, cum ad comitia regni venirent, ut testatur Hincmarus rhemensis saec. 9. quae postea in ipsis comitiis sanctione regis et procerum firmitatem civilem acquirebant, et ita ponebantur in Capitularibus (seu Legibus) Francorum ut leges civiles. Etenim ep. 14. al. 13. ad proceres regni, Hincmarus ait: « Cum separati a ceteris essent « (optimates tum laici tum ecclesiastici), in eorum « manebat potestate, quando simul vel quando sepa- « ratim assiderent, prout eos tractandae causae qua- « litas docebat, sive de spiritualibus, sive de saecula- « ribus, seu etiam commixtis ».

271. Aliquando autem non negamus principes indebite sese ingessisse, et tunc Ecclesia reclamavit, ut vidimus supra num. 228-230; vel aliquando ex prudentia, ad vitanda mala maiora dissimulavit, aut toleravit ex quadam etiam gratitudine; ex. gr. Iustinianus imperator cum imperium assecutus est invenit sedes patriarchales et multas inferiores ab haereticis occu-

patas; ipse eos eiecit et catholicos curavit ubique constitui episcopos; naturale ergo erat, cum plura praestasset et praestaret ex zelo catholicae fidei et ex quodam praesumpto Ecclesiae ipsius mandato, temporibus valde anxiis, Ecclesia toleraret etsi aliquando excederet. Cum autem Ecclesia invitavit principes ut intervenirent in suis negotiis, eos invitavit non ut superiores, sed ut adiutores; ex quo nihil contra nos; quod si aliqui episcopi eos invitaverunt ut superiores Ecclesiae, id a paucis factum est et contra doctrinam ipsius Ecclesiae.

ARTICULUS VI.

Speciatim de potestate Ecclesiae poenali.

272. Quaestiones in hoc articulo totidem paragraphis exponendae, sunt: 1. Divisio poenarum; 2. adversarii; 3. doctrina expressa Ecclesiae; 4. eius praxis; 5. difficultates genericae adversus poenas temporales ab Ecclesia illatas; 6. an Ecclesiae competat poenas inferre ex mero scopo vindicativo; 7. Rationabilitas poenarum quae fuerunt in usu ecclesiastico; 8. de poena capitali; 9. de tribunali inquisitionis.

§ 1.

POENARUM DIVISIO.

273. Superest sermonem instituere de limitibus potestatis punitivae quae competit Ecclesiae.

Etsi enim viderimus Ecclesiam pollere vi coactiva et quidem libera et independenti prout exegerit eius necessitas et utilitas, superest videndum an haec unquam exigat illationem omnium poenarum quae sunt in usu civili. Societas enim perfecta ius habet ad media omnia suo fini proportionata, salvo ordine finium.

274. Et I. in mentem revocemus ex iure canonico, divisionem poenarum. Divisio maxima est ut aliae sint temporales, aliae spirituales pro diversa natura bonorum quae primario auferunt.

Bona autem hominis temporalia sunt: 1. vita, hinc poena capitalis; 2. membra et sanitas, unde poenae directe afflictivae, ut mutilatio, fustigatio etc.; 3. libertas, hinc poena servitutis qua plene amittitur, et carcer (simplex), relegatio, exilium, quae sunt poenae indirecte afflictivae; 4. bona externa physica, hinc bonorum publicatio et poenae pecuniariae; 5. bonum externum morale, idest integra fama, cui adnexa sunt iura civitatis, ut testimonium reddendi, munera publica suscipiendi etc.; hinc poena infamiae.

275. Poenae autem spirituales sunt censurae, depositio et degradatio, et aliquando irregularitas et inhabilitas; haec enim non semper sunt in poenam.

276. Sed sunt et quaedam poenae mixtae naturae, nempe spiritualis et temporalis, idest poenitentiae canonicae; et proinde divisio tripartita poenarum ecclesiasticarum in poenitentias, censuras et meras poenas, quo nomine veniunt reliquae tum spirituales, tum temporales.

277. Poenitentiae latissime sumptae, sunt operae aliquo modo afflictivae, voluntarie susceptae ad satisfaciendum Deo quem peccato offendimus, et etiam societati si peccato scandalum dedimus. Dicuntur voluntarie susceptae, etsi sententia superioris impositae sint, quia ad eas adimplendas non cogimur vi materiali. Non loquimur de iis quae imponuntur in foro interno, quae privatae dici debent, sed de iis quae in foro externo praescribuntur, quaeque proinde publicae sunt. Hae rursus subdividuntur in solemnes et non solemnes. Solemnes ab Episcopo ritu speciali imponeban-

tur et absolvebantur. Hae sunt quae proprie dicuntur poenitentiae canonicae; sed iam a pluribus saeculis in desuetudinem abierunt. Remanent igitur tantum non solemnes, quae pariter tantum extraordinario solent praescribi.

278. Poenitentiae canonicae cogebant eo sensu quia si voluntarie non suscipiebantur, peccator non admittebatur ad sacrorum participationem; igitur si non coactio materialis ad eas sustinendas, aderat tamen coactio spiritualis. Idem nunc esse posset de poenitentiis non solemnibus.

279. II. Habentur censurae. Si enim delinquens non poeniteat et voluntariam satisfactionem et obedientiam Ecclesiae non tribuat, vel quomodocumque sit erga Ecclesiam contumax, eiusque monitiones spernat, tunc ad frangendam eius contumaciam, Ecclesia eum privat aliquibus bonis spiritualibus vel spiritualibus adnexis. Hinc censura definitur: *Poena ecclesiastica medicinalis, qua homini baptizato, delinquenti et contumaci irrogatur privatio bonorum spiritualium Ecclesiae administrationi concreditorum, vel eorum bonorum temporalium quae spiritualibus sunt adnexa.*

280. In actuali disciplina tres sunt species censurarum, excommunicatio, suspensio et interdictum. Excommunicatio nunc viget ea tantum quae maior dicebatur, cum minor cessaverit per Constit. *Apostolicae Sedis*, 12. oct. 1869 ex declaratione S. O. 5. dec. 1883. Suspensio autem aliquando non est censura, sed mera poena, cum nempe ad tempus determinatum imponitur. Censura est poena spiritualis, etsi per consequens importare valeat et mala temporalia; quaelibet enim res definitur ex eo quod est essentiale et non ex eo quod est accidentale.

Cum in censuris infligendis finis Ecclesiae sit fran-

gere rei contumaciam, ea cessante et habita rei emendatione, censura aufertur; quod si statim non fit, est ad sinceritatem susceptae poenitentiae probandam, et ex tunc induit naturam poenitentiarum.

281. III. Quando Ecclesia directe respicit ad bonum publicum per poenam quae applicatur et invito, et conversione delinquentis non remittitur, habetur *mera poena*. Hinc finis (directus et praecipuus) censurae est correctionalis, finis merae poenae est saltem exemplaris, finis poenitentiae publicae est mixtus, cum directe intendat solidam individui emendationem et bonum publicum, ut voluntaria poenitentia societatem aedificet qui peccato eam scandalizavit.

§ 2.

ADVERSARII IURIS POENALIS ECCLESIAE.

282. Donatistae saec. V. negaverunt Ecclesiae, seu societati civili, ius poenarum temporalium inferendarum in defensionem legum Ecclesiae.

Saeculo autem XIII. Marsilius patavinus negavit generaliter Ecclesiae ius coactivum absque venia imperatoris. Videtur tamen id de solis poenis temporalibus intellexisse. Albigenses, Waldenses et ceteri novatores usque ad Jansenistas negarunt pariter ius poenarum temporalium. Ex liberalibus autem quidam ita loquuntur ut videantur negare et ius poenarum spiritualium.

§ 3.

DOCTRINA EXPRESSA ECCLESIAE.

283. Iamvero erroribus haereticorum respondet doctrina Ecclesiae. Iam vidimus n. 265. quomodo s. Augustinus occurrerit Donatistarum querelis.

Marsilio autem patavino respondit summus Pontifex Ioannes XXII. sua bulla dogmatica, *Licet*, in quâ

allatis verbis Domini, Matt. XVIII. « Si Ecclesiam non « audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus », prosequitur: « Adhuc constat, sicut ibi legitur in Mat« thaeo, quod si aliquis damnum alicui indebite dederit, « illudque ad mandatum Ecclesiae noluerit emendare, « quod Ecclesia per potestatem a Christo sibi conces« sam, ipsum ad hoc per excommunicationis senten« tiam compellere potest, quae quidem potestas est « utique coactiva. Circa quod est animadvertendum « quod cum excommunicatio maior, nedum excommu« nicatum a perceptione sacramentorum removeat, sed « etiam a communione fidelium ipsum excommunica« tum excludat, corporalis est a Christo coactio Ec« clesiae permissa ». Et damnat hanc Marsilii propositionem: « Tota Ecclesia simul iuncta nullum hominem « punire potest punitione coactiva nisi concedat hoc « imperator ».

284. Concilium autem Tridentinum sess. VII. de baptismo, can. XIV. « Si quis dixerit.... nec alia poena ad « christianam vitam cogendos (fideles) nisi ut ab Eu« charistiae, aliorumque sacramentorum perceptione « arceantur donec resipiscant, anathema sit ». Quae definitio quamvis negativa, tamen satis clare innuit positivum terminum oppositum, idest damnando eos qui dicunt Ecclesiam posse tantum a sacramentis arcere, quae est poena spiritualis praecipua (etenim praeter sacramentorum prohibitionem inter poenas spirituales laicis applicabiles, adest tantum interdictio a functionibus sacris), satis innuit et poenas non-spirituales infligi posse, et quidem non modo medicinales donec resipiscant sed et duraturas. Etenim scopus Concilii certe non fuit defendere ius Ecclesiae pro poenis spiritualibus minoris momenti, quae non impugnantur ab iis qui et remotionem a sacramentis admittunt, sed fuit vindicare

Ecclesiae ius poenarum alterius generis. Idem Concilium Trid. inculcat Episcopis ne usum frequentiorem faciant censurarum ne vilescant, sed tantum ex necessitate pro gravioribus negotiis ad eas recurrant; pro reliquis utantur aliis poenis, ex. gr. mulcta. Sess. xxv. cap. 3. de ref. « .... Liceat eis (iudicibus ecclesiasticis, « cuiuscumque dignitatis), si expedire videbitur, in cau- « sis civilibus ad forum ecclesiasticum quomodolibet « pertinentibus, contra quoscumque, etiam laicos, per « *mulctas pecuniarias* quae locis piis ibi existentibus, « eo ipso quod exactae fuerint adsignentur, seu per « *captionem pignorum personarumque districtionem* per « suos proprios aut alios executores faciendam, sive « etiam per privationem beneficiorum aliaque iuris re- « media procedere.... In causis quoque criminalibus, « ubi executio realis vel personalis, ut supra, fieri « poterit, erit a censuris abstinendum ». Quamvis hic locus non sit dogmaticus, manifestat tamen sufficientissime mentem Concilii Tridentini.

285. Deinde Benedictus XIV. in brevi *Ad assiduas* damnavit P. La Berde, quia negabat Ecclesiae competere potestatem coactivam. Verum hic auctor non negabat Ecclesiae ius irrogandi poenas spirituales sed temporales (1).

286. Pariter Pius VI. in sua constitutione dogmatica *Auctorem fidei*, in damnatione prop. 4. Syn. Pistoriensis, qua prop. asserebatur « abusum fore auctori- « tatis Ecclesiae.... exigere per vim subiectionem suis « decretis ». Summus Pontifex ait: « Quatenus inten- « dat Ecclesiam non habere collatam sibi potestatem « a Deo, non solum drigendi per consilia et suasio- « nes, sed etiam iubendi per leges ac devios contu-

(1) V. Fernandes Concha, Derecho publico eclesiastico.

« macesque *exteriori iudicio ac salubribus poenis coer-*
« *cendi atque cogendi*,.... inducens in systema alias
« (a Ioanne XXII.) damnatum ut haereticum ».

Iamvero salubres poenae sunt non modo spirituales, sed et temporales; imo hae aliquando sunt unice efficaces; si quis enim in profundum malitiae devenerit, spernit poenas spirituales, cum non amplius in pretio habeat bona quibus privant. Sed spernere nequit poenas temporales, cum ipsarum vis non a fide sed a sensibilitate pendeat.

287. In Encyclica *Quanta cura*, 8 dec. 1864, in quâ damnantur errores praesertim dominantes, inter hos recensetur et eorum doctrina qui docent « Ecclesiae « ius non competere violatores legum suarum poenis « coercendi ». Et in Syllabo eiusdem Pii IX. habetur prop. 24. inter damnatas quae ita habet: « Ecclesia vis « inferendae potestatem non habet, neque potestatem « ullam temporalem directam vel indirectam ». Quae propositio desumpta est ex litt. apost. *Ad apostolicae*, 22 aug. 1851.

Ex quibus omnibus satis apparet Ecclesiam sibi vindicasse non modo ius poenarum spiritualium inferendarum, sed etiam temporalium. Idque conformiter naturae hominis, qui duplici parte constat, anima nempe et corpore, et proinde ratione praeditus est et sensibilitate, cuius officium est tum menti inservire tum voluntati excitandae et corrigendae. Et proinde conformiter quoque naturae societatis, visibilis, exterioris, vere humanae.

§ 4.

ECCLESIAE PRAXIS.

288. Ecclesiam adhibuisse poenas spirituales, imo et poenitentias in confesso vel nimis in propatulo est.

Videndum igitur superest de temporalibus. Poena infamiae saepe occurrit in sacris canonibus, quae non modo aditum praecludit ad dignitates ecclesiasticas, sed effectus quoque quosdam civiles, attenta dispositione iuris canonici, importat. Ita infamium testimonium non attenditur, neque ad dignitates temporales admittebantur infames, et aliquando erant intestabiles, cap. XIII. *de haereticis*, § 5. *credentes*.

289. Sed praeterea in usu ecclesiastico fuerunt 1° poenae pecuniariae, ut ex Conc. Trid. sess. XXV. cap. 3. de ref. Imo aliquando et bonorum publicatio, ut cap. VI. de Iudaeis, et in extrav. comm. de Iudaeis cap. I. et cap. X. de haereticis, praesertim ob delicta contra incolumitatem christianitatis, ut cit. cap. VI. de Iudaeis, in quo prohibetur armorum subministratio facta hostibus christiani nominis; quod delictum non mere religiosum, sed mixtum est; offendit enim ordinem tum spiritualem, tum temporalem; nos autem consideramus delictum mere religiosum, prout est haeresis.

2° Citato cap. I. de Iudaeis, subministrantibus arma hostibus christiani nominis, intimatur quoque poena servitutis.

3° Relegatio in aliquam regionem.

4° Exilium ab aliqua provincia.

5° Carcer etiam perpetuus, ut plurimum reclusio in monasterium.

6° Fustigatio; non autem poena capitis, nec mutilatio neque atrociores vexationes. Qui documenta historica de hac re desiderat, adeat *Vittadini*, *Diritto publico ecclesiastico*, vol. 2. pag. 310 et seqq., nec non *Nannetti*, *Gius publico ecclesiastico*, vol. 2. pag. 185 et seqq. apud quos abunde inveniet.

Cum autem impossibile sit Ecclesiam universalem, seu supremam auctoritatem errasse sibi vindicando ius

quo carebat, apparet Ecclesiam ita interpretasse suum ius punitivum ut saltem ad recensitas poenas extenderetur. Dico saltem, nam per se simplex non-usus non ostendit carentiam iuris ulterioris.

290. Cum autem dicimus Ecclesiam posse poenas temporales recensitas adhibere, non inquirimus pro quibus delictis; haec enim est alia quaestio, idest de servanda proportione inter delictum et poenam; item non dicimus utiliter adhiberi quovis tempore; etenim exercitium potestatis accommodandum est indoli societatis; ita quae pro rudiori populo sunt inefficacia, sufficiunt pro cultiori, et quae sunt pro illo necessaria, sunt pro hoc excessiva; puta ex. gr. verberationem recessisse a moribus societatis; profecto non sapienter ea uteretur Ecclesia. Igitur nobis est defendendum ius Ecclesiae per se, non autem quilibet usus huius iuris.

291. Dicimus vero Ecclesiam iure suo inferre poenas temporales. Etenim Iansenistae et aulici cum non possent negare factum usus poenarum temporalium, dixerunt id Ecclesiam praestitisse ex principum concessione. Verum falsissime; etenim hoc ius competit Ecclesiae ex ipsa sua natura, 1° quia hominum perfecta societas est; 2° Ecclesia hoc ius sibi vindicat ut proprium, ut vidimus fecisse Ioan. XXII.; item ex Pio VI.; nec enim Ecclesia canones condit dogmaticos ad defendenda iura contingenter ei competentia et quae sicut dari, ita et valide auferri ab aliis possunt.

§ 5.

DIFFICULTATES GENERICAE CONTRA POENAS TEMPORALES.

292. Speciosum est sophisma quo hac in materia et in aliis pluribus usus est Vincentius Bolgeni, vir ceteroquin catholicus et doctissimus, in op. *Dei limiti*

della potestà ecclesiastica e civile; in eo pluries ait Ecclesiam posse tantum poenas inferre auferendo bona quae ipsa dedit; etenim homo quaedam habet ut homo, et quaedam ut christianus; illis spoliari potest tantum a civili societate, quae est societas bonorum naturalium; his tantum ab ecclesiastica. Et quoniam vitam, sanitatem, libertatem, divitias habemus non ut christiani sed ut homines et cives, sequitur Ecclesiam his bonis non posse nos expoliare, idest universim uti non posse poenis temporalibus.

Haec argumentatio innititur falso fundamento, idest Ecclesiam posse punire tantum auferendo bona quae ipsa confert; etenim Ecclesia est societas hominum quatenus ipsae personae ei adscribuntur, cum tota sua activitate; cadit enim sub lege christiana et ecclesiastica, integra activitas hominis, non tantum pars ut in societate commerciali aut litteraria. Hinc quamvis scopus Ecclesiae sit spiritualis et supernaturalis, tamen homo addicitur Ecclesiae cum tota sua persona et omnibus suis bonis. Iamvero persona movetur seu allicitur et terretur, non modo bonis aut malis spiritualibus, sed maxime temporalibus. Ergo Ecclesia punit hominem etiam temporalibus poenis, cum id ad ipsius emendationem et ad ceterorum praeservationem sit necessarium. Urgendo autem idem argumentum, quoniam nec societas civilis dat vitam et libertatem, sed haec a natura habentur, sequeretur haec bona neque a societate civili posse auferri, sed tantummodo a Deo.

293. Sed opponunt: Ut poenae temporales applicentur, requiritur vis armata. Quid enim si quis nolit sistere se tribunali ecclesiastico? Condemnabitur ut contumax; sed quid si impositam poenam sponte non suscipiat? Remaneret usus censurae, idest vis canonica, et sic poena imposita converteretur in poenitentiam,

ideoque non amplius esset mera poena. Quid si censuram spernat? Cum Ecclesia careat vi armata, sequitur poenas temporales non posse applicare nisi per modum poenitentiae, non autem merae poenae, idest in reluctantem.

Huic difficultati quidam respondent trahendo conclusionem contrariam; Ecclesiam nempe habere ius ad vim armatam. Sed omissa in praesenti hac quaestione, animadvertimus vim armatam haberi posse duplici modo, vel ut propriam, vel virtualiter; si nempe ille qui est armatus, et in casu nostro, princeps christianus, teneatur ministerium suum Ecclesiae praestare. Iamvero in statu normali, princeps christianus ad id tenetur ob indirectam subordinationem Ecclesiae, de qua in cap. seq. art. 3.; ergo adhuc stat Ecclesiae ius efficax adhibendi poenam temporalem. Igitur haberet vim armatam saltem mediate; et insuper vim canonicam, consistentem in eo ut damnatus ex sententia Ecclesiae fiat debitor poenae coram Deo et societate ecclesiastica, et censuris possit adigi ad eam suscipiendam; poena autem est semper temporalis sive vocetur mera poena, sive poenitentia; insuper ex vi canonica oritur et ius et officium in principe concedendi brachium saeculare.

§ 6.

AN ECCLESIAE COMPETAT POENAS INFERRE EX SCOPO MERE VINDICATIVO.

294. Ex his satis apparet competere Ecclesiae ius poenas temporales infligendi ex fine emendativo delinquentis et exemplari ac praeservativo ceterorum.

Sed competitne Ecclesiae poenas inferre ex scopo vindicandi crimen? Quamvis poenae applicatio sit de se vindicativa criminis admissi, ut vidimus num. 144,

tamen si nomen *vindictae* proprie sumatur, eo iure Ecclesia non utitur: etenim Ecclesia intendit salutem hominum, ideoque delicta punit quantum requirit salus delinquentis et societatis, et proinde quantum necesse est ad reum emendandum, et ad ceteros deterrendos ab eius imitatione; hic enim est eius finis; hinc Pius VI. supracit. Bulla *Auctorem fidei* asserit Ecclesiae ius adhibendi poenas *salubres*. Hinc etiam cum s. Augustinus Angliae apostolus, quaesivisset a sancto pontifice Gregorio M. quaenam poena esset decernenda ad puniendum furtum rei ecclesiasticae, respondit ep. 64. resp. 4. (lib. XI.) ex adiunctis diiudicandam esse delicti gravitatem « ut quidam damnis, quidam verberibus, et quidam districtius, quidam vero levius corrigantur » et addit « et cum paullo districtius agitur, ex caritate agendum est et non ex furore, quia « ipsi hoc praestatur qui corrigitur (idest punitur), ne « gehennae ignibus tradatur.... Haec ergo caritas in « mente tenenda est, et ipsa modum correctionis dictat ». Quibus verbis brevissime sanctus Pontifex enuntiat iurisprudentiam criminalem ecclesiasticam. Idem s. Gregorius in ep. ad Ianuarium episc. Calaritanum (lib. 8. ep. 65.) « Afflictiones corporis adhiberi ad nos « in poenitentiam dirigendos, ut qui salubria audire « verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad « desideratam mentis valeat reducere sanitatem ». Et Conc. Tridentinum sess. XIII. cap. 1. de ref. ita describit officium Episcopi: « Si quid per humanam fragilitatem peccari contigerit, illa Apostoli est ab eis « servanda praeceptio, ut illos arguant, obsecrent, increpent in omni bonitate et patientia, cum saepe « plus erga corrigendos agat benevolentia quam austeritas, plus exhortatio quam comminatio, plus caritas quam potestas; sin autem ob delicti gravitatem

« virga opus fuerit, tunc cum mansuetudine rigor, cum « misericordia iudicium, cum bonitate severitas adhi- « benda est, ut sine asperitate disciplina populis sa- « lutaris ac necessaria conservetur, et qui correpti « fuerint emendentur, aut si resipiscere noluerint, ce- « teri salubri exemplo a vitiis deterreantur ».

295. Tamen notandum est quosdam vocare vindicativas poenas, quae non modo ad correctionem delinquentis, sed ad publicum exemplum dantur; et hoc sensu poenae ecclesiasticae sunt vindicativae; non autem eo sensu quo proprie sumitur vindicta et talionis lege punitur crimen. Tamen inter finem emendativum et exemplarem non est repugnantia, quia unus alterum non excludit, ideoque Ecclesiae semper possibilis est utriusque cura, et quantum de se est, ad utrumque tendere poenis suis.

Deinde notandum est ipsam emendationem aliquando importare longius tempus, non modo ut solida appareat conversio peccatoris, sed etiam quia satisfactio debita Deo et societati in aedificationem est satis gravis, ut cap. 6. *de poenis*.

296. Sed videri posset absurdum Ecclesiae quae est societas perfecta, non competere ius puniendi vindicative, cum expiatio criminis sit unus ex finibus ipsius poenae.

Verum si consideremus finem Ecclesiae, patebit id nostrae theoriae non opponi. Etenim finis cuiuslibet societatis est quod dimetitur eius potestatem. Ius vindicandi crimen derivat ex iure restaurandi seu reparandi ordinem socialem laesum; iamvero aliud est loqui de societate civili quae sibi directe proponit felicitatem praesentem, et defensionem relationum externarum seu iustitiam inter unum individuum et alium, unam et aliam familiam, et aliud est loqui de Ecclesia,

quae sibi proponit ut finem directum felicitatem aeternam et sanctificationem singulorum. Etenim illa finem suum in hoc mundo unice habet, hic habet bonum suum adaequatum; igitur considerat ordinem suum, ut hic completum. (Et tamen nota quod cum delictum civile, ex. gr. homicidium, laedat et ordinem moralem, quatenus tale punietur a Deo). E contra Ecclesia considerat ordinem suum praesentem ut meram praedispositionem ad futurum, ideoque eius curam habet non illum absolute considerando sed relative ad futurum, ideoque ordinem suum restaurat cum et delinquentem ad poenitentiam adducit, et ceteros removet ab eius imitatione, quia per poenitentiam aufertur a sociis illa inclinatio ad peccandum, quam produxerat malum exemplum delinquentis.

II. Finis societatis civilis per se obtinetur per media mere externa; etenim tranquillitas externa pendet a mediis externis; igitur per se sufficit poenis ita terrere homines ut abstineant a perturbatione externa, etsi interius eam appeterent; diximus per se, idest attenta natura subiecti seu hominis; si enim deficiat interna moralitas, observantia exterior erit violenta; et proinde moraliter certum est societatem male processuram; sed hoc est per accideus. Sed non ita est de fine Ecclesiae, ad quem requiritur interna sanctitas; igitur leges quae tantum impedirent actus externos, non consequerentur finem Ecclesiae; ad summum ex parte illum attingerent, quatenus removendo scandala, rariora facerent et interna peccata.

297. Ex hac finium diversitate intelligimus quare societas civilis prosequatur publica vindicta crimina et postquam delinquens poenituit, et per suam poenitentiam scandalum a societate removit; etenim removendo scandalum removet damnum morale, sed non

materiale quod intulit delicto suo; insuper poena quae evitari per poenitentiam potest, non tam praeservat a delicto quam poena inevitabilis. Igitur societas civilis quae defendit ipsa bona materialia, et quae ea absolute vult inviolata, utpote quae constituunt felicitatem praesentem ad quam tendit ut ad bonum proprium, poenam proponit inevitabilem et proportionatam gravitati criminis, seu boni violati, idest vindicativam.

298. Proportio autem in re civili est regulariter determinabilis modo fere mathematico. Etenim si quis vitam aliis abstulit, potest ei auferri; item si membra vel res externas; potest enim damnari in duplum, ut et restituat quod usurpavit, et insuper de suo tantum amittat quantum aliis auferre voluit; item si per ambitum publicos honores sibi procuravit, iuste punitur infamia qua fit inhabilis ad publica munia. Id tamen regulariter; quid enim si quis attentavit bonis moribus, vel iura magistratuum vel reipublicae non agnovit, ex. gr. rebellavit? tunc profecto proportio poenae nequit desumi ex privatione boni eiusdem cui delinquens attentavit. Iamvero id evenit regulariter in Ecclesia; etenim quaedam delicta sunt mixta, quia offendunt bonum tum ecclesiasticum tum civile, ex. gr. furtum rei sacrae; quae proinde puniri possunt et mensura civili quatenus civilia sunt, et insuper animadversione ecclesiastica ob specialem in religionem irreverentiam, cuius irreverentiae et auctoritas civilis in statu normali societatis rationem habere debet ad poenam augendam. Sed delicta mere ecclesiastica, quae publicum ordinem respiciunt, consistunt vel in negatione iurium Ecclesiae et magistratuum eius, vel in attentatione fidei et moribus aliorum seu ipsorum sanctificationi. Iamvero haec, poena eiusdem generis ac peccatum nequeunt puniri; absurdum enim esset indu-

cere delinquentem ad peccandum quia et ipse ceteros induxit; hinc proportio entitativa inter poenam et delictum in his non habetur; sed aliis criteriis proceditur, ut nempe delictis maximis maxima inferatur poena, et ceteris minor, ita ut quaedam gradatio servari possit. Si enim delictis minoribus maximae poenae inferrentur, tunc nihil amplius haberetur quo homines magis deterrerentur a delictis maioribus. Deinde attenduntur omnes circumstantiae sociales ut in iure criminali ostenditur.

§ 7.

RATIONABILITAS POENARUM QUAE FUERUNT IN USU ECCLESIASTICO.

299. His positis apparet Ecclesiam pro fine suo certissime uti posse poenis etiam temporalibus quibus usa est, idest poena pecuniaria, relegationis, exilii, verberationis, carceris, etiam perpetui, et servitutis, cum hae et utiles sint ad correctionem delinquentis et salutares pro ceteris. Diximus et carcerem perpetuum recte adhiberi, qui non modo ad terrendum, sed et ad securitatem societatis potest esse necessarius, si delinquens sit incorregibilis, aut recidivus ideoque iuxta communiter contingentia, probabile sit ipsum rursus societatem perturbaturum si suae libertati relinquatur; ius enim habet societas sibi praecavendi, et delinquens sibi imputet si sua recidivitate ius dedit societati prudenter iudicandi eum esse recasurum.

Item exilium ab una in aliam provinciam, quia praesentia delinquentis in sua provincia potest esse periculosa tum ipsi tum aliis; ipsi ad rursus peccandum, cum ibi socios suos habeat et alias occasiones; ceteris, si ex. gr. auctoritate gaudeat, qua non gaudet apud

extraneos. Relegatio autem nihil aliud est quam carcer amplior; adsignatur enim pagus loco cubiculi.

300. Verum contra censuras promoveri posset difficultas, ex hoc desumpta, quod privant bonis spiritualibus ad sanctificationem necessariis et utilibus, loquendo saltem de interdicto et excommunicatione; iamvero videtur 1° inconveniens peccatorem privari mediis sanctificationis; 2° videtur inutile; peccator enim qui non timet ipsam culpam quae est maximum malum spirituale, multo minus timebit amissionem aliorum bonorum spiritualium.

Resp. ad 1^um^ peccatorem non privari mediis sanctificationis ut in peccato permaneat, quod certe esset contra Ecclesiae indolem, sed ut ex spirituali inopia in qua versatur, per censuras deterreatur et cito culpam derelinquat.

Neque 2. id est inutile: etenim I. experientia contrarium probat. II. Censura cum sit externa, importat quamdam infamiam in societate christiana, ideoque movet delinquentem, sicut s. Augustinus aiebat de carentia sepulturae, ad quam infamiam vitandam, multi convertebantur in morte, qui ceteris argumentis non movebantur. III. Peccatorem movet saltem ex aliquo residuo fidei; idest illum movet ex fide, si fidem adhuc conservavit, cum derelictio spiritualis in qua est, excitet timorem magnum damnationis; si autem peccato suo amisit habitum fidei, tamen habet ut plurimum fidem aliquam naturalem, in Deum et aliquas veritates supernaturales, quae ei ostendunt quantum malum sit permanere in statu censurae; hinc fit ut qui culpam non timuerat et etiam decipiebat se, in longum protrahendo conversionem, resipiscat ex censura, ut etiam experientiam diximus ostendere. Ergo censurae iuste et sancte possunt inferri.

§ 8.

DE POENA CAPITALI.

301. Poenam capitalem contra gravissima crimina iuste adhiberi a societate civili, nequit inter christianos in dubium revocari. Dixit enim Deus ad Noe et filios eius, Gen. XI. 6: « Quicumque effuderit humanum « sanguinem, effundetur sanguis illius ». Et in Exodo XXI. 12: « Qui percusserit hominem volens occi- « dere, morte moriatur ». Et Dominus in Evangelio Matt. XXVI. 52. increpans s. Petrum qui gladium exemerat, dixit: « Converte gladium tuum in locum suum; « omnes enim qui acceperint gladium, gladio peri- « bunt »; siquidem ut docet sanctus Paulus in epist. ad Rom. XIII. princeps « non sine causa gladium portat; « Dei enim minister est, vindex in iram ei qui malum « fecit ». Et universa traditio usum gladii in principibus laudavit; humanitas enim in malefactores adhibenda non est, cum honestorum detrimento.

302. Ratio autem intrinseca est quia poena capitis est proportionata, lege talionis, quibusdam criminibus; hinc in se est iusta; sed insuper est quoque necessaria ad scelestos in officio continendos, aut ceteros saltem deterrendos; est enim poena in praesenti ordine suprema, et efficacissima; ceterae autem facilius sperni possunt tum ex eo quod non sint perpetuae, vel saltem quia sperantur non perpetuae, tum quia interdum tanta est odii vis et vindictae cupiditas ut poenae non capitales videantur tolerabiles pro morte adversarii procuranda.

303. Sed a nobis inquirendum est an Ecclesiae ius sit poenam capitalem inferendi, pro delicto mere ecclesiastico, ut esset haeresis, blasphemia, sacrilegium, simonia.

Videamus igitur cuius naturae sit; et I. an sit emendatrix. Negandum est esse emendatricem post eius illationem; aufert enim vitam, ideoque possibilitatem mutandi voluntatem. Tamen plures antecedenter poenitent salutariter cum iam in mortis conspectu sunt, qui non resipuerant donec spem vivendi habuerant. Sed id non sufficit ut dicatur proprie emendatrix, non enim infertur ad emendandum; secus sequeretur non esse applicandam iis qui non poenitent, et si id statutum esset, illi etiam qui corde poenituissent, fingerent se non poenitere ut differretur haec poena.

II. Est certe vindicativa; et hoc sub respectu iuste adhibetur a societate civili; sed cum ex dictis non sit proprium Ecclesiae persequi delictum ad meram vindictam, sed ad correctionem rei et defensionem societatis, ratio mere vindicativa nequit invocari pro Ecclesia.

304. Videamus igitur an necessaria sit pro defensione societatis ecclesiasticae. Haec defensio consistit in duobus: 1° ut delinquens ponatur in impossibilitate nocendi societati, cum ex preterito eius delicto prudenter timendum est eum rursus esse perturbaturum societatem, ex. gr. si de haeretico dogmatizante recidivo sermo sit. Experientia enim ostendit hos raro perseverare in bonis propositis. Iamvero poena capitis tutissimum medium est ponendi delinquentem in impossibilitate ulterius nocendi; sed non est necessaria cum ad id sufficiat carcer perpetuus. Restat igitur defensio societatis, 1° antecedenter ad delictum ut timore poenae quis deterreatur; 2° consequenter, ut saltem ceteri deterreantur, idest remanet exemplaritas poenae.

305. Pariter certissimum est poenam capitis efficacissimam esse in terrendo, tum antecedenter tum consequenter. Sed videndum est an sit conforme fini et indoli Ecclesiae, terrere a delinquendo, hoc medio, quod

vim infert extremam, vel an ceterae poenae sint sufficientes ut Ecclesia ordinem suum satis custodiat. Res non omnino eliquata est; quidam enim doctores affirmant Ecclesiae competere ius gladii, seu inferendi quoque capitalem poenam. Valde maior autem pars negat; in utramque partem argumenta allata sunt, quaedam inepta, quaedam probabilia. Utraque breviter expendamus. Cum enim non adsit expressa doctrina Ecclesiae, neque adsint facta positiva eius mentem declarantia, ex remotioribus principiis et factis arguenda est potestas, Ecclesiae collata ab eius divino Fundatore. In mentem autem revocetur agi de poena mortis ob delictum ecclesiasticum tantum, non mixtum, ut est personae sacrae occisio, incendium Ecclesiae etc.

306. 1° Huic iuri asserendo Ecclesiae, opponunt, hanc poenam nullo modo esse correctionalem; quid enim si impoenitens esset delinquens, essetne adhuc ab Ecclesia occidendus, cum ipsa curet directe eius salutem? Aliter se habet princeps saecularis qui directe non curat salutem singulorum sed bonum publicum, ideoque permissive se habet relate ad perditionem impoenitentis.

Huic rationi respondent fautores contrariae sententiae, Ecclesiam curare directe etiam bonum publicum, et hoc, in conflictu cum bono privato praeferendum est; igitur si pro bono publico sit necessaria mors impoenitentis, Ecclesia permissive se habet, et delinquens sibi imputet.

Iamvero si necessaria esset pro bono publico poena capitalis, negari non posset hanc responsionem esse rectam. Igitur quaestio pendet ex hoc, an attento fine Ecclesiae qui per merum ordinem externum obtineri nequit, eius divinus Fundator voluerit ut poenas urgeret extremas quae maximo gradu cogunt, vel tantum mitiores quae sufficienter movent, sed maiorem

libertati locum relinquunt. Procedamus igitur ad alia argumenta.

2° Obiicitur Ecclesiam prohibere episcopis usum gladii pro defensione religionis, adeo ut eis prohibitum sit per sacros canones, qui infra citantur n. 310., uti gladio etsi princeps hortetur ad eius usum. Canones enim volunt si princeps putaverit muneris sui esse, gladio defendere Ecclesiam, defendat ipse, sed non episcopus.

Hoc argumentum potest considerari duplici sub respectu, vel quatenus exhibet legem ecclesiasticam, vel quatenus manifestat sententiam Ecclesiae circa usum gladii. Sub primo respectu non evinceret Ecclesiam carere gladio cum prohibeat usum gladii inferioribus magistratibus sed non ipsi summo Pontifici aut concilio generali. Sed secundo sub respectu recidit in argumentum quod ultimo loco afferemus, idest in factum non-usus gladii ex parte Ecclesiae, et tunc temporis cum potuisset utiliter uti eodem gladio, cum principes non modo permitterent, sed et adhortarentur.

3° Obiiciunt, mansuetudini Ecclesiae contrarium esse usum gladii.

Huic rationi respondetur, si necessarium esset pro publica utilitate, uti gladio non esset contra humanitatem; etenim iuvaret multis etsi uni vel alteri ex eius culpa noceret. Est autem proprium caritatis, ut succurrat ipsi societati potiusquam paucis individuis, et praesertim ut defendat innocentes a noxiis.

4° Obiicitur Matt. xxvi. 52. ubi Dominus ait Petro cum in horto exemisset gladium et amputasset auriculam Malchi: « Converte gladium tuum in locum suum; « omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. « An putas quia non possum rogare Patrem meum et » exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones an-

« gelorum? Quomodo ergo implebuntur scripturae? » Dicunt Dominum reprobasse usum gladii per prima verba; sed immerito; reprobavit enim usum gladii factum ad impediendam passionem eius, dicente Domino « quomodo ergo implebuntur scripturae? » 2. reprobavit usum factum a viro privato, ut erat tunc s. Petrus, non autem simpliciter; secus et magistratus civiles eo uti non possent contra ac doceat s. Paulus, principem non sine causa gladium portare; est enim minister Dei in iram. Igitur cum et Ecclesia sit societas perfecta, ei non repugnaret ex hoc usus gladii.

5° Item obiicitur ex 2. Cor. x. 21. « arma militiae « nostrae non carnalia sunt », quorum contextum superius attulimus n. 257.

Verum s. Paulus ibi ait sua arma non esse carnalia, quia non secundum humanam prudentiam operabatur, ut quidam eum accusabant veluti si secundum carnem ambularet; ibi subdit se « in promptu habere ulcisci « omnem inobedientiam ».

6° Obiic. verba Domini, Lucae IX. 55. ubi discipulis dicentibus « Domine vis, dicimus ut ignis descendat de « coelo et consummat illos? (Samaritanos nempe, qui « non receperant Dominum in suam civitatem), respon- « dit: Nescitis cuius spiritus estis; Filius hominis non « venit animas perdere sed salvare ».

Sed hic non agebatur de subditis Ecclesiae; deinde discipuli ex falso zelo movebantur potiusquam ex necessitate sociali, quae nulla erat illis in adiunctis.

307. Ex alia parte fautores poenae capitalis afferunt I. factum Ananiae et Saphirae qui a s. Petro morte mulctati sunt.

Respondeo hoc probare in genere, posse delicta ecclesiastica coerceri, cum Deus suppleverit infirmitati temporali Ecclesiae, sed non in specie quoad poenam

capitalem ab Ecclesia inferendam, cum eam non intulerit s. Petrus neque verbis, sed tantum prophetaverit quae Deus facturus erat, ut patet ex contextu.

II. Dicunt Ecclesiam esse societatem perfectam sicut civilis; atque huic competit ius gladii; ergo et Ecclesiae, saltem mediate, ut nempe ius habeat exigendi a societate civili ut irroget hanc poenam; secus, subdunt, Ecclesiae non esset satis consultum, si nequiret sibi necessaria aut facere per se aut saltem exigere ab aliis qui vim armatam possident.

Sed huic argumento respondetur: Ecclesia est societas perfecta sicut civilis, sed habens finem diversae omnino indolis, conc., eiusdem indolis, nego. Pluries innuimus differentiam inter utramque; finis enim civilis consistit in felicitate praesenti; de se est externus, ideoque directe afficit praesentem vitam, et per media externa satis obtinetur; finis Ecclesiae e contra est salus aeterna, quae proprie obtinetur per internam sanctificationem, ad quam media externa, sunt media sed inadaequata. Hoc posito societati civili competit ius gladii quia est necessarium et proportionatum eius fini; si igitur ostendatur necessarium et pro Ecclesia, ei concedendum erit; secus non. Etenim duabus societatibus perfectis non competunt eadem iura materialiter et specifice inspecta, sed tantum formaliter et generice, idest plenitudo iuris in suo ordine pro mediis necessariis ad finem; sed ex diversitate finis, oritur diversitas mediorum; hinc et iurium in specie; et proinde male argumentatur a iuribus Ecclesiae ad iura societatis civilis et vice versa, nisi demonstretur eamdem specificam rationem in utraque societate verificari. Hinc si ius gladii demonstretur necessarium Ecclesiae, erit ei concedendum; sed haec necessitas non potest deduci ex mero conceptu generico societatis per-

fectae. Igitur tota quaestio pendet ex necessitate; sed haec necessitas numquam ab Ecclesia agnita fuit.

308. Ad quod melius intelligendum notandum est, distinguenda esse quae princeps praestare debet in ministerium Ecclesiae eius nomine, et quod in eius protectionem praestat nomine proprio. Si enim daremus Ecclesiam indigere pro sua defensione applicatione poenae capitalis et ex hoc adiutorium principis invocare, iam ipsa exerceret mediate ius gladii; sed semper poena capitalis eius nomine applicaretur et princeps exhiberet tantum ministerium. Factum autem tribuitur tamquam principali auctori ei qui illud imperat, non autem ei qui illud ministerialiter praestat; ita mors delinquentis tribuitur iuridice principi vel iudici, potiusquam carnifici.

Sed praeterea cum religio sit fundamentum moralitatis et moralitas sit fundamentum reipublicae, potest princeps protegere religionem non quatenus religio est, sed quatenus fundamentum reipublicae; si igitur in aliqua republica, catholica religio sit socialiter recognita ut vera religio, poterit status compescere eius perturbatores quia turbando religionem laedunt et societatem, et proinde crimen religiosum est etiam civile. Hanc distinctionem inter id quod praestat Ecclesia et quod ulterius addit princeps, innuit s. Leo Magnus in epist. ad Turribium: « Quae (Ecclesia) si sacerdotali « contenta iudicio, cruentas refugit ultiones, tamen « christianorum principum constitutionibus adiuvatur « dum ad spirituale nonnumquam recurrunt remedium, « qui timent corporale iudicium ». Qui textus ostendit aliquando severiorem poenam utilem esse, sed non ab Ecclesia illatam, quia mater est. Tamen Status ita compescere nequit crimen religiosum ut laedat finem religiosum, et proinde iudicis ecclesiastici est videre

ne Status excedat in hoc. Praecedit tunc iudicium sacerdotale iudicans de delicto religioso, ex. gr. de haeresi propugnata dogmatizando, quo habito traditur reus brachio saeculari, et iudex laicus supposito crimine religioso, ei applicat poenam. Sed pro re nostra notandum est, tunc iudicem laicum non punire delictum religiosum ut mere religiosum, sed ut sociale, et proinde non punire nomine Ecclesiae, sed suo. Potest autem fieri Statum iuste applicare poenam graviorem ea quam Ecclesia applicaret, quia Status utitur gravioribus poenis, etiam capitali. Hinc si applicet poenam mortis, eam applicat non nomine Ecclesiae sed suo. Quoniam autem societati civili est non modo ius protegendi religionem sed et officium (in statu normali) pro ipsa sociali tranquillitate, Ecclesia quae est magistra et iudex omnium officiorum, potest etiam principibus inculcare hoc officium ipsorum quod habent non modo praestandi aliquando brachium saeculare pro applicatione poenae temporalis ab Ecclesia latae et eius nomine, sed etiam puniendi nomine proprio et gravioribus poenis delicta religiosa quae simul sunt socialia. Et quoniam Ecclesia est magistra non modo officiorum in genere, sed etiam iudex in specie, potest in determinatis circumstantiis principibus inculcare officium utendi gladio contra hostes Ecclesiae, non Ecclesiae ipsius nomine, sed suo ut et contra ceteros perturbatores, ex. gr. incendiarios, et potest proinde coarguere principes in hoc negligentes sicut et in ceteris quae ad ordinem moralem relationem habent.

309. Haec necessario prae oculis habenda sunt ad quaedam facta historiae ecclesiasticae explicanda. Praesertim notandum est quosdam fuisse haereticos qui non modo Ecclesiam impugnabant spiritualiter, sed et temporaliter occidendo sacerdotes, Ecclesias com-

burendo etc.; haec delicta erant simul religiosa et civilia; hinc merito Ecclesia poenam etiam mortis contra hos invocabat, et in defectu organizationis civilis, iure devolutivo, ut suo loco art. seq. videbimus, ipsa societas religiosa poterat arma capere; sed tunc procedebat Ecclesia non tantum ut Ecclesia sed ut societas christiani populi, utens potestate civili, in defectu organizationis civilis ab ecclesiastica distinctae.

310. Ex his apparet quaestionem hanc etsi in se gravissimi momenti, tamen in praxi indifferens esse quaecumque sententia adoptetur. Etenim vel in iis Ecclesia vivit temporibus in quibus amicam habet societatem civilem quae publice et sincere agnoscit Ecclesiam ut religionem Status, vel non. Si hoc iam impossibile est Ecclesia exerceat gladii ius, quia Status nec ministerium suum praeberet, nec multo minus sineret Ecclesiam procedere per se; hinc Ecclesia non posset physice ius gladii exercere etsi illud haberet; nec posset moraliter, quia maiora mala exurgerent ex Status oppositione. Si vero prima verificaretur hypothesis, tunc Status non modo praebebit auxilium in iis quae Ecclesia iudicaverit punienda nomine proprio, sed insuper et ulterius puniet nomine suo crimina quae religionem perturbant, et Ecclesia poterit Statui indicare quae ex officio suo et nomine suo praestare tenetur. Hinc obtinebitur idem finis defensionis Ecclesiae, quin Ecclesia odiositatem incurrat illationis poenae capitalis et aliarum atrociorum. Hinc sacri canones prohibuerunt episcopis uti poenis sanguinis etsi magistratus civiles ad id eos hortarentur, sed potius volunt ipsos iudices laicos procedere nomine suo, verificato prius ab Ecclesia crimine religioso. Can. *saepe* 29. et 30. Causa 23. q. 8. et cap. 9. *Ne clerici vel monachi*,

et cap. 4. *de raptoribus*. (Vid. Vecchiotti *Institutiones canonicae* vol. 2. lib. IV. § 6. 2.).

311. Cum igitur tota quaestio pendeat a necessitate, cumque haec satis non innotescat ex ipsa rei natura, impugnatores iuris gladii Ecclesiae arguunt ex facto constanti, quod nempe Ecclesia numquam gladium adhibuerit, neque cum poterat eo utiliter uti; hinc ortum habuit effatum: *Ecclesiam abhorrere a sanguine*, quia 1° numquam hanc poenam irrogat; nec 2° permittit suis clericis participare iudicio criminali; si autem inconveniens est clericum participare iudicio sanguinis de cetero iusto, videtur multo magis inconveniens, iudicium sanguinis ab ipsa Ecclesia nomine proprio ferri. Hinc etiam 3° cum Ecclesia delinquentem, puta clericum degradatum, tradit brachio saeculari, rogat magistratum civilem ne sanguinem effundat, ut habetur in pontificali. (Tamen declaratum est magistratum civilem per hoc non obligari ad sanguinem non effundendum). Iamvero si Ecclesiae nomine sanguis funderetur, esset contradictoria haec petitio, et Ecclesiam in re tam gravi ludere, sine iniuria affirmari non potest. Ergo Ecclesia sanguinem nec effundit per se, nec vult nomine suo effundatur. Sed si Ecclesiae esset ius gladii, non repugnaret effundi eius nomine; usus enim iuris etiam severioris, in debitis circumstantiis non est inconveniens; insuper Ecclesia aliquando usa esset hoc iure si illud haberet, idest cum utiliter poterat exerceri; si enim a Domino accepit hoc ius, utique debet et illo uti cum nihil obstat, secus negligeret usum medii sibi traditi, cuius usus utilis esse posset; et proinde non fideliter responderet intentioni divinae, quod nefas. Igitur dicendum esset numquam hactenus Ecclesiam iudicasse se posse utiliter exercere ius gladii, vel quia circumstantiae sociales id non permit-

terent, vel quia melius erat ut princeps nomine suo procederet. Sed illud videtur asseri non posse; fuerunt enim tempora in quibus Ecclesia potuisset libere exercere ius gladii, cum populi et principes plura et de se temporalia ei committerent, et Ecclesia ea exerceret; hinc multo magis libenter suscipiebant eius potestatem pro scopo spirituali; Ecclesia autem quae plura alia temporalia suscipiebat in bonum principum et populorum, multo magis debuisset per se exercere suum ius gladii. Quod si in statu amicitiae cum republica civili melius est per se, ius gladii a republica exerceatur nomine proprio in bonum Ecclesiae, dicendum est inutiliter traderetur eidem Ecclesiae, cum sufficeret officium quo tenetur respublica Ecclesiam defendendi nomine suo; quod nisi facere velit, multo minus faceret nomine Ecclesiae, aut permittet Ecclesiam facere per se. Cum autem Dominus non contulerit Ecclesiae iura de se inutilia, dicendum est factum negativum non-usus gladii, probare carentiam iuris in Ecclesia.

312. Ceterum haec facta illud saltem ostendunt, si neque retro actis saeculis Ecclesia putavit exercere posse utiliter ius gladii, si illo praedita esset, multo minus verisimile est id verificari posse aut nostris aut proxime futuris temporibus, ideoque esset ius theoreticum, quod hactenus numquam factum esset actuabile, nec facile fieret in futurum.

313. Carentiam iuris gladii expresse profitetur sanctus Nicolaus I. can. *Inter haec*, 6. causae 33. q. 2: « Sancta Dei Ecclesia gladium non habet nisi spiri- « tualem; non occidit sed vivificat ».

Auctoritati Nicolai I. non obstat auctoritas Innocentii IV., imo Conc. Lugdunensis, cap. I. *de homicidio* in VI., in quo mandantes assassinium, *diffidantur* perpetuo a toto populo christiano. Diffidatus autem erat

morti devotus. Verum ut patet agitur non de delicto ecclesiastico sed de temporali enormissimo, qui ab universa societate competenter puniendum est.

§ 9.

DE TRIBUNALI INQUISITIONIS.

314. Contra assertionem nostram, Ecclesiam nempe numquam usam esse poena capitis, arguunt ex facto inquisitionis, quod nobis occasionem praebet huius celebris institutionis rectum conceptum tradendi (1). Aiunt itaque S. R. et universalem Inquisitionem plures morti damnasse, ut Romae sub s. Pio V. anno 1567 duos, quorum unus fuit Petrus Carnesecchi protonotarius apostolicus, de quibus Orator venetus testis ocularis in sua ad Senatum relatione die 27 septembris, postquam narrasset dominica praecedenti a cardinalibus iudicibus s. Officii plures diversis poenis damnatos fuisse, ait: « Ma gli altri due sono stati rimessi al « foro secolare e conseguentemente destinati alla morte « ed al fuoco (2) ». Et vere postquam Carnesecchi degradatus fuit, ei caput amputatum est et corpus rogo iniectum. Alter autem eius socius, cum in conspectu mortis sese retractasset, veniam obtinuit.

Item, eodem Pontifice die 3 iulii 1570 Aonius Palearius ut antiquitatis amore vocabatur Antonius della Paglia, seu Pagliaricci, verulanus, qui inter alios errores et illum docebat, non posse principem saecula-

---

(1) De inquisitione vide plenam apologiam quam Aloisius Nicora scripsit in ephemer. « La Scuola Cattolica » fasc. 119. et 120, idest novemb. et dec. 1882.

(2) Vide Cantù, Storia degli eretici in Italia, vol. 2. Gli eretici in Toscana.

rem morti damnare, qui ab Ecclesia haereticus iudicatus esset (1).

Celebris autem est mors Iordani Bruno apostatae dominicani, qui pariter Romae an. 1600 damnatus est. Quamvis enim tribunal s. Officii illum tradendo saeculari auctoritati adhibuisset ritualem formulam « *ut* « *quam mitissime puniretur*, *et citra sanguinis effu-* « *sionem* », tamen ad Campum Florae vivus combustus est (2).

In Hispania autem, teste Llorente, tribus saeculis inquisitio protulit 34653 mortis sententias.

Resp. separatim de tribunali S. R. et U. Inquisitionis, et de inquisitione hispanica. Quoad primam ut aliquid evincerent fautores iuris gladii oporteret duo ostenderent, 1° tribunal s. Officii protulisse non modo sententiam haeresis et contumaciae in haeresi (qui enim poenitebant numquam morti damnabantur, saltem si non essent relapsi, quorum proinde retractatio iure haberi poterat ut suspecta), sed insuper protulisse sententiam mortis ob huiusmodi crimen; tunc enim etsi executio facta esset brachio saeculari, tamen, ut praemonuimus, esset imputanda ipsi tribunali eam praecipienti cui auctoritas civilis ministrasset. Sed vidimus quomodo damnatus fuerit Iordanus Bruno et Carnesecchi, nempe traditi non tam *brachio*, quam *foro* saeculari. Imo id semper servavit et inquisitio hispanica, ut non ipsa proferret capitales sententias, ut infra exponemus.

315. Sed 2° cum de sententiis Romae prolatis sermo sit, oporteret ostendere, poenam mortis inflictam fuisse

---

(1) V. Storia ecclesiastica dell' eminentissimo Orsi, continuata da fr. Filippo Angelico Becchetti, tom. XLIX. § 52.

(2) V. Cantù, Storia degli eretici in Italia; vol. 2.

nomine Pontificis ut Pontificis, non autem ut principis, cum ut talis et ipse potuerit vel etiam debuerit plus punire haereticos sicut ceteri principes. Sententiam autem prolatam esse nomine Pontificis ut talis, non ostendit merum factum pronuntiationis factae a tribunali s. Officii, cum notum sit aliquando sub Pontifice rege attributiones tribunalium non fuisse exacte distinctas et separatas, sed facultatibus cumulativis processisse Pontificis et regis, adeo ut aliquando praesertim clerici officiales praestarent quae erant laicorum. Hinc potestas nativa Ecclesiae desumenda est ex eius legibus et factis generalibus, non autem a legibus specialibus status pontificii, si quae fuissent ab illis discordantes, nisi aliud manifeste ostendatur. Ex dictis autem resultat leges generales Ecclesiae totamque eius agendi rationem, abhorruisse a sententia capitali pronuntianda.

316. Item et pro aliis Statibus a pontificio distinctis videndum est an tribunal aliquando fuerit mixtum, idest ex iudicibus ecclesiasticis et civilibus compositum, quorum utrique pro re sua pronuntiarent; imo etsi resultaret ex solis iudicibus ecclesiasticis, potuit esse iuridice mixtum, quatenus et regia auctoritate procederet applicando poenas civiles inter quas est et capitalis. Imo cum utraque potestas concorditer procederet et iam extaret lex civilis damnans eum qui ut haereticus contumax vel relapsus ab Ecclesia iudicatus esset, in facto post iudicium Ecclesiae eius mors erat certa; cumque haec lex esset iusta et societati utilis, et Ecclesia iure poterat eius observantiam magistratibus civilibus inculcare, ex quibus rationibus executio civilis videri poterat ministerialis, potius quam principalis.

317. Ad iustitiam autem huiusmodi legum civilium cognoscendam, non modo attendenda est religionis lae-

sio quae per haereticum dogmatizantem habetur, ex qua societatis et moralitatis fundamentum impugnatur et maximum bonum futuris generationibus aufertur, sed et factum quo novatores omnes non modo mutationes religiosas sed et politicas promovere solebant, ex quo directe attentabant reipublicae securitati; maxime enim media aetate conglutinabantur et fere compenetrabantur ordo religiosus et politicus, ita ut illius subversio haberi non posset quin et hic destrueretur.

Quae diximus de tribunali mixto, vel ecclesiastico iudicante auctoritate etiam regia, maxime applicanda sunt Inquisitioni hispanicae quae indolem omnino specialem praesefert, et in ea non modo elementum politicum ecclesiastico coniungitur, sed etiam praevalet.

318. Origo enim inquisitionis generalis fuit saec. XIII, quando Albigenses Galliam meridionalem, Provinciam praesertim, non modo erroribus sed et ceteris criminibus, homicidiis, incendiis, vastationibus implebant. Armis enim devicti, Legatus apostolicus, Romanus card. s. Angeli anno 1215 in Concilio Bliterensi (Beziers), statuit Episcopos in singulis parochiis nominare debere sacerdotem cum duobus vel tribus laicis qui iurarent se *inquisituros* haereticos et magistratibus civilibus denunciaturos. Erat igitur inquisitio episcopalis. Analogae dispositiones latae sunt in Concilio Lateranensi IV., cuius decretum affertur cap. XIII. *de haereticis*, § 7.

319. Sed an. 1232 Gregorius IX. inquisitionem organizavit et Tolosae ordini Praedicatorum commendavit, quibus generatim reservata fuit, cum ad alias provincias propagata est, quamvis nonnullis in locis, ut Lutetiae Parisiorum, Franciscanis tradita fuerit. Facta est igitur inquisitio pontificia, et in ea satis distinguebatur iudicium ecclesiasticum de haeresi aut

aliis contra religionem criminibus, et iudicium civile de poenis etiam extremis inferendis. Sed restituta societati tranquillitate, ideoque generatim saltem, cessantibus delictis mixtis, idest in religionem et in vitam ac bona catholicorum, rarae factae sunt et sententiae ab inquisitione prolatae et poenae a foro saeculari applicatae.

Institutio haec inquisitionis erat populis maxime cara, ita ut Cantù in sua haereticorum historia, adnotet tunc in moribus fuisse sese adscribere *familiae* Inquisitionis, cui ministrabant gratis. Et Mediolani tantum anno 1769, decreto augustae ducissae Mariae Theresiae abolita fuit congregatio Crucesignatorum, quae inserviebat Tribunali inquisitionis. Componebatur ex centum urbis nobilioribus, qui valde aegre paruerunt iussioni imperatricis (1).

320. Neque heterodoxi habent quod obiiciant, cum et novatores saec. XVI. dictis et factis defenderint, societatem civilem, haereticos impios et blasphemos punire debere poena quoque capitali. Id expresse statuit Calvinus in suo libro: *Fidelis expositio errorum Michaëlis Serveti, et brevis eorumdem refutatio, ubi docetur iure gladii coercendos esse haereticos; 1554.* Et factis iam ostenderat, comburendo lento igne eumdem Servetum. Imo Genevae statuerat rigidissimam inquisitionem in omnes doctrinas sibi contrarias, et furcae erectae sunt cum hac inscriptione: « pro iis qui male loquentur de domino Calvino ». Et Melancton epist. 187. ad Calvinum ait: « Affirmo etiam vestros « magistratus iuste fecisse quod hominem blasphemum, « re ordine iudicata, interfecerunt ». .

(1) V. *Scuola Cattolica*, fasc. nov. 1887, pag. 460, *Delle immunità ecclesiastiche*, cap. XIII. di Felice Bertani

Et Lutherus (contra Sylvestr. Prier.) « Si adversus « latrones utimur furca, adversus homicidas gladio, « *contra haereticos igne* ». Et alibi pluries. Et eius suasione multa anabaptistarum millia occisa sunt (1).

Item an. 1536, 7 augusti apud Homburgum habita est synodus pastorum protestantium Germaniae in qua poenam capitis a Magistratibus contra eosdem anabaptistas statuerunt irrogandam, approbante Luthero in epistola ad Landgravium Hassiae. Consulatur idem Rohrbacher, cit. lib. 84. § 6. qui ex integro legendus est. Quin imo ipse Woltaire non modo Genevae comburere fecit librum Rousseavii, cui titulus *Aemilius*, sed insuper auctoris carcerationem decernere (2).

321. Ecclesia autem in haereticis damnandis, eorumdemque punitione approbanda, sibi consequens est. Sed quomodo haec agendi ratio conciliari possit cum principiis protestanticis de libero examine et de spiritu privatae interpretationis imo et inspirationis, aut cum principiis libertatis quam dicunt conscientiae a neotericis propugnatis, profecto non video; hinc dum heterodoxi Ecclesiam intolerantiae non modo doctrinalis sed et practicae accusant, turpiter sibi contradicunt; et notum est quanta catholicis mala illata sint in Anglia praesertim et in nordicis regnis, quantaque saevitate in catholicos actum; violentia enim regia, pseudo reformatio introducta est, et catholicismus abolitus, poenis severissimis propositis etiam capitali in presbyteros, missam praesertim celebrantes (3). Neque intolerantia haec, nostra aetate ex toto defecit, sed

---

(1) V. Rohrbacher, Storia universale, lib. 84.

(2) V. Cantù, Storia universale, tom. XII. Crociata contro gli Albigesi.

(3) V. Rohrbacher, lib. 84.

prout temporum indoles permittit, apud gentes heterodoxas adhuc viget, cum catholicae nationes non tam libertatem quam licentiam religiosam saepe permittant.

322. Sed deveniamus ad inquisitionem hispanicam. Notum est hanc nobilissimam regionem fuisse pluribus saeculis a Mauris occupatam, qui paullatim perseverantibus antiqui populi christiani bellis, tandem eiecti vel saltem subiugati sunt, ultimo ipsorum regno granatensi debellato a coniugibus Isabella regina Castellae et Ferdinando Aragoniae an. 1492, post 781 an. ab invasione. Iamvero in regionibus quas christiani occupabant remanebant plures ex Mauris coloni praesertim, qui facile conspirabant cum reliquis, praesertim donec stetit regnum granatense, et etiam postea cum Mauris Africae. Multi autem sive ut humanius haberentur a victore, sive ne eiicierentur, suscipiebant christianam religionem, sed ficto animo, ideoque facile redibant secreto ad superstitiones mahometanas, et odium acerrimum in christianos, seu hispanos fovebant. Hebraei quoque plurimi erant in his regionibus, qui Mauris adhaerebant, et ex iisdem rationibus ficte christianae religioni nomen dabant.

In hos sive relapsos sive male conversos vigilabant hispani, eos ut hostes patriae habentes et sui deceptores ac proditores. Hinc a summo Pontifice Sixto IV. obtinuerunt fundationem inquisitionis, sub regum protectione, quae primo obtinuit an. 1478, et multis privilegiis a regibus donata est.

Habuit igitur scopum religioso-nationalem; imo et eius organizatio potius civilis fuit quam ecclesiastica, etsi a summis Pontificibus facultates impetraverit procedendi in causis religiosis. Magnus enim inquisitor nominabatur a rege; ipse autem nominabat ceteros inquisitores minores aut adsessores sed non absque

regio beneplacito, et ex adsessoribus quidam erant et laici.

323. Verum inquisitio non iudicabat tantum de criminibus religiosis, quae ex speciali Hispaniae conditione, merito habebantur ut peculiariter patriae adversantia, sed et de pluribus aliis, ut de delictis contra naturam, quae Deus in veteri lege, igne puniebat; item de seductoribus, blasphemis, latronibus Ecclesiarum, et earumdem bonorum usurpatoribus; de usurariis quoque; etiam de homicidio si relationem aliquam ad ipsam inquisitionem habuisset; deinde de magia, sortilegiis, nec non communicatione cum hostibus, durante bello, et aliis pluribus (1). Apparet igitur iudicasse et de delictis mixtis aut etiam ex toto civilibus, aut contra ipsam religionem naturalem, quae puniunt etiam gentiles. Igitur ex illis supradictis 34 millibus quae spatio plusquam trium saeculorum morti damnati sunt, si fidem habeamus canonico Llorente, videndum esset quot titulo merae haeresis, vel melius apostasiae fuerint damnati; quos profecto paucissimos fore indubitatum est, cum iniqui homines soleant se maculare multis aliis delictis.

324. Deinde, quod ad rem nostram maxime attinet, inquisitio etiam hispanica non pronuntiabat per se sententias capitales. Ita enim procedebat: advenientibus inquisitoribus in aliquam regionem, proponebant edictum quo omnes lapsos in haeresim, apostasiam vel superstitiones incitabant ad poenitentiam, atque sponte confessis, indulgentia promittebatur. Et pater Thomas a Turrecremata (Torquemada) (ex Mariana, lib. 24), plusquam 17 millia sic absolvit. Contra ceteros pro-

(1) De Maistre. L'inquisizione svelata, lettere ad un gentiluomo russo.

cedebatur, primo publicando testimonia ut in ceteris causis. Sed cum testes ob multitudinem, potentiam et audaciam lapsorum non essent tuti, concessum est a Bonifacio VIII. cap. ult. *de haereticis* in 6., publicationem supprimi posse quando periculum exstaret; id post occisionem s. Petri de Arbues, Aragoniae inquisitoris anno 1485, in regulam generalem transiit. Cautelae tamen magnae adhibebantur, et poenae auctae sunt in falsos testes.

Tortura autem iuxta morem illius aetatis in usu erat, sicut fuit et apud Graecos et Romanos; sed in eadem causa semel tantum eidem subiiciebantur accusati dum in tribunalibus laicis nullus erat limes legalis. Adveniente autem die, habebatur actus fidei, *auto-da-fè;* idest poenitentes retractationem suam legebant et eis poenitentia competens imponebatur. Rei autem criminum civilium aut apostasiae cum impoenitentia vel relapsu, foro saeculari tradebantur. Igitur quamvis inquisitio, nomine regio potuisset poenam capitalem applicare, non ipsa decernebat, contenta iudicio doctrinali de qualificatione haeresis, si extaret, et de existentia criminis, ut faciunt hodierni iurati aut periti; crimen autem in facto est.

325. Ceterum Llorente qui historiam scripsit inquisitionis hispanicae initio huius saeculi, fuit secretarius eiusdem inquisitionis et ea abolita, nova methodo consulendi historiae, combusto archivio, suum opus edidit. Hinc ut plurimum non potest verificari an quae asserit sint vera vel saltem exaggerata.

326. Sed et si vera, apparet nihil mirandum continere. Etenim ut ait Cantù, Hist. universalis tom. XII. *Crociata contro gli Albigesi*, inquisitio non modo in Hispania sed in universo mundo, non fuit causa damnationis tot delinquentium quot undecim annis (1641-1652),

occisi sunt Catholici in Hibernia ab Anglis ut eos sibi schismaticis subiicerent et a catholica religione averterent. Item in Anglia, sub regno Henrici VIII et Elisabethae plures unice religionis causa occisi sunt quam in Hispania tribus saeculis. Et quidem in Anglia, Hibernia, aliis quoque regnis, absque ulla solemnitate iuris, et saevissimis tormentis damnati sunt.

327. Libertatis vero et iurium hominis assertores saeculo superiori, an. praesertim 1793, sub regimine terroris, plura centena hominum millia tumultuarie fere et arbitrarie occiderunt, de quibus vide Cantù, *Hist. univers.* tom. XIX. *Documenta sub litt. I.*

328. Illud deinde in favorem hispanicae inquisitionis notandum est eam novitates religiosas saec. XVI. in reliqua Æuropa propagatas impedivisse, ideoque bella religiosa, quae alias regiones ut Galliam, et Germaniam praesertim in bello 30 annorum, dilaceraverunt, Hispania, sacrificio paucorum perturbatorum ignoravit, ut merito observat Victorius Alfieri. Institutio inquisitionis tam accepta erat populo hispanico, ut suppressa a Bonaparte, restaurata fuerit voluntate populi et Comitiorum regni (Cortes) ab anno 1814 - 20.

329. Quae dum in eius laudem asserimus non nobis mens est singula quae eam respiciunt defendere, cum omnes humanae institutiones aliquid humani patiantur et praesertim subiiciantur defectibus cuiusque epochae propriis; sed nos principium defendimus, et reiicimus innumeras calumnias quas romanensium fabularum scriptores in inquisitionem, hispanicam praesertim, confinxerunt. Hinc et cordati inter protestantes eam commendant, aut saltem defendunt ab iniquis accusationibus, et prae ceteris illius aetatis tribunalibus laudant. Ita Schroeckh tom. 34. hist. pag. 483. et seq.; Ranke, *Principi e popoli*, tom. I. pag. 242. et seq.; Ha-

vemann et alii. De qua re vide Rohrbacher lib. 83.; cum enim nobis non apologeticus sed iuridicus scopus sit propositus, ab ulteriori huius materiae evolutione abstinemus.

330. Tantum pro re nostra addendum est, hispanicae inquisitionis severitatem, etsi ex politicis supradictis rationibus satis iustam, a summis Pontificibus pluries reprehensam fuisse; ex quo melius apparet indoles eius regia et politica, potius quam ecclesiastica et pontificia. Sub ipso Sixto IV. relationes diplomaticae ruptae sunt hac de causa inter s. Sedem et Regem Hispaniae, qui et omnes suos subditos ab Urbe revocavit. Reges etiam curabant impedire appellationes ad s. Sedem cum facile ab ea absolverentur qui in Hispania damnati fuerant, vel saltem poenitentiae minuerentur. Hinc saepe poena excommunicationis a Pontifice vel Legatis eius comminata fuit et aliquando etiam lata, contra inquisitores impedientes appellationes, aut vexantes appellantes. Ex quibus melius elucescit mitis indoles Ecclesiae in poenis inferendis.

ARTICULUS VII.

De vi armata.

§ 1.

DE IURE PROPRIO ECCLESIAE.

331. Quaeritur an Ecclesia habeat vim armatam iure proprio; de iure enim devolutivo in seq. paragrapho. Distinguendum est inter ius immediatum et mediatum; hoc in eo consistit quod pro executione legum Ecclesiae, Status civilis teneatur vim armatam eidem praestare. Hoc certe competit Ecclesiae, tum ex dicendis de relationibus Ecclesiae et Status, tum ex eius per-

fectione; nam sine vi armata poenas temporales etiam mitiores, non posset executioni mandare; oportet ergo vel ipsa habeat vel saltem Status teneatur vim armatam ei praebere; sed questio est de vi armata immediata.

332. Animadvertimus nomine vis armatae intelligi vim publicam idoneam ad violentiam corporalem et homini maxime invito inferendam; non autem comprehendimus sub eo nomine modicam coercitionem qualem patresfamilias adhibent in filios, quae et Praelatis Ecclesiae concedenda est in adolescentes, clericos praesertim et Abbatibus in monachos; etenim hi imitantur patresfamilias in coercitione et educatione suorum; hinc non repugnat indoli caritativae Ecclesiae. Igitur quaestio est de vi omnino militari.

333. Neque mirum sit nostra aetate qua Ecclesia non modo caret omnibus fere temporalibus adiumentis, sed ut plurimum positivae persecutioni guberniorum exponitur, has agitari quaestiones quae nullam practicam applicationem habere possunt. Praestat id semel et pro reliquis affinibus quaestionibus quas tractabimus animadvertere: nos agimus de iure Ecclesiae, quod ei competit ex sui natura et ex voluntate divini Fundatoris; hoc ius est immutabile; iamvero necesse est 1° veritatem servare intactam et eo tempore cum veritas practica nequit executioni mandari; 2° nobis explicanda est actio Ecclesiae non modo praesens sed et retro actorum temporum; aeque enim repugnat in iuribus sibi asserendis errare Ecclesiam praesentem ac praeteriti temporis. Hinc et regalistae moderati, fatentur Ecclesiam antiquis temporibus legittime praestitisse quae eidem nunc negant; sed dicunt eam egisse ex titulo contingenti, ex. gr. ex principum concessione.

334. Tamen vindicantes iura Ecclesiae illud est etiam

monendum non omnia iura aeque opportune posse quolibet tempore exerceri, sed exercitium accommodandum esse temporum indoli, salva veritate, ne sit in destructionem et non in aedificationem. Ecclesia autem mitissima est et maximo caritatis spiritu ducitur; ideoque non modo quod iustum et humanum per se est, servat, sed et indulget temporum infirmitati, dando, ut ait s. Paulus, lac parvulis et solidiorem cibum adultis; I. Corint. III. 2: « Lac vobis potum dedi non escam, « nondum enim poteratis ». Sicut autem singuli individui habent suam infantiam vel aegritudines, ita et populi, quamvis de cetero civiles. Hinc vindicatis iuribus Ecclesiae ut eius anterior agendi ratio iustificetur et veritatis ius, divinaque institutio salva consistat, monendum est non omnia iura ab Ecclesia semper exerceri, sed tantum opportuno tempore, et tempus praesens opportunum non esse pro nonnullis. Id monendum est ad invidiam in Ecclesiam removendam ; ut enim eius hostes eam exosam populis reddant, quae superioribus temporibus acta sunt, prae oculis subiiciunt; cumque nos eadem recte facta asseramus, concludunt voluntatem Ecclesiae esse eadem iura nunc exercere, et tantum abstinere ex defectu physicae potentiae, sed semper in id intendere ut physicam potestatem recuperet ut mundum nunc gubernet eadem ratione ac media aetate; ideoque cavendum esse ne publica socialis potestas in manus deveniat catholicorum; imo et legibus exceptionalibus ipsorum libertatem restringendam esse ne praevaleant, si velint populi impedire renovationem regiminum quae olim fuerunt.

Haec per calumniam asseruntur; scit enim Ecclesia exercitium potestatis accommodandum esse indoli, necessitatibus et etiam infirmitatibus populorum, salva veritate, ne corrigendo aut puniendo noceat, iuxta illud

Evangelii, ne eradicando zizania, eradicetur simul et triticum. Iamvero aliter agendum est cum populis barbaris vel saltem duriorum morum, et aliter cum populis civilibus; poenae enim quae pro illis sunt necessariae, pro his sunt saepe excessivae; idem dicatur de universa agendi ratione. Ex. gr. diximus Ecclesiam usam esse poena fustigationis; sed certe nunc hac poena non uteretur Ecclesia, cum abolita sit apud omnes fere civiliores gentes. Etenim Ecclesia mitioribus poenis utebatur et cum societas civilis gravissimas adhibebat; multo igitur magis nunc mites poenas adhiberet Ecclesia si libere posset sua iura explicare. Ut ita dicam, proportio ab Ecclesia, eadem semper ponitur inter facta humana et principia ac finem religiosum, ut legibus suis curet semper fideles ad suum finem ducere; finis numquam mutatur, sed mutantur facta, ideoque mutato uno ex extremis, mutatur et proportio, quamvis sit semper recta proportio; igitur leges Ecclesiae habent semper eumdem formalem valorem, quamvis materialiter possint immutari. Exprobratio autem severitatis temporum transactorum, non Ecclesiae facienda est, sed ipsi humanae societati quae tunc temporis talibus utebatur moribus, quos Ecclesia mitigavit. Calumnia autem est contendere eam renovaturam omnia quae superioribus temporibus facta sunt; quamvis enim tunc iusta, nunc non amplius expedirent; hinc, ut aiebat summus pontifex Pius IX. die 20 iulii 1871, deputatis academiae catholicae Religionis, loquendo de imperantium depositione olim ab Ecclesia facta, nunc nemo cogitat de hoc iure exercendo et minus quam ceteri ipse Pontifex.

335. Hisce semel praenotatis iam liberiori animo ad propositam quaestionem accedere valemus. Igitur ut habet cl. Vecchiotti in suis institutionibus canonicis

lib. VI. § 7, item Bianchi, *Della potestà indiretta* (1), dicimus Ecclesiam per se loquendo, armatam vim non habere quia, ut aiebat s. Leo M. in epist. ad Turribium, nullos a Christo milites accepit; et haec est ratio positiva denegandi Ecclesiae vim armatam propriam; hic faciunt et textus s. Io. Chrysostomi supra cit. n. 263. quod arma Sacerdotis non sit clypeus et lancea, aut arcus; item s. Ambrosii n. 264, et s. Nicolai supra citati, quod Ecclesia gladium non habeat nisi spirituale (can. 6. caus. 33. q. 2.); quod de immediata possessione certe intelligendum est; et plurium aliorum qui possent adduci.

336. Tamen cum suum tribunal a civili distinctum habeat, cumque et temporalem poenam possit infligere, non est absurdum si suos habeat lictores qui ipsius sententias executioni mandent; id aliquando concordatis concessum est, ut Episcopi haberent ex. gr. 12 lictores, Archiepiscopi 24. Sed animadvertendum est hanc vim esse insufficientem si Status vi sua militari eos non protegat. Quid enim si pessimi homines numero duplo sese opponant lictoribus Ecclesiae? maior copia militum requiritur, et eo res devenire possunt ut non amplius lictores, sed cohortes et legiones requirantur; sed haec et munitiones bellicas ac praesidia cetera militaria important. Ergo duplex vis esset armata in singulis urbibus, episcopalis et regalis; sed vel hae vires

(1) Lib. IV. § IX. num. 13: « Sebbene l'uso diretto delle « armi non puo appartenere alla Chiesa se non per umane « ragioni, cioè o per concessione de' Principi, o per consenso « de' popoli, o per prescrizione di tempo; l'uso nondimeno « indiretto di queste medesime armi che sono direttamente « in mano de' Principi fedeli, alla Chiesa appartiene per di- « vina concessione, non perchè sieno maneggiate dalle mani « de' sacerdoti, ma perchè a loro cenno.... »

armatae sunt subordinatae vel non; si 1um non sunt duae sed una, ecclesiastica vel laica prout imperabit dux Ecclesiae vel Status. Si 2um habemus duas vires armatas independentes; sed id in eodem territorio repugnat, quia essent duae potestates aequales in eadem materia et ex eodem fine proximo. Neque est paritas inter ius legislativum Ecclesiae et Status, utrumque independens; etenim per se non sunt circa idem obiectum seu eamdem materiam; vel si sunt aliquando, finis proximus unius differt a fine proximo alterius, et subordinatio adest ratione finis ultimi, salva distinctione finis proximi et materiae per se; igitur possibilis est duplex potestas legislativa in eodem territorio, quia non est de eodem secundum idem.

337. Sed si duae sint vires armatae, quamvis finis remotus sit diversus, tamen materia est omnino eadem, idest arma, et finis proximus idem, idest securitas militaris, quae importat ut quis ita vi physica possideat territorium, ut nemo alius illud vi physica possideat, ita ut invito primo, nemo aliquid ibi possit vi physica. Ergo potestas militaris independens in eodem territorio est in suo conceptu una. Et haec est ratio naturalis iuris ob quam Ecclesiae Auctor, eidem non concessit vim armatam.

338. Ex qua unitate exclusiva vis militaris fit ut si mixto praesidio aliquando plures principes occupant idem territorium, necessaria sint specialia pacta, per quae uterque princeps moderatur suam potestatem, et amittit proinde perfectam independentiam; et insuper haec pacta solent malum exitum habere.

339. Sed ulterius observandum est integrum exercitum civilem esse subditum Ecclesiae; si ergo Ecclesiae ius esset habere armatam vim propriam sufficientem continendis in officio omnibus suis subditis, iam

oporteret vel ipsam maiorem exercitum habere et maiora praesidia ac principes, aut istorum duces ab Ecclesia directe pendere; utrumque est absurdum, cum principes ex toto vel ex parte expoliaret suo imperio.

340. Illud quoque advertendum est, si principes sint in Ecclesiam bene affecti, libenter ei suppeditabunt brachium saeculare pro executione sententiarum eius, ideoque non est ei necessaria vis armata propria; si secus, nullo modo permittent Ecclesiam habere notabilem vim armatam; et tunc vel nulla erit vel parva et inefficax ad resistendum malis christianis, neque princeps permittet vim armatam Ecclesiae in suos milites etsi in Ecclesiam delinquentes, exerceri, se inaudito. Igitur de facto, haec sententia non praeiudicat bono Ecclesiae.

341. Neque dicatur praeiudicare eius perfecto iuri, cum eam faciat a Statu civili dependentem; etenim facit dependentem de facto, non iuridice, cum Status teneatur eidem ministerium suum praebere; sicut in servitutis statu, non minoratur domini ius, eo quod de facto indigeat servorum ministerio, vel ius regis, ideo quia indiget ministerio aulicorum; quid enim si omnes renuerent? Esset de facto incapax providendi sibi, quamvis integrum ius servaret. Hinc sicut societas hominum naturalis seu civilis, est iure perfecta in suo ordine, sed de facto dependens a materiae viribus, quas supponit ut vita humana possit ordinate traduci, ita Ecclesia supponit civilem societatem ordinatam, ut possit de facto explicare universa sua iura ob obsequium et ministerium ipsius societatis civilis.

Adnotandum etiam est hanc indigentiam brachii saecularis conferre ad realem perfectionem religiosam Ecclesiae, quia eius ministros obligat ut taliter vivant ut eis populi sint bene affecti, ut generatim advertit s. Nicolaus I. can. 7. dist. x.

342. Duplicem potestatem coercitivam Ecclesiae, unam ab ipsa Ecclesia inferendam, idest per poenas spirituales, aliam ministerio principis, idest temporalem, medio aevo dixerunt figuratam in duobus gladiis, de quibus sermo est in Evangelio Luc. XXII. 35. Dominus ait discipulis: « Quando misi vos sine sacculo « et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vo- « bis? At illi dixerunt: Nihil. Dixit ergo eis: sed nunc « qui habet sacculum tollat similiter et peram; et qui « non habet, vendat tunicam suam et emat gladium... « At illi dixerunt: Domine ecce duo gladii hic. At ille « dixit eis, satis est ». Haec dixerat Dominus ut indicaret furorem persecutionis imminentis; discipuli autem nihil intellexerunt, unde Dominus dixit « satis « est, et egressus ivit in hortum Getsemani ». Sed Doctores medii aevi passim in his duobus gladiis duplicem potestatem Ecclesiae, sensu accommodato, figuratam dixerunt. Hac analogia usus est Bonifacius VIII. (fortissimus iurium Ecclesiae adsertor) in Bulla *Unam Sanctam;* et ante eum Innocentius III.; et prius eam proposuit et s. Bernardus, Doctor mellifluus, saeculo cum dimidio ante Bonifac. VIII. in lib. IV. de Consid. cap. 4. ad Eugenium III. qui fuerat eius monachus. Ait enim: « Uterque ergo Ecclesiae et spiritualis scilicet « gladius et materialis, sed is quidem pro Ecclesia, « ille vero et ab Ecclesia exercendus; ille sacerdotis, « is militis manu, sed sane ad nutum sacerdotis et « iussum imperatoris ».

Cum autem Petrus in horto evaginasset gladium et abscidisset auriculam servi summi Pontificis, dixit ei Dominus: « Converte gladium tuum in locum suum ». Subdit autem s. Bernardus: « Quem (gladium materia- « lem) tamen qui tuum negat, non satis mihi videtur « attendere verbum Domini dicentis sic: converte gla-

« dium tuum in vaginam. Tuus ergo et ipse; tuo forsi-
« tan nutu, etsi non tua manu evaginandus. Alioquin
« si nullo modo ad te pertineret et is, dicentibus Apo-
« stolis: Ecce gladii duo hic; non respondisset Dominus
« satis est, sed nimis est ».

Et ante s. Bernardum, Gauffridus abbas Vendoneensis adhibuerat hoc exemplum duplicis gladii. Et in introitu iuris provincialis alemannici apud Schiterum Ioannem vol. 2. thesauri rerum teutonicarum, legitur:

« 21. Quoniam Deus nominatur princeps pacis, hinc
« cum ad coelos adscenderet, reliquit duos enses in
« his terris ad tutelam christianitatis; hos ambos com-
« misit sancto Petro; unum propter iudicium saeculare,
« alterum propter iudicium ecclesiasticum.

« 22. Ensem iudicii saecularis concedit Papa Im-
« peratori.

« 23. Ensis ecclesiasticus Papae ipsi est concessus
« ut debito tempore iudicem sedens super equum can-
« didum, et Imperator debet Papae stapiam tenere ne
« ephippium loco moveatur.

« 24. Hoc ipso indicatur quod omnem eum, quicum-
« que Papae resistit, quemque ipse iudicio ecclesiastico
« cogere non valet, ad obediendum debet Imperator et
« alii saeculares principes et iudices cogere per pro-
« scriptionem ».

Haec argumentandi ratio theologis nostris certe placere non potest; etenim post exortum protestantismum necesse fuit insistere in sensu litterali sacrae Scripturae vel in mystico iis rarioribus in casibus in quibus de eodem certo constat; etenim sensus hi sunt qui nobis manifestant mentem Spiritus Sancti; e contra sensus accommodatus iam supponit aliunde cognitam veritatem; est igitur utilis pro credente, cum sit declaratio et exemplificatio quaedam, sed non polemice.

Tamen nobis manifestant hae Patrum interpretationes sensum Ecclesiae.

343. Hoc posito quid si miles et imperator non obediant nutui sacerdotis in usu gladii temporalis? amittitne Ecclesia suum finem, utpote quae nequit habere medium ad eum necessarium? Societates mere humanae cum carent mediis humanis, necesse est pereant; nec enim habent alia media; hinc si exercitus rebellet regi, rex amittit regnum; sed Ecclesia est societas supernaturalis, divinas habens promissiones portas inferi adversus eam non praevalituras; procedit igitur duobus generibus mediorum, humanis et divinis; ius habet ad praesidia humana, quia id fert ipsa rei natura, seu natura societatis humanae perfectae, et id imperat divini Fundatoris voluntas; sed habet quoque pro se virtutem divinam, quae et mediis humanis tribuit eam efficaciam quam de se non haberent, ex. gr. infallibilitatem in interpretanda sacra Scriptura, et insuper supplent defectum mediorum naturalium, sive haec deficiant ex impotentia sive ex hominum malitia. Igitur si principes Ecclesiam non adiuvant, plus adiuvabit Deus.

344. Quid igitur? Negligendane sunt praesidia humana ob securitatem auxilii divini? Minime sane; etenim 1° id esset contra voluntatem Dei, qui, ut ait Concilium Tridentinum, iubet et facere quod possis, et petere quod non possis. Est enim contra Dei sapientiam negligi media naturalia; igitur esset tentare Deum. 2° Etsi ex neglectu mediorum humanorum Ecclesia non pereat, imo Deus ex malo eruat bonum, ut omnia cooperentur in bonum eorum qui secundum propositum vocati sunt sancti, pereunt tamen multi, qui ex infirmitate cadunt, quique adiuti mediis humanis non cecidissent, sed propositum sanctitatis servas-

sent vel recuperassent. Ergo charitas erga proximos et etiam erga nosmetipsos vult ut media humana non negligamus etsi spem nostram firmissime in Deo collocemus.

§ 2.

DE IURE ECCLESIAE DEVOLUTIVO, ARMA TRACTANDI AD DEFENSIONEM PLEBIS CHRISTIANAE.

345. Diximus Ecclesiam arma per se non tractare sed brachium saecularis principis invocare, qui ministerium suum Ecclesiae exhibere tenetur. Verum id est in statu normali societatis. Quid si non adsit auctoritas civilis, vel, quod in facto idem est, sit impotens, aut Ecclesiae adversetur? Omissa in praesenti hac ultima quaestione, de qua cum de imperantium depositione, videamus primam et dicimus tunc ius armatae defensionis exerceri ab Ecclesia per seipsam, tum adversus externos hostes tum adversus internos; etenim plebs christiana constituit societatem humanam in qua est ius defensionis; exercere enim iura defensionis populi, spectat per se ad auctoritatem civilem, sed si haec non adsit, ut in statu anarchiae, vel inefficax, ut in dissolutione imperii romani, cum constantinopolitani imperatores partim ex negligentia, partim ex impotentia, non defendebant populos occidentis a barbarorum invasionibus, tunc populus seu societas fit sui iuris, saltem pro eo momento, et ius habet tractandi arma pro sua defensione.

346. Nec dicatur ius arma tractandi proprium esse societatis perfectae; sed talis non esset pars imperii quae ex principis distantia non posset ab eo defendi. Etenim 1° semper staret hoc ius si imperium seu auctoritas civilis universaliter deficeret, ut in statu anar-

chiae vel cum principes nihil possunt (ut ultimi reges primae stirpis Francorum).

2° Singulae provinciae sunt societates imperfectae quatenus stant in toto, seu quatenus partes maioris societatis; sed si haec dissolvatur, recuperant suam libertatem, quam per synthesim socialem amiserant. (Naturaliter enim prius formantur parva regna vel respublicae quae ad invicem sunt independentes, sed deinde uniuntur ut partes in societatem maiorem, et sic amittunt suam independentiam). Igitur sicut cum sunt partes maioris societatis arma tractant dependenter a suprema actoritate, ita hac deficiente, ea tractant independenter.

3° Singulae provinciae seu secietates minores eatenus non habent ius liberum armorum, quatenus suprema auctoritas valet eas defendere; sed si id non possit, sibi consulunt, tum ex praesumpto consensu supremae auctoritatis, tum iure naturae; etenim sicut individuo ius est armatae defensionis in actu aggressionis, quia nequit succurri a societate, ita et societatibus minoribus, cum ius habeant ad sui tuitionem.

347. Hoc posito societates minores quae deficiente auctoritate suprema, ius habent se defendendi et sibi consulendi, sibi consulunt cum ea sociali organizatione quam actu habent, quia haec exprimit socialem formam actualem. Si igitur sint auctoritates civiles minores, ex. gr. Duces vel Comites, et hae sociale regimen exerceant in defectu superioris, iure suo utuntur; si nullae sint vel inefficaces, tunc Ecclesiae auctoritates, idest Episcopi, nomine plebis christianae, gubernacula, saltem provisorie, suscipiunt societatis, et sic eius nomine et arma tractant. Plebs enim christiana, ex eo quod est christiana, non amittit ius suae defensionis, quae unicuique convenit societati.

348. Igitur devolutivo iure potest Ecclesia arma tractare. Ius enim devolutivum est, quod per se ad alium spectaret, sed eo negligente vel impotente, transit ad alium cuius interest, si aliunde capax est. Iamvero Ecclesia non est, nisi prius sit societas hominum; etenim non adsunt christiani, neque conservantur nisi prius adsint et conserventur homines. Ius defendendi et conservandi homines per se est auctoritatis civilis, sed interest et Ecclesiae; igitur illa providente, Ecclesia sese non immiscet, sed hac deficiente, supplet iure suo. Est autem societas spiritualis et supernaturalis, capax iurium temporalium, etsi non viceversa.

349. Item Ecclesiae ius est habendi vim armatam pro compescendis internis hostibus et pro coactiva executione legum suarum. Per se vis armata est principis, hinc Ecclesia eam tantum mediate possidet; sed deficiente principe, Ecclesia sibi providet. Tota enim ratio ob quam uti debet principe, est ne perturbatio habeatur ex coëxistentia duplicis vis armatae, sed in hypothesi deficit vis principis, et aliunde Ecclesiae interest de sui tuitione; ergo directe et immediate supplet per vires plebis christianae carentis principe seu gubernio.

350. Ecclesia autem semper potest unumquemque monere de suo officio, et ad illud adimplendum excitare; hinc et plebem christianam ad se defendendam, cum praesertim ii imminent hostes qui reipublicae non modo (idest formae determinatae gubernii), sed humanitatis et Ecclesiae hostes sunt, ut barbari, Mahometani, haeretici quatenus tales.

351. Iamvero hoc ius devolutivum est quod non semel exercuerunt Episcopi medio aevo, et quod Ecclesia in paritate circumstantiarum adhuc exerceret. Et nota

iuri Ecclesiae tunc semper de facto accedere populi consensum, cum populus libenter suscipiat qui ipsius curam in periculis agunt; ideoque tunc in Ecclesia coniungitur ius suum et ius humanum, ut cum summi Pontifices urbis defensionem et curam susceperunt, ex quo ipsius dominium temporalem acquisiverunt.

CAPUT III.

DE RELATIONIBUS IURIDICIS ECCLESIAE ET SOCIETATIS CIVILIS.

352. Duae tantum sunt societates perfectae si naturam attendamus, non numerum individualem, idest ecclesiastica et civilis. Etenim perfectio societatis oritur ex eo quod tendat ad bonum in suo ordine completum; tunc enim tendit ad finem qui nec est pars finis in eodem ordine amplioris, nec medium natura sua proportionatum pro alterius finis consecutione. Iamvero haec bona sunt duo, idest felicitas aeterna et felicitas temporalis, quae sunt in suo ordine independentia. Felicitas temporalis complectitur omnia bona praesentia naturalia, seu vitae, libertatis et honoris conservationem atque perfectionem, ideoque divitiarum, artium et scientiarum comparationem; haec bona separatim non faciunt vitam tranquillam; igitur sunt pars finis in eodem ordine amplioris; quaedam autem sunt media proportionata pro alio bono; ita divitiae habent rationem medii pro vitae conservatione et evolutione nostrarum facultatum.

353. Igitur omnes reliquae societates sunt partes aut Ecclesiae aut Status civilis, et in his continentur quia

tendunt ad fines partiales, vel si tendunt ad finem totalem, tendunt ad eum modo sibi speciali, pro ceteris non obligatorio, et hoc sub respectu constituunt specialem societatem quae est pars maioris; ita ordines religiosi tendunt ad sanctitatem quae est finis proximus Ecclesiae, sed ad eam tendunt gradu speciali, ideoque distinguuntur hoc sub respectu ab Ecclesia considerata in communi, et sunt partes eius, quia finis communis est ipse finis Ecclesiae, et modus specialis quo ad eum tendunt est modificatio seu perfectio finis eiusdem, ad quam cetera membra Ecclesiae non tenentur.

354. Societates minores comparatae ad suas maiores et viceversa dicuntur *homogeneae;* comparatae ad alias sub quibus non continentur ratione finis proximi et proprii dicuntur *heterogeneae.*

355. Ex his facile duo dimanant: I. Ecclesiam respectu societatum sibi homogenearum esse eis superiorem; est enim societas perfecta et independens, comparata cum suis membris et dependentibus partibus.

II. Ad societatem maiorem heterogeneam referri societates minores heterogeneas, mediante sua societate maiore, ideoque erga Ecclesiam habere societates minores heterogeneas, ex. gr. commercialem, eam dependentiam quam habet ipsa societas civilis cuius sunt partes. Hinc tota quaestio est de relatione Ecclesiae erga civilem societatem, an nempe sit maior, minor, vel aequalis. Iamvero certe est maior, etenim maioritas vel aequalitas pendet a fine; sed finis Ecclesiae nec est minor nec aequalis fini societatis civilis sed maior. Videndum autem est quatruplici modo possit haberi primatus unius societatis erga alteram.

356. Triplex hypothesis fingi potest; 1° societatem maiorem non esse quidem afficiendam iniuriis a societate minori, sed nullam in eam exercere posse

auctoritatem; 2° societatem maiorem directe et absolute gubernare minorem in ordine ad finem ipsius minoris assequendum; 3° tantum indirecte et per accidens societatem maiorem dirigere inferiorem quatenus id exigat ratio finis societatis maioris qui tamen non producitur a fine societatis minoris ut a medio necessario et proportionato.

Iamvero 1ª hypothesis citra positivam Dei ordinationem admitti nequit; etenim finis societatis minoris vel directe vel indirecte referri debet ad finem societatis maioris, cum sit hierarchia inter fines, et omnes subordinentur fini ultimo. Ergo existit 2ª vel 3ª hypothesis ex ipsa rei natura, nisi Deus aliter disponat; praescindimus ab inquirendo an 1ª ex Dei voluntate positiva locum possit habere cum Deus rerum naturae non opponatur, sed eam perficiat.

357. Iamvero 2ª hypothesis exhibet relationem quae est inter societatem maiorem seu perfectam, et minorem seu imperfectam in eodem genere. Ius enim directe et immediate gubernandi societatem minorem in ordine ad eius finem, exurgere potest in maiore ex eo tantum quod hic finis sit medium de se proportionatum et necessarium pro fine societatis maioris.

3ª autem hypothesis est inter societates heterogeneas, etiam si sint ambae perfectae in genere suo. Etenim cum una curat finem altiorem et praecise finem ultimum, necesse est altera ei indirecte et per accidens subordinetur.

358. Etsi duae tantum sint societates perfectae, Ecclesia et Status civilis, tamen nonnullae aliae sunt societates religiosae, quae indebite sibi vindicant existentiam, et iura sibi asserunt religiosae societatis. Igitur quaerere possumus I. relationes inter legittimam societatem religiosam, seu Ecclesiam et Statum civilem;

II. relationes Ecclesiae cum illegittimis societatibus religiosis; III. relationes Status civilis catholici cum iisdem illegittimis societatibus religiosis; quae quaestio utilis est non modo ut appareant differentiae inter legittimam et illegittimas societates religiosas, sed et maxime ut expositio officiorum status quoad ius publicum religiosum compleatur.

In praesenti capite agimus de prima quaestione, determinatis prius iuridica origine et fine societatis civilis.

ARTICULUS I.

De iuridica necessitate societatis civilis.

359. Hanc quaestionem praemittimus, cum necessaria sit ad pandendam naturam et finem societatis civilis; quibus cognitis, comparatio cum Ecclesia recte instituitur.

Argumenta quae ostendunt iuridicam necessitatem societatis civilis afferuntur in iure publico naturali, et sunt illa eadem ulterius producta quae in ethica adducuntur ad probandam necessitatem societatis humanae in genere; ea enim argumenta plenius evoluta ostendunt necessitatem, non cuiuscumque humanae societatis, sed civilis, idest iuridicae et perfectae pro felicitate temporali assequenda. Ea vix innuimus, idest in memoriam revocamus.

Propositio. — *Societas civilis est naturaliter necessaria.*

360. Cum asserimus naturam praeceptive ordinare hominem ad societatem et quidem civilem, non ad singulos extendimus rigorosum praeceptum, sed necessitatem naturae et finem ab ea intentum pro humana

specie seu familia affirmamus. Hoc posito demonstratio constat his gradibus: 1° ut homo ad finem a natura in praesenti vita intentum tendat, requiritur hominum adsociata multitudo; 2° haec societas oportet sit iuridica et 3° perfecta.

Ad 1^um^; homo individuus, vel etiam singularis familia per se loquendo, idest attendendo quod communiter contingit, est incapax conservandi suam vitam physicam, seseque evolvendi.

Prob. I. *ex iurium moderamine et tuitione;* in statu enim extra-sociali 1° deficeret iudex qui agnoscendus esset a litigantibus; ergo unusquisque ius suum per se prosequeretur et vindicaret; sed hominibus multiplicatis, et multiplicatis relationibus reciprocis, quaestiones inter homines essent frequentissimae, ut factum quotidianum ostendit, etsi nunc timor iudicis eas minuat; iamvero concesso singulis iure prosequendi iudicio suo ius suum, continua essent iurgia et bella inter homines, cum unusquisque rapiatur nimio amore utilitatis suae, ut factum pariter quotidianum ostendit, adeo ut et viri iusti saepe iu causa propria decipiantur; ex quo factum est ut adagium *nemo iudex in causa propria* et hunc sensum habuerit vulgo, neminem recte iudicare in causa sua. Igitur vel lites numquam finirentur, vel violentias continuas inducerent.

2° Non satis defenderetur vir honestus a latrone, cum hic continuo illi insidias pararet; esset autem nimis trepida hominum vita, si singuli deberent invigilare et cavere per se ab iniquis; hinc necessitas continuae vigilantiae quae nimis impediret a reliquis vitae negotiis; e contra facta plurium adsociatione, id tolerabile evadit. Sed insuper plurium unio cito fieret necessaria; quia mali viri certissime foedus inter se inirent; hinc necessitas pro honestis ampliorem socie-

tatem ineundi ut vis unita sit fortior, et vis plurium vi plurimorum repellatur. Ergo moderatio et tuitio iurium certissime exigit multorum hominum adsociationem. Haec necessitas non modo est physica sed moralis; etenim natura praecipit tranquillitatem humanae familiae et eius conservationem; sed in hypothesi status extra-socialis, utrumque deficeret; tranquillitas ob continua bella; hinc et conservatio, cum multi succumberent; et multo magis si societati impiorum non opponeretur societas honestorum. Ergo haec necessitas societatis pro moderamine et tuitione iurium est necessitas ordinis moralis.

361. Sed societas est necessaria et pro aliis finibus a natura intentis.

Et 1° *pro conservatione vitae*: ex quo desumimus II. argumentum. Etenim ut vitam conservemus, non sufficit nos defendere a perversis hominibus, sed insuper necessaria est defensio ab aliis hostibus (quae est pars negativa), et plurium mediorum procuratio (quae est pars positiva). Sunt enim 1° alii hostes, idest bestiae terrae et inclementia physicae naturae; iamvero in regione ex hypothesi ab humana societate non adhuc exculta, ubi vagantur familiae disiunctae, hae difficultates non mediocres sunt, ut experientia ostendit iis omnibus qui inexploratas et desertas regiones ingrediuntur, quique adiguntur ad societatem cum aliis pluribus ineundam.

2° Multa sunt necessaria *positive*, ut cum sufficienti securitate de futuro, provideamus nobis quae ad vitam sustentandam necessaria sunt; ut a morbis sanemur, ut vestes, domus et alia nobis procuremus; et multiplicato genere humano, iam non sufficit ars venatoria, piscatoria aut pastoralis, quae sunt initia artium et primi modi rudes vitae traducendae, sed agrorum cul-

tura necessaria est. Constat enim et sensui communi evidens est, nomades familias quae supracitatis artibus vivunt, occupare territorium quod excultum multo pluribus sufficit; loquimur ut evidens est de pastoritia quae agros non excolit, sed consumat quae natura sponte producit. Ergo multiplicatio generis humani importat cessationem illarum artium et agrorum culturam. Sed haec agrorum cultura multa instrumenta requirit; hinc multas artes; hinc concursum plurium hominum, cum impossibile sit singulos singula praestare efficaciter posse; praesertim cum operae grandioris momenti sint aliquando suscipiendae, ut fluminum alveatio et coercitio, paludum exsiccatio etc. Sed artes sine scientiis physicis, chimicis, mathematicis non proficiunt; ergo non modo agricultores et artifices sed et scientifici viri sunt necessarii, quibus ex argumento praecedenti iudices et milites addendi sunt; (etsi enim omnes, milites essent pro opportunitate, aliqui tamen qui ex officio in id invigilarent semper essent ex necessitate deputandi). Proinde plures homines requiruntur adsociati, idest in communem utilitatem conspirantes, mutuis relationibus et adiutoriis, sicut in uno corpore multa membra sunt, quae non eumdem actum habent, sed mutuo se adiuvant et perficiunt. Igitur pro vitae conservatione regulariter procuranda, necessaria est societas. Sed conservatio vitae est iure naturae praecepta; ergo et media quae regulariter sunt necessaria. Ergo et societas; igitur societas necessaria est moraliter tum pro iurium moderamine et tutela, tum pro vitae conservatione, praescindendo ab hominum malitia.

362. Ulterius natura vult conservationem et propagationem generis humani, iuxta praeceptum Geneseos: *multiplicamini*, *replete terram et subiicite eam*. Sed

multiplicatio difficulter haberetur et limitate absque societate; ergo societas non modo pro individuali conservatione sed multo magis pro conservatione et etiam physica evolutione humanae familiae necessaria est. Tenetur autem humana familia procurare finem a natura intentum, ideoque eum statum amplecti qui eidem respondeat.

363. Confirmatur hoc argumentum ex facto populorum barbarorum seu silvestrium; apud hos enim quaedam societas est; sed quia valde imperfecta de facto, innumeris malis subiiciuntur, et apud ipsos vita valde brevior quam apud nos; cum autem in conflictum veniunt cum populis excultis, ipsorum numerus continuo decrescit. Quid igitur si nulla societas esset? Quanto maioribus premerentur malis et quam rarius et difficilius conservarentur! Imo brevi tempore omnes familiae perirent.

364. III. argumentum est ex necessitate societatis *pro evolutione mentis.* Mens humana ut evolvatur et perficiatur indiget institutione; etsi enim erraverint traditionalistae qui quemcumque evolutionis gradum menti nostrae negaverunt absque sociali institutione, certum tamen est eam parum proficere si sibi relinquatur; imo neque quaecumque institutio socialis sufficit, sed perennis requiritur ut multum proficere valeat. Etenim neque sufficiunt unius aetatis studia sed superiorum temporum patrimonium servandum est atque augendum, ac tantum multorum hominum multarumque aetatum collatis studiis artes scientiaeque progredi valent. Igitur socialis hominum communicatio requiritur, ut ipsae cognitiones augeantur; sed etiam societatis necessaria est opera, quia artes scientiaeque evolvi nequeunt, nisi quis ex professo his attendat; iamvero id supponit aliunde parata esse quae vitae

traducendae sunt necessaria; sed id extra societatem multorum impossibile est; singulae enim familiae vix sufficerent quotidianis sibi parandis. Ergo multorum hominum unio necessaria est ad mentis perfectionem, sive directe ratione ipsius scientificae aut artisticae institutionis, sive indirecte ratione temporalium quae supponuntur.

Iamvero etsi ulterior mentis evolutio non sit lege morali praecepta singulis individuis, tamen oportet humana familia versetur in eo statu in quo sit moraliter possibilis. Etenim absurdum est Deum vires concessisse humanae naturae quae ordinatae non sint ad suam proportionatam evolutionem. Atqui tantum socialis status est ad id idoneus. Ergo ad eum ordinata est humana familia, ne frustra vires suas recepisse dicatur.

365. IV. argumentum, *ex voluntatis natura*. Si interest mentem perficere cognitionibus, multo magis voluntatem recta morali institutione; imo illud necessarium est tantum humanae familiae, non singulis; etenim ex cognitione praecellenti qua quidam gaudent et ceteri utilitatem capiunt, cum eos sive auctoritate sua dirigant, sive adiuvent operibus artis suae; sed recta institutio voluntatis singulis necessaria est. Ad eam iuvat socialis conversatio, ob laudes ac vituperia quae virtuti et vitio tribuuntur. Sed insuper est necessaria socialis coërcitio pro iis qui durioris sunt indolis; hi enim non satis corriguntur paterna auctoritate, sed ulteriori indigent coërcitione, et cum sunt sui iuris, ut timore poenae publicae abstineant ab iis criminibus a quibus timore culpae et familiaris seu modicae reprehensionis non deterrentur. Ergo 4° necessaria est societas pro humanae voluntatis recta institutione. Id tradit s. Thomas 1. 2. q. 95. art. 1. « Quia inveniuntur

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

« quidam protervi et ad vitia proni, qui verbis de fa-
« cili moveri non possunt, necessarium fuit quod per
« vim et metum cohiberentur a malo, ut saltem sic
« male facere desistentes et aliis quietam vitam red-
« derent et ipsi tandem per huiusmodi assuetudinem
« ad hoc perducerentur quod voluntarie facerent quae
« prius metu implebant, et sic fierent virtuosi. Huius-
« modi autem disciplina cogens metu poenae est di-
« sciplina legum. Unde necessarium fuit ad pacem ho-
« minum et virtutem quod leges ponerentur etc. »
Igitur ex quatuor capitibus societas multorum apparet necessaria moraliter.

366. Demonstrandum est 2° hanc societatem esse *iuridicam* et non mere amicalem; etenim 1° pro moderamine iurium si non esset iuridica, non obligaret ad sententias iudiciales societatis servandas; ideoque et instituta societate haberentur ex singulorum iuridica libertate ea inconvenientia ad quae vitanda instituta est societas. Item pro voluntatis institutione, quia ex dictis oportet sit coactiva, quod proprium est societatis iuridicae, et non mere amicalis. Sed et pro reliquis finibus necesse est sit societas iuridica, idest pro iurium tuitione, vitae conservatione et mentis evolutione. Etenim hominum multitudo in tanta iudiciorum, affectuum, desideriorum varietate et oppositione nequit ordinate consistere, nisi iuris vinculo sint adligati, et nisi auctoritas aliqua praesideat, quae iure polleat ordinem imponendi multitudini, illumque servandi etiam coactive; quae proinde potestate legifera, iudiciali et coactiva armata sit. Igitur cum officium tendendi ad ulteriorem perfectionem evolvendo vires a Deo acceptas, afficiat humanam familiam et non singulos etiam societate congregatos, et insuper in societate tantum haec evolutio possit procurari, necesse est ipsa

societas curet communi nomine possibilem et facilem reddere congregatis hanc perfectionem, si non inveniantur qui sponte huic fini attendant. Id profecto ius quoddam in societate importat, cum respondeat sociali officio, cui a societate satisfaciendum est. Homo ergo ordinatur a natura ad iuridicam cum aliis multis ineundam societatem.

367. 3° Haec societas est *perfecta*, idest independens in suo ordine et sibi sufficiens; etenim ea societas est independens quae non est pars alterius; iamvero societas de qua est sermo vel esse debet unica pro omnibus recensitis finibus (ut ostendemus vere esse debere), vel multiplex. Si 1um non est pars alterius, quia est unica societas iuridice et naturaliter necessaria, hinc est et sibi sufficiens cum provideat sufficienter ordini praesentis vitae; si 2um, idest si supponamus unam societatem institui pro 1° fine, aliam pro 2° etc., tunc vel hi fines supponuntur ad invicem independentes et sibi sufficientes, vel non; si 1um singulae societates erunt perfectae; si 2um erunt partes illius quae fini praedominanti consulit cuius respectu ceteri fines habent rationem medii; vel si fines sint tot partes finis amplioris, unica erit societas admittenda quae omnibus his finibus providet.

368. Iamvero ita se res habet, idest hominum multitudo indiget omnibus his finibus qui nequeunt separatim sufficienter procurari; etenim conservatio vitae, quae est praecipuus finis, importat tum iurium securitatem, tum mentis evolutionem, tum voluntatis; item iurium securitas non habetur nisi scientia succurrat, ac recta voluntas praesto sit; item mentis perfectio non potest procurari nisi et vita conservetur et iura sint secura, ac proinde et voluntas sociorum recte instituta; item hic ultimus finis non est perfectus, nisi

et iura secura sint. Igitur hi fines separatim inspecti, non sunt perfecti in genere suo nec sibi sufficientes, sed adiuvantur a reliquis vel ut a mediis, vel ut a partibus amplioris finis qui est *temporalis felicitas*.

Ergo cum unicus sit hic finis complexivus ad quem praeceptive ordinatur humana natura, cumque hic finis sit in suo ordine completus, unica est naturalis societas a natura praescripta pro praesenti felicitate, quae et sibi sufficiens in suo ordine est et independens, seu *perfecta est societas*, quam *civilem* dicimus.

369. Contra praedictorum veritatem quaedam obiecta sunt, omnino levia, quae proinde tantum in aestu passionum proponi potuerunt, cum praesertim saeculo superiori, societatis destructionem moliebantur; ergo in his exponendis non immoramur. Maiora enim in eo consistebant quod vel aliqui homines satis sibi consulere possent extra societatem, vel quod societas plurium malorum sit fons.

Sed 1^{um} respicit ad summum paucissimos homines, qui extra societatem consulere potuerunt vitae praesertim physicae, non autem intellectuali, ut et in silvestris tribubus videre est, quamvis aliqualem societatem habeant. Si autem de hominum multitudine sermo sit, profecto extra societatem nec vitae physicae satis sibi consulerent. Iamvero nos loquimur de eo quod communiter fit, quodque afficit humanam familiam, non autem de eo quod exceptionaliter de paucis obtinere potest, et quidem imperfecte.

Quoad 2^{um}, nempe societatem causam esse plurium malorum, ex. gr. ambitionis, invidiae, calumniarum etc. dicimus haec esse per accidens, dum eius utilitas est per se; etenim bona producit natura sua, et ad eadem producenda ordinatur, mala autem ex hominum malitia; ideoque illa sunt ex necessitate et natura, haec

ex libertate et contingenti vitio. Sed vitium per accidens, non est ratio reiiciendi quod est per se bonum, et multo magis si necessarium.

ARTICULUS II.

De fine societatis civilis.

370. Ex expositis apparet quinam sit finis proximus et proprius societatis civilis. Omittimus recensionem opinionum multarum quae in hac re fuerunt, quae errabant defectu quatenus unum aut alium tantum finem considerabant ob quos societas civilis instituitur, non autem integre; hinc omissa demonstratione negativa, quae in erroris confutatione consistit, insistimus in demonstratione positiva, quae directe proponit veram sententiam, quamque ex allatis argumentis pro necessitate civilis societatis eruimus. Vidimus enim hanc societatem necessariam esse 1° ad moderandas externas iuridicas relationes individuorum et familiarum atque ad iura defendenda et violata reparanda; 2° ad supplendam insufficientiam individui et familiae; individuus enim nascitur et crescit in familia, quae est prior societas naturaliter necessaria non modo iuridice sed de facto. Si familia esset sufficiens curandae hominum felicitati, societas civilis non esset iuridice et naturaliter necessaria; cum sit ex dictis insufficiens, societas civilis est necessaria, et constat multis familiis; vult igitur supplere individuorum et familiarum insufficientiae, atque insufficientiae amicalis unionis inter plures familias, tum pro iurium moderamine et tuitione, tum pro conservatione et perfectione humanae familiae; igitur vult defendere ad invicem individuos et familias, eosque easque adiuvare; hinc curat relationes reciprocas individuorum et familiarum, ipso-

rum ipsarumque bonum temporale commune; curat enim universum bonum temporale, idest praesentis vitae, cum curet conservationem vitae, eiusque perfectionem per mentis evolutionem et rectam voluntatis institutionem, et defensionem iurium quae in eodem temporali ordine habentur.

371. Dicitur autem curare *bonum commune*, quia societas unitur pro mutua utilitate, ideoque pro bono quod saltem mediate aut specifice est omnium; mediate, si refluat in omnes, ut scientiarum cultura; specifice, si idem omnibus immediate competat; ex. gr. vita mea, numerice est mea, sed in reliquis est idem bonum specifice, ideoque societas defendendo vitam meam, defendit bonum commune, quia eo titulo eam defendit quo et vitam ceterorum.

Igitur defendit ius singulorum a ceteris, et singulorum adiuvat insufficientiam, ea subministrando quae ordo privatus attingere non valet.

372. Hinc non tenetur *ex iustitia* supplere defectui omnino personali, qui de cetero per se posset viribus privatis vitari; etenim tunc non est bonum commune, idest quo et ceteri indigeant, et pro quo proinde inita sit societas, sed est res quae remanet ordinis privati; extraordinariis tamen calamitatibus magnam populi partèm afficientibus occurrere, ad Status civilis officium ex suo fine spectat, cum hi eventus afficiant ipsam societatem, et eis remedium afferre, ad ipsius societatis bonum et conservationem pertineat; hinc et ad medendum his malis, a natura ordinata est societas, cum eis reparandis insufficiens sit per se et individuus et familia.

373. Ceterum in hac materia caute procedendum est, ne iaciamus principia nimis lata; si enim id favere videtur charitati ut societas multum succurrat indi-

gentibus, favet etiam socialismo et communismo, quae systemata abolent privatam societatem, et ordinem individualem ac familiarum, et voluntariarum consociationum, ut omnia dent publicae societati, quae sicut tunc providet directe omnibus indigentiis, ita directe de omnibus iuribus disponit.

Igitur haec systemata perniciosissima peccant excessu, quia supponunt societatem institutam non ad defendendum ordinem externum reciprocum, et ad supplendam insufficientiam ordinis privati, sed ad consulendum ipsis personis et familiis directe, ideoque ad substituendam sollicitudinem, activitatem et competentiam privatam.

374. Hinc etiam apparet aliud esse laedere bonum aliorum, aliud bonum suum; illud est delictum; hoc erit peccatum, nisi saltem indirecte et notabiliter noceat societati. Ad exprimendum proinde societatem civilem sibi pro fine proponere bonum temporale totius hominis quatenus supplet insufficientiam individuorum et familiarum in iis ad quae de se sunt insufficientes, dicitur eam sibi proponere bonum temporale commune totius hominis.

375. Ex expositis illud sedulo animadvertendum est, societatem civilem finem habere longe excellentiorem ac singuli homines et singulae familiae. Individuus enim cum tendat ad sui conservationem et perfectionem, continetur limitibus vitae suae; insuper non tenetur omnimodam procurare perfectionem et evolutionem suarum virium, sed tantum aliqualem, quae communiter valde arctis continetur limitibus; consulit igitur vitae, physicae personae. Familia aliquanto plus extenditur; sed quamvis familia perpetuetur in descendentibus, sicut ipsi genitores aliquo modo perseverant in filiis suis, tamen familia sufficit provideat bono

praesentium membrorum, quae sunt physicae personae; nec enim tenetur perseverare, quia singuli non tenentur ad matrimonium; igitur cum non teneantur habere descendentes, neque tenetur familia eis consulere absolute loquendo, sed solum ex hypothesi secuti matrimonii. Sed cum descendentes possint semper a matrimonio contrahendo abstinere, familia non est rigorose persona moralis perpetua, quamvis tendat regulariter ad perpetuitatem. Est igitur semper societas valde limitata et imperfecta. Sed praeceptum matrimonii quod non adest pro individuis singulis, adest in solidum pro humana familia; hinc in hominum multitudine curandum est; et proinde perpetuitas quae non est propria individuorum, neque exigitur rigorose a familia, exigitur ab ea societate quae curat multitudinem hominum; hinc societas civilis curat bonum *personae moralis perpetuae;* etsi enim formae gubernii mutentur et sic dicatur cessasse determinata respublica, tamen materia seu cives iidem perseverant (nisi casu omnino extraordinario omnes gladio vel peste occisi sint); et proinde cessatio unius reipublicae est regulariter generatio alterius, vel incorporatio minoris in maiorem.

376. Igitur societas civilis plenissime curat bonum *ipsius naturae,* eiusque finem in condenda humana familia pro praesenti vita adaequate prosequitur; ergo eius finis extenditur ultra limites vitae individualis et familiarum praesentium; hinc plura praestat iure quae praesentibus non sunt utilia sed erunt futuris; ex quo et privati tenentur aliquando vitae ipsius iacturam pati, ut consulant bono huius personae moralis perpetuae. E contra privati inter se, tantum ex charitate tenentur aliquando vitae sacrificium sustinere pro aliis, et tantum per accidens tenentur aliquando

ex iustitia seu ex pacto speciali, ut si quis custodes sui erga latrones expresso pacto et dato pretio conducat, qui tamen non dant vitam obediendo praecepto eius qui eos duxit ut superiori, sed ut aequales qui servant pactum a se libere susceptum et a se interpretatum (nisi adsit iudex superior).

E contra in societate civili quis tenetur bona sua, et ipsam vitam amittere, non ex pacto speciali, sed ex ipsa rei natura, quamvis inierit societatem praesertim pro conservatione suae vitae. Init enim pro conservatione suae vitae si attendamus finem individuo propositum, ratione ipsius individui, sed si plene attendamus finem a natura intentum, haec impellit singulos individuos homines non tam ad ineundam societatem pro bono suo individuali, quam pro bono naturae seu familiae ipsius humanae, quae bene se habere non posset nec respondere fini ab ipsa natura intento, nisi homines devincerentur societate civili.

Igitur societas civilis quia inservit naturae et non singulis, proponit sibi bonum excellentius bono singulorum, ideoque eius ius est praevalens, et bonum publicum non est adaequate ipsum bonum singulorum sociorum etiam collective consideratorum. Igitur etsi aliquando per accidens individuus melius se haberet extra societatem quam in societate, tamen recte agit vivendo et tunc in societate, quia detrimento suo curat bonum non modo multorum hominum (et rationabiliter quis sacrificat se pro aequali bono aliorum, nisi specialia officia id prohibeant), sed praesertim quia consulit bono *humanae familiae*, quae a natura intenditur plus quam singuli individui eam constituentes etiam collective sumpti; sic enim sunt semper personae physicae etsi multae, dum quatenus considerantur ut adsociati societate civili, constituunt personam perpe-

tuam, quae sola plene satisfacit finibus a natura intentis cum et familiam humanam conservet et possibilem faciat evolutionem virium eius ut in tertio praesertim argumento demonstravimus. Igitur cum dicitur societatem civilem sibi proponere bonum commune totius hominis, intelligitur ipsius etiam societatis ut est persona perpetua, non modo omnium sociorum.

377. Sed ulterius quaelibet societas prosequitur finem suum mediis quae sint proportionata naturae sociorum et quae esse possint in dominio ipsius societatis; huiusmodi autem sunt media externa, ideoque finis societatis civilis est *bonum totius hominis temporale commune per externa media assequendum.*

378. Ex expositis circa finem societatis civilis possunt deduci et eius proprietates, eam esse non modo societatem naturalem necessariam, iuridicam, perfectam et perpetuam ut demonstravimus, sed etiam organicam et proinde inaequalem, cum conservet familias habentes scopum sibi proprium et auctoritatem, quamvis subordinatam societati civili; familia autem est essentialiter societas inaequalis; ergo et civilis societas quae ex eis constat, ut alias demonstravimus.

379. Statuto finem societatis civilis esse temporalem felicitatem eo sensu quo explicavimus, animadversio facienda est circa ipsam procurationem felicitatis praesentis. Quidam enim erraverunt docentes societatem civilem unice intendere felicitati praesenti, nullo habito respectu ad futuram; hinc bona praesentia procurare 1° praescindendo a vita futura, 2° etiam cum detrimento eorum quae ad eam referuntur. Id exprimunt dicendo legem oportere esse *laïcam*, quo nomine intendunt, praescindere debere a quavis consideratione religiosa, et futurae vitae; quod melius alii magis aperte exprimunt dicendo oportere esse *atheam*, quae

expressio cum plures offendat et populos alienos faciat, a magis cautis viris irreligiosis vitatur.

Verum haec falsissima sunt. Falsum est 2^um^ quia numquam licet cuiuscumque boni praesentis intuitu, in detrimentum spirituale incurrere; igitur felicitatis praesentis procuratio quae per se opponeretur futurae, esset inhonesta. Iamvero societas civilis est societas iuris vinculo adunata, et imperante natura seu Deo. Igitur ad contradicendum legi naturae et Dei non cogit; neque tunc vinculum iuris sed iniquitatis haberetur.

Hinc 1° societas civilis tenetur negative inservire felicitati futurae, et proinde ordini qui ad eam ducit, quatenus nempe numquam adversari debet huic ordini quem *spiritualem* dicemus, dum ordinem civilem appellabimus *temporalem*.

380. Sed falsum est et 1^um^, idest dummodo societas civilis non contradicat felicitati aeternae, de cetero necessarium non esse ullum ad ordinem spiritualem respectum habere, ideoque posse ab eo omnino praescindere. Id falsum est; etenim, ut animadvertit s. Thomas (1), oportet societas civilis tendat non ad felicitatem temporalem quamcumque, sed ad eam quae propria sit hominis; iamvero homo ita debet omnia operari ut non modo non adversetur fini ultimo, sed in quantum rei natura permittit, illius consecutionem procuret; tunc enim homo vere operatur ut homo seu ut ens rationale morale, cum opus suum accommodat fini ultimo. Ergo et procuratio felicitatis praesentis ex parte societatis dirigenda est fini ultimo, in necessariis ad eum consequendum, de praecepto, in ceteris de consilio.

381. Sed obiici posset, ex parte societatis sufficere ordinationem negativam, quatenus eius leges non con-

(1) De regimine principum, lib. I. cap. 14.

tradicant ordini spirituali; ordinationem autem positivam faciendam esse a singulis; ita in societate commerciali sufficit leges sociales non contradicant spiritualibus, sed non requiritur positive adiuvent finem spiritualem.

Verum differentia pendet ex finis diversitate; cum enim finis alicuius societatis est indifferens pro ordine spirituali, ut fit in societatibus commercialibus, industrialibus etc., sufficit eo modo procuretur qui non contradicat ordini spirituali, idest mediis honestis; e contra cum agitur de fine qui connectitur positive cum ordine spirituali, oportet non modo huic non opponatur, sed etiam positive illum in necessariis adiuvet. In necessariis enim omnia debent inservire fini ultimo. Ex. gr., nisi ratio studiorum publicorum positive ordinetur modo magis respondente fini ultimo ab ipsa societate, prout eius actualis conditio fert, non poterunt supplere privati. Ipsi enim addunt tantum applicationem institutionis socialis individualibus indigentiis, et insuper ordinationem subiectivam ex fine operantis, dum ordinatio obiectiva seu finis operis, procedere debet ab ipsa societate.

382. Item cum societas civilis sit opus naturae et Dei, certissime ordinatur ad felicitatem praesentem accommodatam consecutioni finis ultimi; Deus enim omnia dirigit et ordinat in finem ultimum.

Igitur duo apprime distinguenda sunt: *finem proprium et proximum societatis civilis esse felicitatem temporalem*; et: *hanc esse procurandam absque ullo positivo respectu ad futuram;* oportet enim vita praesens sit praeparatio ad futuram; et quamvis felicitas aeterna non causetur a felicitate temporali, et proinde felicitas temporalis non sit medium necessarium et proportionatum ad aeternam beatitudinem, tamen ad eam debet ordinari in quantum fieri potest. Si esset medium

proportionatum, tunc societas civilis tenderet directe et proxime ad finem ultimum; cum non sit tale, tendit tantum indirecte et remote, quod fit praedisponendo actus humanos per operationem societatis propriam ut non modo non adversentur bono spirituali, sed, in quantum fieri potest, illud adiuvent.

Igitur vita praesens temporalis, si consideretur obiective, ordinatur ad futuram beatitudinem indirecte, quia felicitas temporalis neque est medium necessarium neque proportionatum eidem assequendae; et sane salvantur et infirmi, pauperes, ignorantes; et e contra damnantur sani, divites, docti. Si autem singuli actus inspiciantur subiective in singulis individuis, tunc ordinandi sunt ad finem aeternum positive et directe eo modo quo theologi moralistae explicant.

383. Ordinatio autem indirecta boni temporalis ad vitam aeternam, importat principaliter remotionem eorum quae socialiter turbant ipsam religionem. Ut igitur definitionem compleamus dicendum est finem societatis civilis esse *bonum totius hominis temporale commune per externa media ratione ultimo eiusdem hominis fini apprime respondente consequendum.*

384. Ipse autem ordo moralis, seu probitas civium inspici potest duplici sub respectu; 1° quatenus connectitur cum tranquillitate sociali, ne sint furta, fraudes etc.; 2° quatenus ducit ad vitam aeternam. Sub 1° respectu est obiectum directum et proprium societatis civilis; sub 2° tantum indirecte. Religio autem refertur per se et directe ad felicitatem praesentem quatenus est fundamentum moralis obligationis.

385. Sed quaeritur cuius iudicio princeps, idest rector societatis civilis ordinabit vitam temporalem ad vitam aeternam. Regalistae respondent: haec princeps praestabit iudicio suo. Sed tunc princeps esset

etiam Pontifex, idest iudex competens et directus rei religiosae.

Iamvero oportet distinguere inter statum hominis naturalem et supernaturalem. An in statu naturali, idest revelatione non existente, neque existente sacerdotio a Deo instituto, sit ipse princeps summus Pontifex, eo quod est princeps, est quaestio quam § 3. q. 2ª art. IIIº examinabimus; sed principem esse iure suo iudicem rei religiosae, data revelatione et instituto sacerdotio, seu Ecclesia, est non modo theologice falsum, sed rationabiliter absurdum. Si enim supponamus in ipso statu naturae principem non esse hoc ipso Pontificem, multo magis id ei negandum esset in statu supernaturali in quo nos versamur. Sed et si concederemus in statu naturae, curam socialem religionis naturalis spectare ad ipsum principem, tamen nullus esse potest regalista nisi atheus qui negare possit Deo ius constituendi sacerdotium quod curet negotia religiosa; eo autem constituto, absurdum est principem posse sibi vindicare iudicium in re religiosa, cum alteri Deus positive contulerit hanc curam, idest summo Pontifici. Igitur admissa existentia Ecclesiae, iam princeps in re religiosa tenetur iura sua exercere cohaerenter iudicio Ecclesiae ipsius.

386. Sed instant increduli: quid si princeps non agnoscat Ecclesiae divinam naturam? Et quid si princeps agnoscat sed non eius subditi, sive omnes adeo ut ipsa societas non agnoscat Ecclesiam, vel saltem aliqui? Hactenus praecisionem fecimus ab his quaestionibus quae non considerant rem per se, ut obiective est, sed ut est per accidens, seu ex ignorantia aut errore sive principis sive populi. De his agemus infra art. VI. huius capitis et cap. 5.; nunc consideremus societatem civilem prout esse debet, idest catholicam.

ARTICULUS III.

De relationibus iuridicis Ecclesiae et societatis civilis catholicae.

Divisio articuli. — Exponemus 1. principia generalia; 2. agemus de materiis mixtis; 3. de iudicio facti spiritualis et de iudicio possessorio iurium spiritualium; 4. de iuribus et officiis Status erga religionem intuitu finis temporalis; 5. de contrariis erroribus, seu de indifferentismo, naturalismo et liberalismo; 6. conclusio de natura protectionis quae a Statu praestatur Ecclesiae.

§ 1.

PRINCIPIA GENERALIA.

387. Civilis societas catholica est quae constat membris catholicis, et principia catholica agnoscit ut normam legislationis. Quod si in ea sint aliqui acatholici, ipsorum ratio non habetur in legislatione generali, quamvis aliquando possit et debeat ipsorum ratio haberi in exceptionibus quibusdam pro ipsis ponendis, de quibus inferius cap. 5.° Quod si cives essent catholici, sed legislatio non agnosceret principia catholica, iam id vitio legislationis vertendum esset, ideoque culpae sive populi sive principis, pro diversa regiminis forma; deficerent enim omnino rationabiles causae quae intra quosdam limites possunt permittere legi ut a religione catholica praescindat, quae consistunt, ex infra dicendis, in perturbationibus quae orirentur ex resistentia dissidentium; sed si resisterent ipsi catholici, iam mali catholici essent et nomine potius quam re.

Iamvero in societate catholica debent verificari in concreto omnia quae in abstracto statuuntur circa re-

lationes societatis civilis et Ecclesiae; idest relationes *exemplares*, iuxta intentionem divinam plene executioni demandatam. Incipiamus ab iis quae ecclesiasticae legislationi subtrahuntur, sed civili conceduntur ut libere de eis disponat, iuxta finem suum.

Propositio 1. — *In rebus temporalibus et sub respectu temporalis finis, Ecclesia nihil potest in societate civili.*

388. Potestatem directam Ecclesiae in temporalia, defenderunt tantum scriptores obscuri nominis; primus fuit saec. XII. Ioannes Sarisburiensis; deinde Augustinus de Ancona, Iacobus de Terrano et alii pauci, iuxta quos magistratus civiles erant vicarii Pontificis.

389. Sed propositionis nostrae veritas demonstratur 1° ex ratione. Etenim societas perfecta ex supra demonstratis nihil potest in suos in iis quae ad proprium finem non referuntur. Sed res temporales quatenus fini temporali inserviunt, idest quatenus mere temporales, sunt indifferentes pro fine Ecclesiae. Ergo Ecclesia nihil in eis potest. Hinc sequitur societati civili exclusive competere de rebus temporalibus disponere sub respectu finis temporalis, idest quatenus neque obstant fini spirituali, neque pro eo necessariae sunt, iudicio ipsius Ecclesiae.

390. Prob. 2° ex ecclesiastica doctrina. Ita s. Gelasius papa ad Anastasium imperatorem: « Quantum ad « ordinem pertinet publicae (civilis) disciplinae, cogno- « scentes imperium tibi suprema dispositione collatum, « legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites ». S. Gregorius Magnus epist. 2. ad Leonem Isaurum: « Quemadmodum Pontifex introspiciendi in palatium « potestatem non habet, ac dignitates regias confe- « rendi, sic..... ». Concil. Later. IV. cap. 42: « Sicut

« volumus ut iura clericorum non usurpent laici, ita « velle debemus, ne clerici iura sibi vindicent laico- « rum. Quocirca universis clericis interdicimus, ne quis « praetextu ecclesiasticae libertatis suam de cetero iu- « risdictionem extendat in praeiudicium iustitiae sae- « cularis, sed contentus existat constitutionibus scrip- « tis et consuetudinibus hactenus approbatis, ut quae « sunt caesaris reddantur caesari et quae sunt Dei, « Deo recta distributione reddantur ». Et in re evi- denti sufficiat, cum addi possent ceteri omnes qui distinctionem et independentiam asserunt duarum po- testatum.

***Propositio** II. — Non repugnat Ecclesiam ex titulo adventitio potestatem civilem acquirere in deter- minatum territorium.*

391. Cum Ecclesiam a rerum temporalium imperio excludimus, intelligimus Ecclesiam titulo iuris sui na- tivi. Etenim non repugnat Ecclesiam acquirere titulo humano seu adventitio, et imperium civile; dicimus *Ecclesiam*, non modo *ecclesiasticos viros;* nemo enim denegavit filium ex. gr. regis posse regnum haeredi- tare quia clericus est, nisi positiva lege prohibeatur.

Sed ipsa Ecclesia, idest vir ecclesiasticus quatenus occupat sedem in Ecclesia, potest acquirere regnum; id factum est divina disponente providentia in summo Pontifice, ut eius securitati et evidenti libertati con- stanter provideretur; id factum fuerat in systemate feudali, pro pluribus Episcopis et Abbatibus, in Ger- mania praesertim, usque ad saeculum nostrum. In hoc enim nulla est repugnantia, neque ex parte Ecclesiae, neque societatis civilis. Non Ecclesiae: potest enim expedire ipsi Ecclesiae, eius Praelatos esse quoque principes. Res evidens est in ipsa Germania, ubi Epi-

scopis principantibus successerunt ut plurimum saeculo nostro principes protestantes; pro plebe christiana esset profecto utilius habere adhuc Episcopos in principes. Hinc error fuit Hussitarum et Wicleffitarum, non posse clericos possidere dominia et principatus.

Neque 2° obstat natura principatus, seu societatis civilis. Haec enim exigit ut in subiectum auctoritatis supremae civilis, illa persona designetur quae est natura sua idonea eidem potestati exercendae. Iamvero et successio haereditaria in aliqua dynastia habetur ex facto universali, ut idonea pro subiecto determinando civilis principatus. Imo quamvis in abstracto monarchia electiva sit melior quam haereditaria, in concreto tamen regulariter, melior habetur monarchia haereditaria. In illa enim facilius eligitur persona magis idonea; in hac potest haberi et persona mediocris ingenii et probitatis; dicimus ingenii mediocris; si enim esset hebes, excluderetur a throno apud omnes gentes; verum mediocritati ingenii, ex parte supplet educatio quae opportuna datur a prima infantia; sed in monarchia electiva, facile nascuntur discordiae civiles, bella et perturbationes; hinc regna electiva minus tuta ac diuturna sunt quam haereditaria.

392. Iamvero principatus adnexus praelaturae ecclesiasticae habet utilitates monarchiae electivae et firmitatem monarchiae haereditariae, quin habeat ipsarum incommoda; habet igitur tantum commoda, ideoque est melior modus. Et sane: cum praelatus non nascatur, sed eligatur, 1° regulariter eliguntur personae magnae probitatis et peritiae. Si aliquando contrarium evenit, id non vitio institutionis sed personarum tribuendum est; vitia autem personarum accidentalia, nec scientia potest considerare, nec praxis semper vitare. 2° Electio ecclesiastica fit pacifice absque pe-

riculo perturbationum saltem comparate ad electiones civiles; igitur et habetur pax socialis et idoneitas singularis in electo. Verum quidem est electum eligi attendendo ad idoneitatem pro regimine ecclesiastico et non pro civili; sed idoneus regendae plebi Dei, erit idoneus etiam temporalibus tractandis, saltem ut rex haereditarius. Non enim in eo requiritur peritia specifica negotiorum omnium, ex. gr. armorum, sed prudentia et sollicitudo pro publico bono; quae autem sunt specifica alicuius artis, puta bellicae aut oeconomicae et commode committi possunt ministris de istis rebus peritis.

Igitur Ecclesia potest titulo adventitio acquirere directum ius in negotia temporalia, quamvis eo careat quatenus Ecclesia est.

Videamus modo quo sub respectu Ecclesia ut Ecclesia sit competens.

Propositio III. — *In spiritualibus, potestatem nullam exercere valet societas civilis, sed exclusive spectant ad Ecclesiam.*

393. Haec propositio non indiget demonstratione cum sequatur ex eo quod societas spiritualis est Ecclesia, et non Status civilis.

Sed remanet comparatio instituenda inter relationes utriusque societatis, cum ordo temporalis et ordo spiritualis in contactum venerint, quae nempe societas alteri pro suo ordine subiici debeat. Non loquimur de subordinatione directa, nempe ratione materiae, quia tunc alterutra esset imperfecta. Igitur sermo est de subordinatione indirecta, seu ratione finis. Iamvero cum finis Ecclesiae praestantior sit fini societatis civilis, et absolute necessarius, sequitur et Ecclesiam praestare.

Quidam regalistae docuerunt Statum habere potesta-

tem indirectam in sacra, nempe ratione ordinis iuridici, idest exterioris. Verum id falsissime, cum non spiritualia temporalibus sed viceversa temporalia spiritualibus debeant inservire, et Ecclesia sit perfecta ut societas iuridica. Proinde eius praevalentia generali propositione sic enuntiari potest:

***Propositio** IV. — Ecclesia est societas iuridice praevalens societati civili, ratione finis, ideoque haec est illi indirecte subordinata.*

394. Haec subordinatio quatuor importat; I. in conflictu inter bonum spirituale et temporale, illud praevalere debere, hoc cedere; hinc illud obtinendum esse et curandum, hoc praetermittendum, imo tolerandam eiusdem iacturam. II. Ecclesiam et de temporalibus in necessitate iure disponere et circa eadem leges ferre. III. Statum civilem teneri in necessariis deservire Ecclesiae, eidem subministrando temporalia necessaria. IV. Iudicium auctoritativum circa conflictum boni spiritualis cum temporali et circa necessitatem temporalium pro fine spirituali, ad Ecclesiam spectare, quae totidem propositionibus demonstrabimus. Sit

***Propositio** V. — Cura finis spiritualis et Ecclesiae missio nequit impediri intuitu cuiuslibet damni temporalis exinde derivantis.*

395. Prob. 1° ex ratione. Finis enim spiritualis est necessarius absolute, et bonum temporale tantum subordinate est appetibile. Hinc in conflictu illud praeferendum est.

Prob. 2° ex ss. Litteris. Act. v. 28-29. cum Apostoli praedicarent nomen Iesu, non obstante prohibitione synedrii Iudaeorum, cum capti fuissent et in eiusdem conspectum adducti, iudices eos ita obiurgaverunt:

« Praecipiendo praecepimus vobis, ne doceretis in no-
« mine isto, et ecce replestis Ierusalem doctrina vestra,
« et vultis inducere super nos sanguinem istius. Re-
« spondens autem Petrus et Apostoli dixerunt: oportet
« obedire Deo magis quam hominibus ». Igitur 1° iu-
dices timebant turbari publicum ordinem ex christiana praedicatione, tum quatenus appareret iniustitia magistratuum in Domino damnando et sic infamia afficerentur, tum quatenus odium populi in eosdem incitaretur; 2° urgebat ex adverso bonum spirituale; 3° Spiritus Sanctus docet hoc esse curandum sine ullo respectu ad malum temporale, quod in hoc casu per accidens derivare poterat. Haec verba et ipsorum consequentiae sunt saepius recogitanda; saepe enim et nostris temporibus accusant Ecclesiam velut si doctrina sua turbaret conscientias (ex. gr. monendo emptorem bonorum Ecclesiae de illicita possessione), vel tranquillitatem familiarum (ex gr. monendo qui sic dictum matrimonium civile tantum contraxerunt), vel publicam tranquillitatem (monendo populum de iniustitia quarumdam legum et de iniqua legislatorum agendi ratione etc.); Ecclesiam igitur accusant quod inducat populum ad legem spernendam, vel coetum aliquem iniuria afficiat; sed Ecclesia et quicumque velit salvus fieri, oportet magis obediat Deo quam hominibus; et etiam recordetur verborum Domini: « Non veni pacem
« mittere sed gladium ». Etsi enim religio Christi per se adducat pacem, et inspiciendo eius effectus generales, multum tranquillitatis temporalis attulerit humanae familiae, tamen per accidens excitat odium pravorum in doctrinam quae eos non sinit indulgere cupiditatibus et in eis acquiescere; hinc qui non corriguntur, bellum gerunt in Christi fideles, iuxta illud psalmi: « Venite opprimamus virum iustum, quoniam

« contrarius est operibus nostris ». Item in parabola evangelica, cum fortis armatus (diabolus) custodit atrium suum, in pace sunt omnia quae possidet, sed cum supervenerit fortior eo, tunc bellum incipit.

396. Eadem doctrina de curando bono spirituali, praescindendo a quocumque damno temporali, imo illud positive subeundo, pluries traditur in sacris Litteris; ita Matth. v. 29: « Si oculus tuus dexter scandalizat « te, erue eum et proiice abs te; expedit enim tibi ut « pereat unum membrorum tuorum, quam totum cor- « pus tuum eat in gehennam ». 30: « Et si dextera « manus tua scandalizat te, abscinde eam et proiice « abs te ». Et Matth. x. 37: « Qui amat patrem aut « matrem plusquam me, non est me dignus; et qui « amat filium aut filiam suam super me, non est me « dignus ». Et Matth. xvi. 26. universim de omnibus bonis temporalibus dicitur: « Quid prodest homini si « mundum universum lucretur, animae vero suae de- « trimentum patiatur?

Propositio *VI. — In rebus temporalibus quae sive per se, sive per accidens necessariae sint ad finem spiritualem, Ecclesia exercet potestatem suam, et societas civilis cedere tenetur.*

397. Prob. ex ratione. Haec propositio est applicatio eorum quae in 1. capite generaliter statuta sunt circa conflictum societatum perfectarum disparium; etenim in conflictu praevalere oportet finem et societatem superiorem, et finis inferior fit inhonestus quoties adversatur fini maiori. Iamvero inter catholicos disputari non potest an finis Ecclesiae sit praestantior fine temporali; igitur evidens est Ecclesiam iure disponere et de temporalibus cum pro fine spirituali necessaria sunt, societatemque civilem cedere debere. Imo nemo, neque

acatholicus, dummodo non sit atheus, negare poterit finem spiritualem esse praestantiorem fine temporali, ideoque supposita existentia societatis spiritualis, et multo magis si sit supernaturalis, hanc praevalere oportere. Iamvero haec hypothesis pro catholico est thesis. Igitur, Ecclesia iure exercet potestatem suam et in rebus temporalibus, quatenus necessariae sint pro fine spirituali, et societas civilis cedere tenetur.

398. Ex hoc principio plura explicantur in historia ecclesiastica; ex. gr. protectio sancti Petri concessa Cruce signatis. Ipsorum enim personae et bona erant sub protectione Ecclesiae, et molestari non poterant ne retardaretur scopus gravissimi momenti bellorum sacrorum. Item intimatio treguae Dei, de qua habetur titulus in corpore iuris canonici, quaeque valde profuit ad inutilia et ut plurimum iniusta bella compescenda.

***Propositio** VII. — Societas civilis tenetur in necessariis deservire ecclesiasticae, ideoque temporalia seu media sui ordinis eidem subministrare.*

399. Haec pariter propositio nihil aliud est nisi applicatio principiorum quae in parte generali constituta sunt circa relationes societatum disparium, iisdem membris coalescentium; tenetur enim inferior deservire superiori; quod in eo consistit ut quae sunt sui ordinis alteri subministret in necessariis, vel immediate vel mediate in superioris utilitatem adhibenda. Iamvero Ecclesia est societas iure superior et Status civilis est inferior, ut patet ex fine utriusque; media autem propria Status civilis sunt ordinis temporalis. Ergo in necessariis eadem Ecclesiae subministrare vel in eius utilitatem adhibere ex sui natura tenetur.

***Propositio** VIII. — Quoties Ecclesia ratione materiae temporalis tenetur servare leges civiles, id facit salva sua independentia ac superioritate.*

400. Sunt quaedam materiae temporales quae neque directe neque indirecte referuntur ad finem spiritualem, et tamen necessario connectuntur cum mediis ordinatis ad finem spiritualem, adeo ut impossibile sit haec ponere absque illis. Ita publica hygienes est materia de se temporalis, ideoque subiecta competentiae civili. Iamvero actibus cultus sive communionis cum mortuis offendi potest, quin tamen pro fine spirituali necesse sit eam offendi; igitur nullus est conflictus boni temporalis cum spirituali, cuius gratia illud spernendum sit. Oportet ergo tunc Ecclesia ita prosequatur finem suum ut non laedat finem temporalem. Cumque de normis servandis per eo consequendo iudicet Status civilis, eius leges de hac re erunt observandae.

401. Id non importat inferioritatem Ecclesiae ratione iurisdictionis, sed necessitatem ex parte materiae, et proinde suscipit tunc leges civiles tantum si vere necessariae aut utiles fuerint; secus non modo persentiret necessitatem rerum obiectivam, sed vim iurisdictionis civilis; et proinde eas suscipit salva sua independentia ac superioritate indirecta. Hinc si inutiles inveniat, iure eas spernit utpote frustra sibi onerosas.

Item si utiles sed noxias bono spirituali; primum praestat ex sua independentia, secundum ex sua superioritate; et proinde primum commune est Ecclesiae cum omnibus aliis societatibus perfectis quae ratione materiae, ex. gr. rei propriae sitae in territorio alterius, huius iustas leges tenentur observare, sed si sibi in iisdem iniuria inferatur, ius suum vi quoque et armis prosequuntur, seu mediis propriis societatis perfectae;

ita passim videmus principes protegere non modo personas subditorum suorum apud exteros, sed et bona quae in iisdem regnis habuerint. Alterum autem proprium est Ecclesiae, quia praevalet ratione finis, et proinde in statu conflictus. E contra subditus etsi *per se* non teneatur leges inutiles servare, tamen si de cetero honestae, ut plurimum saltem, tenetur per accidens ob reverentiam erga auctoritatem et ad vitanda mala maiora, ut esset socialis perturbatio. Deinde non pronuntiat iudicium authenticum de legis aut praecepti superioris inutilitate aut inhonestate, sed tantum procedit ex rei evidentia; e contra Ecclesia auctoritative examinat leges civiles et de re temporali, et auctoritative de iisdem pronuntiat. Non enim leges civiles innituntur alicui revelationi, ut assertionibus eorum qui leges condiderunt necessario credendum sit eas esse necessarias vel utiles; sed sunt humana ratione investigatae, quo lumine utitur et Ecclesia et quidem tutius. Hinc non semper admittit ut solidas quas dicunt modernae scientiae theorias, quas et experientia saepe ostendit temere assertas, ex ipsa systematum frequenti mutatione; quod tamen non impedit novatores eadem praesumptione procedere, salvo iure cras destruendi et irridendi, quod hodie ut exploratissimum et omni exceptione maius asseruerunt.

***Propositio** IX. — Iudicium authenticum in casu conflictus inter bonum spirituale et temporale, vel circa necessitatem temporalium pro fine spirituali, ad Ecclesiam spectat.*

402. Haec propositio est applicatio propositionis II. de relationibus societatum imparium constantium iisdem membris num. 187. Etenim ius praescribendi media, includit ius de iisdem iudicandi; hinc ut tuta sit

consecutio finis superioris, omne iudicium pro necessariis, ad eam auctoritatem spectat quae eiusdem finis curam gerit, et in hypothesi Ecclesiae. Notandum autem Ecclesiam ex catholicis principiis esse infallibilem circa iudicia doctrinalia et facta dogmatica; hinc circa huiusmodi nequit locum habere exceptio quam ibidem diximus competere posse in casu evidentis erroris, societati inferiori, num. 188.

COROLLARIUM

De limite a quo incipit actio utriusque societatis.

403. Ex dictis statui potest limes a quo incipit competentia utriusque societatis, idest quid nequeat tangere sed debeat supponere. Utraque debet revereri ius naturae, cum sit immutabile; item ius positivo-divinum; 3° unaquaeque dirigit ad finem suum salva competentia alterius. Iamvero quaenam competentia est praeferenda? quae tendit ad finem superiorem et absolute necessarium. Igitur res iuris humani 1° ab Ecclesia disponuntur in ordine ad finem suum; hinc directe spiritualia, indirecte temporalia; et hoc semper negative ne opponantur; aliquando et positive si per accidens una potius quam altera ipsarum dispositio sit necessaria aut valde utilis. Ordinatis rebus in finem aeternum, tunc incipiunt ordinari ad fines temporales quos curat civilis auctoritas. Hinc principium: *incipit legislatio civilis ubi desinit ius canonicum;* ergo limes iuri civili est non modo ius divinum sed et ecclesiasticum. Ecclesia autem non invadit campum civilem, quia res temporales quatenus habent effectus mere temporales non ordinat. Neque id laedit independentiam auctoritatis civilis, neque ei negatur suprema potestas; etenim excepto Deo, reliqui sunt independentes secundum quid, idest in ordine suo; iamvero remanet adhuc in

ordine suo independens auctoritas civilis, etsi indirecte pendeat ab Ecclesia.

404. E contra moderni statolatri, illi etiam qui proclamant liberam Ecclesiam in libero Statu, ponunt principium inversum; idest: tunc incipit legislatio Ecclesiae cum desinit legislatio civilis; hinc Ecclesia movetur in Statu sed intra limites iuris civilis communis, sicut reliquae societates; ius autem civile statuit leges suas prae oculis habendo unice suum finem temporalem.

Obiectiones.

405. Obiiciunt 1° ex ratione, 2° ex sacra Scriptura.

Et I. *ex ratione*. Obiiciunt 1° Statum non posse agnoscere Ecclesiam universalem; haec enim, ut ait Minghetti in suo opere *Stato e Chiesa*, nequit considerari ut societas iuridica, cum sit extra territorium cuiuslibet regni. Status considerat tantum particulares Ecclesias; sed hae et iuxta principia catholica, sunt societates imperfectae, ideoque a Statu dependentes.

Resp. quoad 1^{am} partem difficultatis; Statum non agnoscere Ecclesiam universalem, est per iniuriam, sed nulla ratione potest comprobari; sicut enim nequit iura et officia humanitatis inficiari, ita neque iura et officia supernaturalia; hinc tenetur agnoscere Ecclesiam universalem, cuius, Ecclesiae particulares sunt partes formaliter, ideoque has agnoscere debet ut sunt, idest ut membra Ecclesiae universalis; et esset contra veritatem eas agnoscere adulterando ipsarum naturam, idest ut avulsas ab Ecclesia universali, cum Ecclesia proprie una sit, et divisio in dioeceses et provincias sit tantum pro commoditate regiminis ecclesiastici, non quod membra sint aliqualiter sibi extranea, ut in imperio foederato, in quo diversae provinciae possunt

habere interesse distinctum; e contra interesse spirituale est idem, et eadem media sanctificationis, et eadem communio. Hinc s. Cyprianus in lib. de Unitate Ecclesiae, prolatis verbis sancti Pauli ad Ephesios IV. 4. « unum corpus et unus spiritus, una spes « vocationis vestrae, unus Dominus, una fides, unum « baptisma », subdit: « nemo fraternitatem mendacio « fallat, nemo fidei veritatem perfida praevaricatione « corrumpat. Episcopatus unus est, cuius a singulis « in solidum pars tenetur. Ecclesia quoque una est, « quae in multitudinem latius incremento foecundi- « tatis extenditur ». Hinc sicut nequeunt provinciae denegari iura quae participat ut membrum societatis perfectae, considerando tantum quae habet ut provincia, a fortiori nequeunt praetermitti iura quae Ecclesiis particularibus competunt prout sunt membra Ecclesiae universalis, cum perfecta communio in ea habeatur.

406. Sed dicunt: quidquid fit extra territorium Status, est ei extraneum; atqui Ecclesia universalis residet extra Statum.

Resp. negando maiorem, cum saepe quod fit extra territorium intersit Status. Haec theoria fundatur in falso supposito Ecclesiam esse societatem humanam et naturalem, ideoque habere tantum ea iura, quae singuli homines contulerunt; hinc sicut Status nequit teneri ad directe agnoscendam societatem commercialem universalem, ita neque religiosam; sed societas commercialis extranea vel suscipitur ex pactis internationalibus quae libere ineuntur, vel subiicitur legibus communibus Status, cum plus iuris nequeant habere extranei quam cives. Quaelibet autem societas imperfecta, reducitur iuridice sub aliqua perfecta a qua pendeat; igitur necesse est innitatur huic vel illi reipublicae seu principi; sed alter princeps non tenetur

per se agnoscere in suo territorio, acta principis extranei. E contra est in Ecclesia quae ex iure et voluntate sociorum non oritur.

407. Quoad 2am partem difficultatis: Ecclesias particulares esse societates imperfectas, dist. relate ad Statum civilem nego; ad Ecclesiam conc.; etenim non sunt societates imperfectae homogeneae Statui, vel ordinis ei inferioris; sunt tamen imperfectae relate ad Ecclesiam universalem, sed Status tenetur agnoscere Ecclesias particulares prout sunt, ideoque tamquam partes homogeneas Ecclesiae universalis, et proinde ut partes societatis independentis et iuridice praevalentis.

408. Obiic. 2° Statum administrare iure proprio et independenti iustitiam, et proinde sub respectu iuridico praevalere ipsi Ecclesiae.

Resp. Statum iure proprio et independenti administrare iustitiam in ordine temporali, conc., in ordine supernaturali negatur et negatur consequens.

409. Obiic. II. *ex sacra Scriptura*. Et I. s. Paulus ad Rom. XIII. 1. « Omnis anima potestatibus sublimio-« ribus subdita sit ». Et s. Petrus Ep. I. cap. II. 13. « Subiecti igitur estote omni humanae creaturae prop-« ter Deum; sive regi quasi praecellenti ». In his locis agitur de potestate civili, quae a s. Paulo dicitur *sublimior* potestas, et generaliter pronuntiatur ab omnibus ei obedientiam esse praestandam; ergo etiam ab Ecclesia; quod cum nequeat intelligi in materia mere religiosa, dicendum est valere saltem in materia iuridica. Et sane, ut patet legenti contextum tum s. Pauli, tum s. Petri, loquuntur de administratione iustitiae. Ait enim s. Paulus v. 3. « Nam principes non sunt « timori boni operis, sed mali ». Et s. Petrus subiungit: « sive ducibus tamquam ab eo (rege) missis, ad « vindictam malefactorum, laudem vero bonorum ».

Resp. Principes apostolorum citatis locis non loqui de Ecclesia, sed de privatis fidelibus prout cives sunt; inculcant proinde obedientiam in iis quae ad potestatem civilem spectant, prout est administratio iustitiae in materia temporali. Potestas autem civilis non dicitur sublimior respectu ecclesiasticae, sed ceterarum; imo iuxta textum graecum neque habetur comparatio, sed dicitur tantum ἐξουσιαῖς ὑπερεχούσαις, quod significat, potestatibus supra constitutis (1).

§ 2.

DE MATERIIS MIXTIS.

410. Materia legum vel est temporalis, vel spiritualis, vel mixta, prout directe refertur ad alterutrum finem vel ad utrumque; dicimus directe; etenim potest materia de se temporalis referri indirecte ad finem supernaturalem vel vice-versa. Iamvero ex demonstratis propositionibus Ecclesia iure disponit non modo de spiritualibus verum etiam de temporalibus quatenus cum fine supernaturali connecti possunt. Sed quaeri potest an et societas civilis aliquid possit circa res spirituales, cum ad eius finem referuntur. Et id quidem non contradicendo legibus Ecclesiae, quia in conflictu haec praevalet sed cumulative, idest superaddendo, ita ut de eadem materia habeatur duplex lex, ecclesiastica et civilis, utraque servanda.

411. Concursus duplicis legislationis considerari potest vel cum materia est de se spiritualis, et tantum per accidens aut indirecte refertur ad ordinem temporalem, vel cum directe refertur ad utrumque, ideoque est de se mixta, etsi possit ad unum referri principa-

(1) V. Curci, *Versione del Nuovo Testamento.*

lius, ad alium minus principaliter. Ita iustitia refertur directe ad moralitatem ideoque ad finem spiritualem, et etiam ad publicam tranquillitatem, ideoque ad finem temporalem. Ita matrimonium, quatenus est sacramentum refertur ad ordinem supernaturalem, quatenus medium propagationis humanae ad naturalem.

412. Consideremus I. materias mixtas, deinde quae directe sunt spirituales et indirecte temporales. Hypotheses quae fingi possunt sunt: 1° utramque societatem de iisdem legem ferre unice attendendo finem suum et praescindendo a fine alterius; 2° cumulative procedere, servata subordinatione; idest praecedere legislationem superioris societatis, seu Ecclesiae, et sequi legislationem civilem, quae Ecclesiae non contradicat, sed ei superaddat circa ipsam substantiam rei, adeo ut singuli fideles et cives teneantur utramque servare legislationem; 3° unam tantum societatem et praecise superiorem seu Ecclesiam, legem ferre de substantia rei, et alteram tantum de effectibus separabilibus sui ordinis. His positis sit:

***Propositio** I. — In materiis mixtis nequit societas civilis legem ferre, praescindendo a lege ecclesiastica.*

413. Ratio est evidens; etenim haberi posset conflictus inter leges utriusque, quin inferior societas teneretur leges suas corrigere; exigeret ergo a subditis suis quod esset contrarium legi superiori, in quo est deordinatio.

Tenetur autem societas civilis respicere legi ecclesiasticae dupliciter non contradicendo, idest nihil prohibendo quod lege ecclesiastica sit praeceptum, et nihil praecipiendo quod prohibitum; hinc neque superaddendo, cum superadditio est iure ecclesiastico vetita.

414. Nunc consideremus an haberi possit concursus

utriusque legis circa rei substantiam, seu an lex civilis possit aliquid praescribere circa substantiam rei mixtae, praescindendo a positiva Ecclesiae prohibitione, sed attenta mere natura rei. Iamvero distinguendum est inter materias ordinis naturalis et supernaturalis aut supernaturalizatas seu elevatas ad ordinem supernaturalem. Circa primas, sit:

***Propositio** II. — Lex civilis, servata subordinatione ecclesiasticae, valet disponere de materiis mixtis ordinis naturalis non supernaturalizatis.*

415. Etenim cum sit res ordinis naturalis et simul referatur directe ad finem temporalem, cadit sub competentia legis civilis; cum autem servetur subordinatio Ecclesiae non impeditur per accidens competentia civilis; hinc utraque societas ordinat rem pro suo scopo; ita in contractibus auctoritas civilis leges fert servandas, nisi aliter disponat lex Ecclesiae corrigenda legem civilem.

***Propositio** III. — Quoad materias mixtas ordinis supernaturalis sive supernaturalizatas, circa substantiam rei nihil potest lex civilis.*

416. Etenim eo ipso quod sunt institutionis supernaturalis, ut baptisma, vel ad supernaturalem substantialiter elevatae, ut matrimonium, effugiunt competentiam potestatis civilis quae naturalis est, et repugnat potestatem naturalem aliquid posse circa supernaturalia, quatenus sunt huiusmodi. In his potest tantum ministrare Ecclesiae, sanctione civili muniendo eius leges, sed ea mensura qua Ecclesia permittet, iuxta alias notata n. 88, circa ius societatis inferioris urgendi quae sunt ordinis superioris simul ac determinata fuerint a competenti auctoritate, et etiam iuxta eius officium ministrandi Ecclesiae.

417. Tamen praeter substantiam rei supernaturalis, possunt attendi effectus, quorum quidam sunt temporales ex hypothesi, cum ideo dicatur materia mixta quia ad utrumque finem directe refertur. Non loquimur de spiritualibus, qui sunt competentiae ecclesiasticae, sed de temporalibus; ex his nonnulli sunt inseparabiles a substantia rei supernaturalis, ita ut ea posita necessario sequantur; alii sunt separabiles. Huius rei applicatio evidens est in matrimonio; etenim contractus matrimonialis elevatus est ad dignitatem sacramenti; hinc ipsa substantia est supernaturalizata; ergo de ea disponit Ecclesia; ex matrimonio valido sequitur ex necessitate, prolis legittimitas; hic effectus est inseparabilis; sed successio in quibusdam iuribus, ex. gr. nobilitatis non est ex necessitate, cum speciales conditiones possint praescribi, ex. gr. quod et mater sit nobilis; est igitur effectus separabilis. Hoc posito, sit:

***Propositio** IV. — Lex civilis tenetur agnoscere effectus inseparabiles a substantia rei supernaturalis, de quibus effectibus sola Ecclesia iudicat.*

418. Et sane; qui tenetur agnoscere causam, tenetur agnoscere et effectus necessarios, et qui de illa iudicat et de his, et qui nihil potest circa primam nec circa secundos; sunt enim ex necessitate connexa, imo virtualiter hi effectus continentur in causa et sunt cum ea unum et idem.

***Propositio** V. — Potest lex civilis disponere de effectibus temporalibus separabilibus rei supernaturalis, salva subordinatione legi ecclesiasticae.*

419. Ratio est quia hi effectus sunt ex hypothesi separabiles, et cum sint temporales, de eis non disponit Ecclesia; hinc sunt competentiae civilis, salva

subordinatione, idest dummodo moderando temporalia non impediantur aut frustrentur spiritualia; hoc enim ex thesibus superioribus valet et in ipsa re substantialiter temporali.

420. Quaeri autem potest an positio actus spiritualis in materia mixta, servatis tantum Ecclesiae legibus respicientibus substantiam rei et effectus spirituales ac effectus temporales inseparabiles, omissis praescriptionibus civilibus pro effectibus temporalibus separabilibus, sit punibilis lege civili.

***Propositio** VI. — Omissio praescriptionum civilium quoad effectus temporales separabiles a substantia rei mixtae, punitur I. negatione effectuum civilium respondentium.*

421. Etenim cum ex hypothesi ius sit legi civili praescribendi servanda pro his effectibus, profecto ius est negandi eosdem, non servatis praescriptionibus.

422. Sed potest interesse rei publicae supradictos effectus haberi ideoque servari relativas praescriptiones; hinc ulterius quaeri potest an poena positiva puniri possit transgressio earumdem praescriptionum, ex. gr. mulcta.

Iamvero distinguendum est inter ministrum Ecclesiae et fideles utentes eius ministerio; ille est in suo ministerio independens a societate civili, ideoque illud exercet unice attendendo leges Ecclesiae; item eius ministerium importat tantum effectus temporales inseparabiles a substantia rei, de quibus iudicat Ecclesia; igitur non est punibilis si ipse non curet effectus temporales separabiles, de quibus ad eum nec ad eius ministerium spectat; secus exigere, est velle concurrere lege civili ad modum ipsum ponendi substantiam rei, et impedire eam poni providendo tantum effectibus spi-

ritualibus; igitur laederet ius Ecclesiae. Pertinet tamen ad Ecclesiae sollicitudinem suis ministris ea quoque praescribere quae interesse possunt reipublicae, vel eius leges adoptando aut precibus annuendo aut praeveniendo. Si autem haec non praestet Ecclesia, hoc ipso iudicat non expedire ministerio ecclesiastico earumdem praescriptionem, ideoque si quod est damnum temporale, esse tolerandum pro bono spirituali.

423. Quod autem attinet ad fideles utentes ministerio Ecclesiae, cum pro effectibus temporalibus separabilibus a re spirituali sint subditi legis civilis, servata Ecclesiae subordinatione poterunt puniri quoties separabiles praescriptiones temporales non servaverint; tunc enim non puniuntur ex positione actus spiritualis, sed ex omissione temporalis separabilis; dicimus separabilis, secus puniretur ipsa positio actus spiritualis qui non cadit sub competentia civili, et auctoritas civilis vellet afficere modum ponendi ipsam substantiam spiritualem, quod ei non licet.

Haec enuntiantur sequentibus propositionibus.

***Propositio** VII. — Minister Ecclesiae in exercitio sui ministerii nequit obligari sanctione civili ut provideat effectibus temporalibus rei mixtae.*

Eius ratio exposita est num. 437.

***Propositio** VIII. — Lex civilis nequit modum praescribere quo fideles utantur ministerio ecclesiastico in materia mixta, quoad ipsum actum ministerii spiritualis.*

Ratio huius est in num. 438, in quo continetur et ratio propositionis sequentis.

***Propositio** IX. — Potest lex civilis positiva poena urgere opportuna pro effectibus temporalibus separabilibus, distincta ab ipsa positione actus spiritualis.*

Propositio *X.* — *Potest lex civilis punire nomine Ecclesiae, transgressionem legum eiusdem Ecclesiae circa res spirituales.*

Sequitur ex thesi generali num. 182-183. statuente societatem inferiorem ministrare superiori, si haec velit.

Propositio *XI.* — *Potest lex civilis punire in laicis transgressionem legum Ecclesiae et nomine proprio, servata subordinatione Ecclesiae, quatenus reipublicae intersit eas observari.*

Sequitur ex thesi generali, num. 88.

Propositio *XII.* — *Nequit lex civilis nomine proprio punire transgressiones legum Ecclesiae quas ministri Ecclesiae fecerint in exercitio proprii ministerii.*

Ratio huius postremae propositionis est quia ministri Ecclesiae immunitas in exercitio sui ministerii est iuris divini; hinc iudicatur tantum ab Ecclesia, etsi Ecclesia possit pro executione sententiae uti brachio saeculari.

De spiritualibus habentibus indirecte effectus temporales.

424. Cum effectus temporalis sit tantum indirectus, et ex eo quod religio influit in moralitatem et publicam tranquillitatem, hinc est effectus inseparabilis a substantia rei; et proinde nullum ius competit societati civili, nisi vel ministrandi Ecclesiae urgendo eius nomine legum observantiam et transgressionem puniendo, vel nomine proprio urgendo quae Ecclesia determinaverit iuxta normas generales statutas in I. thesi de iure societatis perfectae in suos.

§ 3.

DE NUDO FACTO SPIRITUALI ET DE IUDICIO POSSESSORIO IURIS SPIRITUALIS.

425. Sicut praecedenti quaestione diximus de materiis mixtis sub respectu legislativo, ita in praesenti consideramus potestatem iudicialem. In ipsis materiis mixtis quaelibet potestas iudicat de iis quae lege praescripsit; sed praeterea

Quaeritur I. cuius sit iudicare de nudo facto spirituali, an ex. gr. Caius sit baptizatus vel non. Ecclesiam posse tale iudicium instituere in dubium revocari nequit, cum agatur de facto ordinis spiritualis. Sed dubitatur an potestas quoque civilis id valeat pro effectibus civilibus, quia indifferens videtur an facta sint naturalia vel supernaturalia, cum iisdem sensibus utraque aeque percipiantur. Imo quod sensibus percipitur, exceptis miraculis, semper naturale est, ex. causa sit infusio aquae in baptismo et prolatio verborum sacramentalium. Elementum spirituale est invisibile, et proinde non sensibus percipitur sed mente creditur, per consequens ad perceptionem facti naturalis. Hinc apud iuris consultos obtinuit, de nudo facto etiam supernaturali iudicare posse laicam quoque potestatem.

426. Verum oportet id recte intelligi. Dicitur 1° a civili potestate iudicari posse de nudo facto, an nempe existat vel extiterit, non autem de eius legittimitate, si in controversiam veniat, ex. gr. an baptisma Caio collatum fuerit valide aut licite. In ordine enim ad effectus et alias relationes spirituales, iudicat sola Ecclesia, cum validitas aut liceitas pendeat ex legibus ab Ecclesia latis vel saltem promulgatis.

2° Laica potestas nequit impedire Ecclesiam quoque de iisdem factis videre, cum pari saltem polleat iure.

427. II. Posito quod laica potestas valeat iudicare de nudo facto, quaeritur ulterius quis iudicet de possessione seu quasi-possessione iurium spiritualium, ex. gr. beneficiorum, decimarum, iurispatronatus. Haec iura sunt spiritualia, quia vel obiectum habent spirituale, aut titulo innituntur spirituali, ex. gr. ius decimandi regulariter pendet a titulo curae animarum.

Praescindimus a iure quod potestati civili competere possit ex privilegio expresse aut tacite ab Ecclesia collato. Sicut praescindimus a privilegio fori clericis competente, per quod ipsorum personae subtrahuntur tamquam rei iudicio laico etiam in materia temporali. Consideramus igitur rem per se.

428. Iamvero in hac materia fuerunt enormes regalistarum abusus. Aiebant enim, sicut de nudo facto diximus, possessionem seu quasi-possessionem, in facto consistere, ideoque iisdem criteriis iuridicis iudicari, quibus possessio rerum corporalium, vel quasi-possessio iurium temporalium. Hinc de ea iudicare non modo tribuebant civili potestati cumulative cum Ecclesia, sed exclusive (1).

Insuper dum iudicium possessorium agebatur, impediebant ne iudicium petitorium coram Ecclesia institueretur, et sic, ut notat Fénélonius, Parlamenta gallicana omnes ferme causas ecclesiasticas ad se trahebant.

429. Verum haec, falso asserta et iniuria facta fuisse, manifesta ratio ostendit. Ut enim de nudo facto diximus, potestas civilis valet de eo videre, cum de eo inquiritur in ordine ad effectus temporales; ex. gr. an Caius nupserit (et quidem coram Ecclesia), ut haereditatem obtineat, eâ sub conditione ei collata. Sed Ecclesia quoque de existentia facti spiritualis iudicare

(1) V. De Maistre, *Du Pape.*

potest, quatenus eius interest, cum et ipsa sit societas independens. Existentia autem facti ordinis spiritualis, plus refertur ad ipsum ordinem spiritualem, et proinde ad Ecclesiam, quam ad ordinem temporalem. Hinc si contrarium esset iudicium Ecclesiae et Status, ita ut probationes quae alterutri videntur sufficientes ad facti alicuius spiritualis existentiam probandam, alteri insufficientes viderentur, Ecclesiae iudicio deferendum esset. Cum vero de existentia facti spiritualis inquiritur in ordine ad effectus spirituales, exclusive Ecclesiae iurisdictioni subiicitur.

430. Iamvero in exemplis allatis, de possessione beneficii, iuris decimandi, iurispatronatus etc., inquiritur de ipsa possessione praecise ut iudicetur de effectibus spiritualibus, seu ordinis ecclesiastici. Ex possessione enim oritur ius quoddam saltem momentaneum non modo quoad bonorum et aliorum iurium temporalium adnexorum fruitionem, sed etiam ad iura vel officia spiritualia correlativa exercenda. Imo ipsa iura temporalia dimanant tamquam consectaria a titulo spirituali, ideoque legittime possidentur quatenus iusta sit ipsa possessio spiritualis tituli. Et proinde iudicium possessorium de iuribus spiritualibus vel temporalibus pendentibus a titulo spirituali pro effectibus quibuscumque ecclesiasticis, ex sui natura ad Ecclesiae iurisdictionem pertinet, et a laico tribunali absque speciali privilegio expresso vel saltem tacito, exerceri nequit.

§ 4.

DE IURIBUS ET OFFICIIS STATUS INTUITU FINIS TEMPORALIS ERGA RELIGIONEM.

431. Relationes iuridicae Status ad Ecclesiam ex duplici fonte dimanant; 1° ex eo quod debet Ecclesiae

in eiusdem utilitatem, et sic habentur primo officia Status erga Ecclesiam eiusque membra, et deinde eius iura respectu subditorum et aliorum Statuum.

2° Emanant ex utilitate quam Status ex religione percipit, et sic habentur primo iura Status et per consequens officia ut fini suo respondeat. Hactenus consideravimus relationes iuridicas Status ad Ecclesiam primo sub respectu; nunc considerandae sunt sub secundo.

432. Dividimus autem paragraphum in sequentes sectiones: 1. praemittimus connexionem religionis cum moralitate et publica tranquillitate; 2. agemus de officio negativo erga religionem naturalem, seu de eius defensione; 3. de ordinatione positiva religionis in statu merae naturae; 4. de iuribus et officiis Status erga revelatam religionem, intuitu civilis utilitatis; 5. erit reassumptio et applicatio eorum quae exposita sunt; 6. subnectemus demonstrationem theologicam protectionis Ecclesiae debitae, intuitu utriusque finis, nempe temporalis et spiritualis praesertim; 7. solvemus difficultates quae contra hanc protectionem proponuntur.

SECTIO I.

Connexio Religionis cum moralitate et publica tranquillitate.

433. In antecessum in aperto ponenda est relatio religionis cum scopo civili, seu cum bono temporali praesente. Qui autem haec explorata habeat, omittat praesentem sectionem. Ipsa temporalis tranquillitas quae est pars maxima temporalis felicitatis, nequit haberi absque vera moralitate, idest nisi homines putent se ad leges civiles servandas aliorumque iura reverenda obligatos in conscientia; obligatio autem in conscientia perfecte non subsistit neque plene efficax

est, nisi in Deo suum agnoscat auctorem ac vindicem; est autem religio quae haec docet et inculcat; hinc duplex connexio; 1ª tranquillitatis publicae cum interiori moralitate; 2ª moralitatis cum religione; hinc connexio mediata tranquillitatis publicae cum religione. Haec connexio, ut notavimus num. 60, est utique indirecta, non tamen minus vera et intima; est insuper antecedens ipsi ordini temporali, quatenus absque ea non existit; de ea autem disserere proprie spectaret ad ethicam, et a nobis ut lemma posset adsumi; verum ob magnam rei praestantiam et eius intimam cum scopo nostro connexionem, praestat breviter eiusdem fundamenta in memoriam revocare; et 1° sit de connexione publicae tranquillitatis cum moralitate; 2° moralitatis cum religione.

434. Connexio tranquillitatis publicae cum moralitate facile conceditur et breviter demonstratur. Ablata enim vi et efficacia obligationis moralis, remaneret pro observantia officiorum et pro publica securitate tantum timor legis civilis, aut utilitas privata quae in legum observantia inveniretur. Sed utrumque in pluribus facile deficit.

435. Et 1° insufficiens est sanctio legis civilis; etenim haec I. extenditur tantum ad ea quae alicuius sunt momenti, non ad minora, cum de minimis non curet praetor; et tamen quae leviora, sunt quotidiana, imo et continua, ideoque etsi distributive non multi sint momenti, collective tamen plurimum possunt pro vita nostra felici aut infelici reddenda. Si igitur sola lex civilis extaret, officia plura, maxime domestica, absque efficaci essent tutela.

436. II. Lex civilis efficax tunc tantum est quando delicta sint externa et publica, idest per testes aut alias probationes demonstrabilia. Et 1° externa; hinc

omnia interna peccata eius sanctionem effugiunt; iamvero quamvis peccatum internum per se non laedat ordinem externum, tamen si inordinatus foveatur internus affectus, facile erumpit in actus exteriores, non modo cum nihil timendum est ex defectu publicitatis, sed obcaecatus passione et cum probabile extat periculum; igitur indirecte nocet ordini publico ipsa deficientia interioris moralitatis. 2° Omnia delicta externa, sed non publica, carerent coërcitione.

437. III. Tandem spes est evadendi etiam poenam debitam crimini publico, sive per fugam, sive per testium aut iudicum indulgentiam.

Ergo poena civilis est de se inefficax ad homines in officio continendos, ea ratione quae promovendae publicae tranquillitati sit idonea.

438. Praescindendo a moralitate, remanet 2° ut motivum leges servandi et officia erga ceteros, utilitas privata; haec consistit vel in eo quod consideratur tranquillitas, iustitia et charitas socialis seu bonum publicum ut tandem redundans in bonum privatum singulorum, vel in ea satisfactione sensus moralis quam bene operando sentimus. Sensum moralem hic consideramus tantum ut producentem voluptatem aliquam sui generis; secus si illum consideraremus ut manifestationem obligationis moralis, iam consideraremus fundamentum verum eiusdem obligationis, cuius necessitatem in praesenti vindicamus. Est igitur nunc consideranda duplex utilitas, idest realis, ut ita dicam solida, et alia sentimentalis, semper tamen utilitas. Iamvero utraque insufficiens est hominibus in officio continendis.

439. Et I. de utilitate, vulgari modo sumpta. Etsi enim verum sit ex bono generali, quod ex observantia officiorum iustitiae et charitatis resultat, sequi et bo-

num individuale in genere loquendo, tamen hoc non semper est verum pro singulis individuis; saepe enim sunt individuo damna toleranda pro publico bono, ut mors militi; item quisque sperat posse sibi indulgere impune, ita ut eius honor non laedatur ex male facto, ideoque adhuc possit participare bonis quae a societate distribuuntur, etsi non contribuerit bono publico promovendo, ut qui secreto furatur, sperans semetipsum defendere posse ab aliorum furtis. Si autem unusquisque hanc sibi normam agendi proponat, et unusquisque pari iure id potest, iam brevi actum est de publica tranquillitate.

440. Neque sacrificia realia et physica quae pro bono publico tolerantur, satis compensantur a sensu morali, inspecto tantum sub consideratione cuiusdam voluptatis sui generis; etenim I. vis sensus moralis proprie pendet a vi obligationis moralis, ut ex infra dicendis num. 456 patebit, quam etsi quis facile potest falsis systematibus negare, tamen non usque adeo ut naturalem evellat persuasionem ita ut suam interdum non exerceat spontaneam vim.

II. Voluptas haec esset mere subiectiva; facile proinde evanesceret in conflictu cum bonis physicis, ut amore vitae, membrorum, sanitatis, divitiarum.

Igitur tranquillitas publica et temporalis felicitas nequeunt consistere absque vera moralitate.

441. 2° Demonstrandum est moralis obligationis verum et completum fundamentum esse in Deo; item Dei sanctionem unice esse perfectam et plene efficacem hominibus in officio continendis. Et I. Deus est ratio adaequata obligationis moralis.

442. Fundamentum adaequatum obligationis moralis est in Deo; quia ab infinito omnia essentialiter pendent; hinc in Deo est I. absolutum dominium in suas

creaturas; hinc eius voluntate sunt ligatae; cum autem Deus creaturis praecipiendo, simul et regulam agendi praescribat, et physicam libertatem contradicendi dum in statu viae sunt, eis non auferat, hinc lex divina non eis imponit necessitatem physicam parendi, sed tantum moralem, idest necesse est creaturae rationales servent legem Dei ne eius laedant iura laedendo eiusdem dominium ac absolutam dependentiam qua essentialiter afficiuntur erga eum. Nec debemus terreri nomine dominii absoluti, veluti si Deus eo abuti posset contra leges sapientiae et bonitatis suae; in Deo enim potentia, sapientia et bonitas sunt unum et idem; hinc dominium Dei hoc sensu est absolutum quia nulla lege sibi extrinseca subiectum.

443. II. In Deo est norma suprema et absoluta agendi pro creaturis. Etenim mens Dei concipit ordinem rerum omnium quas condit eisque illum praescribit; est igitur in divina ratione norma agendi uniuscuiusque entis propria; sed creaturae destitutae cognitione intellectiva, ordinem a Deo impositum exequuntur, quin illum ut talem cognoscant; sequuntur igitur caece et necessario normas a mente divina eis praescriptas; sed e contra creatura rationalis, quatenus agit ut talis, id sibi proprium habet ut ordinem rationis divinae cognoscat, et cognoscendo voluntarie exequatur, adeo ut intelligat necessitatem rationalem in qua est illi sese conformandi, et pariter intelligat se a norma rationis propria deficere, ab illo deficiendo; ens enim rationale tale est quatenus participat analogice divinam rationem, cuius est quaedam imperfecta imitatio; igitur recedendo a norma rationis divinae, negat factis suam rationalem naturam et deficit a principio ex quo eam participat.

444. III. In Deo est summum bonum naturae ratio-

nalis. Bonum enim cuiusque rei proprium est finis in quem natura sua et Dei impulsu ordinatur. Ordo igitur cuique naturae a Deo praescriptus, est bonum eius. Iamvero etsi sint bona plura, alia aliis subordinata, tandem Deus omnia propter semetipsum operatus est et ad se tamquam ad finem ultimum convertit; igitur ordo a Deo praescriptus est finis proximus creaturae, sed Deus ipse est finis ultimus.

Dupliciter autem Deus est finis ultimus rerum omnium; I. quia omnia ad eius gloriam creata; et hic finis est sine conditione; etenim Deus ens infinitum, non potuit sibi proponere ut finem aliquid a se distinctum, quia operationem suam seu semetipsum infinitum bonum subordinasset alicui finito; operans enim ordinat se suamque actionem ad finem eique adhaeret ut bono suo, et absurdum est, infinitum, ordinem realem dicere ad finitum, et in eo suum invenire bonum. Ergo finis operum Dei, Deus ipse est. Sed nullum bonum reale potuit subiective Deo advenire ex creatione; ideoque illud neque intendere potuit; sed tantum extrinsecum, in eius gloria consistens, in eo nempe quod agnosceretur ut infinita perfectio; recognitio enim perfectionis eius est unicum bonum extrinsecum entis perfecti; sed recognoscendi Deum, capaces sunt tantum creaturae intelligentes; ergo Deus proponit se immediate ut finis creaturis intelligentibus.

445. II. Cum Deus nullam utilitatem ex creatione sibi procuret, sed tantum extrinsecam gloriam, sequitur utilitatem omnem esse creaturarum, quae vere fruuntur existentia eis a Deo donata et bonis quibus cumulatur. Proprie autem fruitio est in ente cognoscitivo quod capax est voluptatis et doloris, et perfecte in ente intelligenti quod et attingit bona ordinis melioris et plena conscientia gaudet suae fruitionis. Bonum

autem summum quo creatura intelligens gaudere potest est Deus, et eo solo fit beata, cum tantum in eius possessione quiescat eius desiderium, quia tunc aequatio habetur inter eius capacitatem et eius actuationem. Hinc Deus finis est ultimus et proprius creaturae rationalis non modo ut det ei gloriam, sed etiam ut ea fruatur. Pertingit autem creatura rationalis ad finem suum ultimum obsecundando impulsum a Deo acceptum et percurrendo ordinem a Deo sibi adsignatum; hic autem est ordo moralis. Ergo huius observantia ducit tandem ad Dei possessionem et perfectam felicitatem. Ex quo homo intelligit recedendo a lege morali, se tandem recedere a Deo, et recedendo a Deo, recedere a sua felicitate; et si illum amittat definitive, consummato omni tempore probationis et vitae quae dicitur *viae*, constituit se in impossibilitate absoluta obtinendi suam felicitatem; hinc incurrit in statum perfectae miseriae et absolutae desperationis. Igitur agnoscit homo se rationali et morali necessitate obligatum observandi ordinem moralem, ut summum bonum Deum consequatur, et cognoscit singulas graves ordinis moralis transgressiones esse posse causam perpetuae suae infelicitatis, cum numquam de sua vita continuanda securus sit. Igitur maximo compellitur stimulo legem moralem observandi.

446. Igitur Deus est auctor obligationis moralis 1° ratione sui dominii absoluti in creaturas; 2° quia ratio Dei ordinem imponit rationi humanae; 3° quia divina perfectio seu bonitas captivat sibi voluntatem ut obiectum adaequatum felicitatis eius; igitur homo necessitate rationali quae moralis dici solet, tenetur observandi legem moralem ex iustitia, quia Dei creatura, ex rationalitate ne a sua recedat natura, et ex essentiali indigentia felicitatis ne miser efficiatur.

447. Religio autem est quae homini veritates has proponit et inculcat ut ex meris cognitionibus theoreticis evadant practicae, nempe excitando opportunos affectus qui voluntatem roborent.

448. Ex expositis autem in postremo argumento, apparet non modo in Deo esse fundamentum obligationis moralis, sed et sanctionem maximam, ideo quia non modo iustitia ostenditur servandi legem, aut necessitas rationalis sed etiam necessitas eudemonologica, ne in miseriam perfectam incurramus; hinc motiva quae religio suppeditat pro lege observanda, perfecta sunt quovis sub respectu ac in infinitum graviora ceteris motivis.

Est igitur religio fundamentum moralitatis; moralitas autem fundamentum est publicae tranquillitatis; hinc religio est mediate fundamentum tranquillitatis publicae, quod erat demonstrandam; et, ut ait Tullius V. in Verr., omnia religione moventur.

449. Sicut in Dei assecutione aut definitiva amissione est perfecta hominis felicitas aut infelicitas, ita felicitas imperfecta, sed vera, consistit pro praesenti vita, in observantia ordinis a Deo praescripti, seu ordinis moralis. Etenim sicut perfecta felicitas consistit in adeptione finis ultimi et in possessione boni perfecti sibi debiti, ita imperfecta felicitas est in consecutione finis proximi et boni sibi debiti ea proportione quae actu possibilis est. Atqui finis proximus hominis est moralis ordo, et in virtute consistit bonum verum, quamvis imperfectum, ad quod homo nunc absoluta destinatione dirigitur. Ergo in eo consistit vera quamvis imperfecta eius felicitas. Et sicut amissio definitiva finis ultimi, aut eius consecutio, continet perfectam sanctionem legis moralis, ita finis proximi procuratio aut negligentia, importat ob sua consectaria, imperfectam quamdam sanctionem legis moralis.

450. Consistit autem sanctio imperfecta, virtutis praemium, in eo quod regulariter sanitas corporis conservatur et vita augetur; mens ipsa roboratur et vigescit; proximi existimatio procuratur et benevolentia, ex qua et honor nobis datur et iustitia et pro opportunitate adiutorium; et praecipue consistit in bono conscientiae testimonio et virtutis nobilitatisque eius delectatione, atque affectuum omnium ordinata et harmonica compositione, atque tandem in firma spe vitae aeternae.

E contra sanctio imperfecta seu poena praesens vitii, sunt mala multa physica, mors praematura, ceterorum spretus, odium, derelictio, degradatio animi, conscientiae remorsus et timor vehemens futuri iudicii.

451. Sed ad plenam rei evolutionem, simulque ad intimius pandendam connexionem moralitatis cum Deo, exponenda est essentialis origo et natura ipsius ordinis moralis qui hominibus praescribitur.

Nobis repraesentando sub virtualibus distinctionibus quae Dei sunt, recolendum est ex naturali theologia, intellectum divinum necessitate sibi essentiali, cognoscere perfecte essentiam Dei; hinc eam cognoscit quovis sub respectu et prout est in se et prout ad extra imitabilis; hinc et prout est participabilis infinitis deficientibus modis; hinc pro entitate quam continet realiter et pro iis quae continet virtualiter.

Ita efformantur ideae archetypae rerum omnium possibilium, quarum uniuscuiusque, intellectus divinus clare et distincte naturam cognoscit, vires, finem, media ad finem, leges operationis, relationes tum cum Deo ipso, tum cum reliquis possibilibus omnibus entibus.

Cumque essentiae rerum omnium nihil aliud sint nisi deficientes participationes essentiae divinae per analogiam, hinc res omnes a Deo infinito sunt essentialiter et plene dependentes, eiusque subiectae dominio et

legi, legemque ab eo accipiunt existendi, operandique. Quod et aliunde innotescit; cum enim sint deficientes imitationes essentiae divinae, quoniam operatio sequitur esse, eam imitantur in suis tendentiis, inclinationibus et operationum legibus ac fine. Hinc Deus est finis ultimus rerum omnium quoad ipsarum operationem sicut est rerum omnium principium quoad earumdem existentiam, seu est prima earumdem ratio tum pro existendo tum pro operando; sed creaturarum rationalium est finis immediatus et proximus, cum capaces sint illum apprehendendi, ad eum tendendi et eo fruendi; ceterae e contra tantum mediate Deum pro fine habent, quatenus enti intelligenti, Dei attributa manifestant illudque diversimode adiuvant ut ad Deum assurgat. Iamvero sicut Dei essentia est absolute necessaria et immutabilis, ita rerum omnium essentia et omnia quae ab ea ex necessitate fluunt; hinc finis earumdem, vires, leges, relationes quae ex comparatione essentiarum exurgunt.

452. Sed eadem essentia plures modos accipere valet, quorum omnium possibilitas necessaria est, sed nullus est necessario ab essentia inseparabilis. Iamvero prout uno vel altero modo ornata essentia supponitur, exurgunt diversae aliae relationes cum aliis entibus, quae non sunt absolute sed hypothetice necessariae, ideoque contingentes relate ad essentiam.

Si autem modus aliquis supponatur stabiliter alicui enti adsignatus, adeo ut in eo natus dicatur, ut in eo conservetur et crescat, tunc hic modus et consequentes relationes dici possunt naturales, prout natura sumitur restrictive pro statu stabili, ab essentiali distincto. Hinc triplex ordo relationum, essentialium, naturalium et contingentium in eodem naturali statu.

453. Iamvero sicut rerum essentia et relationes omnes

essentiales, et possibilitas modorum omnium consequentiumque relationum possibilitas necessaria sunt, ita ut data Dei essentia, haec omnia quoque data sint, ita voluntas divina, haec omnia ex necessitate approbat; etenim ob suam infinitam perfectionem nequit dissentire ab intellectu divino, sed quae intellectus ut necessaria cognoscit, necessitate pari approbat.

E contra rerum existentia non est ab intellectu divino repraesentata ut necessaria, quia non necessario connectitur cum divina existentia; secus Deus non esset perfectissimus, absolutus et plene independens. Igitur rerum existentia non ex necessitate est a Deo volita, sed ex plenissima libertate.

454. Statuta rerum creatione, quoniam nihil indeterminati existere potest, necesse est eligat divina voluntas inter innumeros modos, et, ut ita dicam, positiones in quibus singulae res condi possunt, aliquem determinatum modum, et tunc relationes consequentes exurgunt; hinc efformabitur ordo relationum rerum omnium existentium cum Deo, cum semetipsis et cum aliis, in quo ordine partim essentialia erunt, partim naturalia, partim plene contingentia.

455. Facta huius ordinis electione, iam divina voluntas approbat eum et vult existant relationes omnes quae idealiter antea consideratae sunt ut necessariae sive absolute sive hypothetice. Iamvero ex his relationibus quaedam sunt metaphysicae, quaedam physicae, quaedam morales, prout respiciunt essentias existentes aut naturam in sua entitate inspectam, aut liberas actiones entium intelligentium quoad finem eis a Deo praescriptum, quo ad Deum referuntur et ad invicem commercium habent.

Hic ordo moralis est igitur necessarius partim absolute, prout derivat ab essentia, partim hypothetice,

idest positis quibusdam factis contingentibus relate ad essentiam, sive ponantur a Deo ipso, sive a creaturis; sed iis positis, relatio moralis exurgit necessario. Hinc ordo moralis ex necessitate a divina ratione et voluntate praescribitur et praecipitur homini, eiusque observantia aut transgressio necessario sancitur sanctione imperfecta et perfecta superius descripta.

Habet igitur ordo moralis suam originem, firmitatem ac sanctionem in lege aeterna Dei, seu in ordinatione necessaria rationis divinae, et divinae voluntatis decreto, libero quoad rerum existentiam, sed necessario quoad relationes quae, posita existentia modisque eius determinatis, exurgunt. Est igitur tantae necessitatis, quantae est ratio et consequens voluntas divina.

456. Potest tamen mens humana considerare rerum essentias existentiam ac relationes in se, praescindendo ab ipsarum origine; item considerare finem proximum praescindendo a remoto; et tunc imperfecta cognitione eas sibi repraesentat; invenit tamen adhuc in eis necessitatem relationum, connexionem mediorum et finium, facultatum tendentias ac leges; item sensus moralis legem naturalem approbat, de virtute gaudet, vitium redarguit; sed haec est partialis mentis consideratio, non completa, et eius effectus in sensibilitate spirituali; quorum si explicatio quaeratur, tandem ad Deum assurgendum est ut nos fecimus, et tunc plene nobis rationem reddimus necessitatis et immutabilitatis quam ordo moralis praesefert; nobilitatis eius, pulchritudinis virtutis, turpitudinis vitii, ac moralis sensus approbantis aut reprobantis.

457. Plures autem attendentes ordinem moralem in se, praescindendo ab eius ratione adaequata, quoniam in eo adhuc inveniebant necessitatem et pulchritudinem, occasionem sumpserunt errandi, putantes illum

explicatione non indigere, sed per se esse necessarium et suae pulchritudinis atque obligatorietatis in se causam habere. Hinc falsa systemata moralia, *rationalismi*, *naturalismi* et *sentimentalismi*, prout rationem abstracte consideratam aut etiam humanam, habebant ut adaequatam rationem ordinis moralis eiusque obligationis, vel naturam pariter abstractam aut creaturarum, vel sensum moralem, ut legislatorem ac iudicem praeseferebant.

458. Haec systemata falsa esse apparet; aliud enim est ordinem moralem esse essentialiter necessarium, pulchrum et obligatorium, aliud est huius necessitatis, pulchritudinis et obligationis nullam esse realem rationem distinctam ab ipso ordine sive in abstracto considerato, sive prout est in creaturis; illud enim verum est, hoc falsum, cum et creaturarum existentia rationem suam sufficientem in Deo habeat, et earumdem quoque essentia.

459. Hinc aliud est a ratione prima praescindere, aliud eam negare; illud est incomplete rem considerare, hoc, falso eam repraesentare. Imo negata vera causa et ratione sufficiente, fit ut destruatur postea rationis iudicio reflexo et ea necessitas, pulchritudo et obligatio quae sponte menti apparet in prima et directa rerum apprehensione. Etenim cum illius necessitatis, pulchritudinis et obligationis, seu illius ordinis essentialis, sit aliqua ratio adsignanda, cumque extra Deum non inveniatur, hinc mens negat eam esse realem et ordini concreto applicabilem, sed ut fictitiam habet ac in praxi minime attendendam. Remoto enim Deo, homo desiderio irresistibili incitus suae felicitatis, eam in se et creaturis quaerit et semetipsum ut supremum finem sibi proponit, atque in perfectum incidit egoismum. Quod si ei obiiciatur necessitas et pul-

chritudo ordinis idealis, in conflictu cum ordine reali et physico, facile et satis logice eam habet ut chimaericam et contemnendam.

Nec mirandum est si ex absurdis principiis deveniatur ad absurdas conclusiones, cum contradictio et chaos intellectuale sint necessariae sequelae denegatae alicuius fundamentalis veritatis.

460. Tamen quoniam ordinis moralis enumerata attributa, etsi ex necessitate sint neganda positis falsis principiis, vera tamen in se sunt, et quamvis ipsorum denegetur ratio sufficiens quae in Deo est, tamen non semper id attenditur, nec semper logico ceditur rigori, hinc fit saepe saepius hominem nobilis praesertim indolis et exquisitae educationis, obedire potius legibus moralibus prout sistunt se mentis spontaneae considerationi quam egoismo in quem logice cadere deberet, et sic ex felici contradictione vitari ex parte noxias systematis conclusiones.

Haec pro re nostra innuisse sufficiat cum evolutio ex professo, et solutio eorum quae in contrarium opponi possunt, nimis a scopo nostro iuridico distraherent et in ethicam incideremus.

SECTIO II.

Cura defensiva religionis naturalis.

461. Redeuntes igitur ad quaestiones nostras, posito religionem esse fundamentum quamvis indirectum, permaxime tamen necessarium, publicae tranquillitatis, facile demonstratur:

Propositio — *Societati civili ius est et officium naturalem religionem socialiter defendendi.*

Prob. I. Ex dictis in praecedenti sectione, religio est fundamentum moralitatis; et proinde est quoque fun-

damentum solidum societatis; hinc qui religionem subvertunt, subvertunt ipsius societatis fundamentum. Atqui Statui ius est et officium defendendi fundamentum societatis. Ergo ei ius et officium est puniendi delicta socialia contra religionem, prout sensum religiosum in societate offendunt aut imminuunt.

462. Ex eodem principio probatur quoque Statui ius et officium esse naturalem religionem fovendi. Etenim ei ius et officium est fovendi ea quae sibi utilia sunt. Atqui ex disputatis huiusmodi est religio. Ergo Statui ius et officium est religionem naturalem etiam fovendi.

463. Necessitatem religionis non modo defendendae sed etiam fovendae ut respublica bene se habeat, unanimi consensu veteres sapientes agnoverunt. Ita Plato *De leg.* IV. scribit: « Ante omnia Deum invocemus, ut « civitatem nostram stabiliamus; obsecramusque ut « nos exaudiat, et nobis propitius sit atque benignus; « ut ad nos veniat et leges ipse nos doceat, nostram- « que civitatem ipse custodiat ». Et lib. II. « Primo in « omni republica bene constituta, cura est de vera « religione ». Et lib. VII. « Eius reipublicae quae felix « esse solet, magistratus in veri Dei et veri boni co- « gnitione edoceantur a prima statim infantia. Veri « Dei verique boni ignorantia innumerabilium tum pri- « vatarum tum publicarum calamitatum pessimorum- « que consiliorum in republica fons et origo ». Et lib. X. « Princeps inculcet nullas res externas absque virtute, « iustitia et pietate in Deum esse utiles vel iucundas... « Vera religio basis reipublicae, ideoque omnis impie- « tas punienda ».

Et Tullius asserit Romanos religione subiecisse ceteras gentes; oratione ad Anyp. « Nec numero hispa- « nos, nec robore gallos, nec calliditate poenos, nec « artibus graecos, sed pietate ac religione atque sa-

« pientia, quod deorum immortalium nomine omnia « regi gubernarique perspeximus, omnes gentes natio- « nesque superavimus ».

Et Valerius Maximus lib. I. « Omnia post religionem « ponenda semper nostra civitas duxit; etiam in quibus « summae maiestatis conspici decus voluit; quapropter « non dubitarunt sacris imperia servire; ita se huma- « narum rerum futurum regimen existimantes, si di- « vinae potentiae bene atque constanter fuissent fa- « mulatae ».

464. Sed quaeri potest quousque protendatur ius naturale defendendi religionem in statu merae naturae. Cum profecto deesset norma infallibilis, deficiente revelatione, non posset princeps plus exigere quam exigat sensus communis (in eo etiam gradu quo est in personis honestis et excultis); secus princeps exponeretur periculo errandi, ideoque prohibendi ut mala, quae essent bona obligatoria. Quae autem sensus communis prohibet, iure exigit a civibus; etenim iure exiguntur ea quae nostra intersunt et quorum praestandorum officium iure haberi potest ut evidens ei a quo exigitur. Et sane, cum nostra intersint, iuste ea petimus; cum autem sit debitori evidens officium suum, ea iure exigimus; etenim illum compellimus ad praestanda quae cognoscit esse debita, et proinde quae debita sunt non modo obiective sed et subiective. Hinc Status posset et deberet prohibere quae superstitionem aut impietatem manifeste exhibent.

465. Sed insuper iure naturae, debitus est divinitati aliquis cultus non modo externus sed et publicus, et societatis interest apparere hunc cultum praestitum ab omnibus; ipsa enim omissio notoria, est aliquis spretus religionis naturalis, in nonnullis praesertim circumstantiis, ex. gr. denegatio iuramenti in tribu-

nali. Hinc Statui competit de rigore iuris, ut cives compellere possit ad aliquos actus cultus. Non hic quaerimus an Status possit determinare formas seu ritus cultus religiosi; hoc enim spectat ad sequentem sectionem, sed tantum dicimus posse compellere ad aliquos actus religiosos, esto subditorum sit eligere; quod ius Status multo magis indubium apparet in nonnullis circumstantiis, ex. gr. exigendi iuramentum pro muneribus publicis suscipiendis, pro testimonio reddendo etc.

466. Obiiciunt: et ea quae sensus communis sunt, ideoque evidentia omnibus moraliter loquendo, posse inculpabiliter ignorari aut negari ab aliquo; hinc numquam esse ius puniendi aliqua ut subiective superstitiosa aut impia, cum forsitan et bona fide quis atheus esse possit.

Resp. transmittendo antecedens et negando consequens. Etenim etiamsi supponeremus aliquas veritates sensus communis posse ignorari aut denegari bona fide, quod generatim saltem negandum est si agatur de homine rationis usu pollente, tamen non sequeretur consequens. Etenim non diximus ad exigenda aliqua, necessariam esse certitudinem absolutam de cognitione obligationis ex parte debitoris, sed necessarium est id a nobis iure praesumi; requirere enim absolutam certitudinem esset contra naturam humanam, quia nulla obligatio urgeri posset, cum absolute loquendo semper possit suspicari de aliquo possibili errore bona fide contracto: id ergo redderet quamlibet societatem impossibilem, et inefficacia iura nostra. Ergo sufficit iuxta communiter contingentia talem obligationem constare debitoribus; tunc enim iure praesumimus constare et singulis debitoribus. Quod si aliquando alicui non constabit, id erit per accidens, et quae sunt per accidens, nequeunt semper attendi in societate humana.

SECTIO III.

De ordinatione positiva religionis in statu merae naturae.

467. Resoluta quaestione de religionis naturalis defensione, superest inquisitio de positiva eius ordinatione, idest de ordinando ipso cultu divino publico; dicimus publicum; etenim privatim cultus quicumque dummodo non superstitiosus, profecto liceret, nec a principe posset interdici nisi iniuria. Sed Deo debetur non modo externus sed cultus publicus. Cultus publicus est et qui fit coram societate, et qui a societate, quatenus vel omnes (moraliter) participant, vel ab aliquibus repraesentantur. Primo sub respectu cultus dicitur publicus quoad modum; secundo sub respectu quoad causam efficientem.

Deo deberi cultum publicum primo sub respectu, probatur 1° quia necessarium est ut homines ad invicem sese excitent ad religionem excolendam; si enim iure naturae tenentur ad mutuum adiutorium sibi praebendum, id maxime viget in re maxime necessaria, ut est religio. 2° Cultus publicus singulos magis excitat quam privatus.

468. Sed Deo debetur cultus publicus et 2° sub respectu; nam societas humanae familiae est a Deo et eius forma perfecta est civilis; igitur societas humana agnoscere debet Deum ut auctorem suum, ideoque cultus aliquis ei tribuendus est socialiter.

469. Quaeritur ad quosnam ex iure naturae spectaret haec positiva ordinatio cultus divini publici, iuxta 2^{am} significationem (nam quoad 1^{am} idem dicendum ac de cultu privato). Cum in hac re non plene consentientes sint et catholici optimae notae, quae probabiliora videntur, exponemus, in utramque partem argumenta

proferendo, nonnullis propositis distinctionibus quae rem componere videntur; et simul ostendemus in quavis hypothesi, sarctum tectumque esse ius Ecclesiae.

470. In antecessum advertimus quaestionem hanc, sicut et ceteras, non esse resolvendas inspiciendo quod utilius Ecclesiae videtur; etenim 1° haec argumenta ex utilitate derivata, nequeunt urgeri in disputatione cum adversariis; quod enim nobis utile, ipsis noxium esse solet, ideoque ex eodem motivo impelluntur in contraria; 2° sunt argumenta periculosa ex affectu, cum multis modis utilitas concipi aut procurari possit; 3° sunt semper argumenta secundaria; etenim quamvis verum sit sinceram utilitatem semper cum veritate coniungi, adeo ut liceat ab una ad alteram arguere, sicut ab effectu ad causam et a causa ad effectum necessarium, tamen obiective non est veritas quae derivet ab utilitate, sed utilitas sincera a veritate.

471. Hoc posito in memoriam revocamus religionem inspici posse dupliciter: 1° ut est medium pro felicitate alterius vitae consequenda, idest directe prout religio est; 2° prout est fundamentum moralitatis et societatis, idest indirecte. Primo sub respectu reipublicae non interest, sed tantum individui (non loquimur enim de charitate sed de iure); est proinde negotium ordinis individualis, non socialis; item efficacia procurandi vitam futuram actibus religiosis, impertiri tantum potest a Deo, non autem ab hominibus; hinc hoc sub respectu non est ordinabilis a principe. Si autem a Deo sub 1° respectu ordinaretur, esset iam ordinata et quoad 2^um^, et Deo providente quaecumque alia auctoritas cessat. Etiam sub 2° respectu quaeri potest an religio sit obiectum proprium officii regalis, vel an tantum secundarium, contingens et devolutivum. Si 1^um^, princeps excludit quemcumque alium;

si 2um, tunc illud curat tantum nemine curante; hinc si sit alter qui curet, princeps non curat; si nemo sit, ad eum devolvitur. Rem colligere possumus in quatuor sententias: Ia ait religionem naturalem esse negotium naturaliter directum et proprium principum quatenus religio est; IIa adhuc ait esse negotium principum non praecise quatenus religio est, sed quia et quatenus est fundamentum societatis; IIIa spectare ad principes tantum devolutive, idest si nemo sit qui curet; IVa nullo modo principes posse sese negotiis religiosis immiscere.

472. Iamvero pauci omnino et falso asseruerunt religionem, attento mero ordine naturae, esse obiectum proprium et directum iuris regalis quatenus religio est; etenim societas civilis non instituitur ad religionem exercendam, sed ad felicitatem temporalem procurandam; atqui religio directe non est medium proportionatum felicitati temporali procurandae; ergo directe non refertur ad officium principis, nec sub eius continetur competentia. Igitur 1a sententia est falsa.

473. Quoad 2am sententiam observandum est I. religionem primario et directe ordinari ad cultum Deo debitum a singulis, atque ad felicitatem cuique aeternam comparandam; hinc potest 1° ordinari a Deo; 2° maxime interest individui.

II. Religio est etiam fundamentum societatis; sed hoc est quid secundarii; hinc nequit per curam huius secundarii officii, praeiudicari primo; et proinde numquam posset princeps impedire actus religiosos privatos praetextu relationis quam religio habet ad societatem. Si autem publica religio non ordinetur a Deo, ordinanda est ab hominibus; quaeritur an a principe. Notandum est ea quae ad nostrum officium referuntur tantum indirecte, quia connectuntur cum eo

vel ab eo supponuntur, non semper a nobis directe curari et ordinari posse; sufficit enim a nobis habeantur sive a nobis curata, sive ab aliis subministrata. Ex hoc certe probatur principi ius esse ordinandi cultum publicum religiosum si nulla alia sit instituta auctoritas, prout asseritur in 3ª sententia. Eius enim interest pro suo scopo; sed ei non competit si aliter sit religio legittime instituta.

474. Quod ut appareat distinguenda est ut supra, cura negativa seu defensiva religionis, et positiva seu ordinativa eiusdem. Illa praestari potest tantum a principe, ne in eadem societate duas inducamus vires armatas, quod est inconveniens; e contra cura positiva cultus divini, potest praestari et ab aliis; hinc sacerdotium institui potest sive a Deo, sive etiam ab hominibus, distinctum a principatu. Differentia autem erit quod institutum a Deo sanctius erit et efficacius; et si eius adsistentiam habuerit ita ut numquam possit errare, nil iuris competet principi in sacerdotium ipsum; e contra sacerdotium humanae institutionis fallibile est ita ut duobus modis peccare possit, 1° usurpando sibi regalia, 2° errando in ipsa re religiosa, proponendo impia et superstitiosa. Princeps igitur posset in 1° casu sese defendere, in 2° corrigere, cum laederet tunc fundamentum societatis.

475. Institutio sacerdotii humani, distincti a principatu, fieri posset, ut notat Suarez, *Defensio fidei*, lib. 4. cap. 3. n. 11, quia per se scopus religiosus est distinctus a civili (1); tantum si humanitus instituatur, principi integrum erit ius supradictum corrigendi sacerdotium si erraret. Si autem nullo existente sacerdotio, simpliciter princeps constituatur, tunc ad ius

(1) V. Rohrbacher, *Hist. Eccles.* lib. IX.

eius spectaret sacerdotium publicum quatenus nomine totius societatis Deum agnoscit, cum ipse caput sit societatis habentis hoc officium, et eius sit curare societas satisfaciat muneri suo, et nullum ex hypothesi esset constitutum sacerdotium appositum quo uti debeat princeps ut princeps est; hinc iam ei intelligitur collatum tale ius, idest intelligitur non facta separatio sacerdotii et principatus, quae a populo in institutione societatis fieri poterat. Hinc s. Isidorus can. 1. § 8. dist. 21. (qui est ex genuinis) ait: « Antea autem qui « reges erant et pontifices erant. Nam maiorum haec « erat consuetudo ut rex esset etiam sacerdos et pon« tifex. Unde et romani imperatores pontifices dice« bantur ». Item Tullius de divinat. « Qui rerum po« tiebantur auguria tenebant; ut enim sapere, sic « divinare regale est ». Et Virgilius lib. III. v. 80. « Rex Anius, rex idem hominum, Phaebique sacerdos ». Aristoteles loquens de antiquis regibus seu heroibus graecis, Polit. III. cap. 3. ait: « Hi et imperium habe« bant belli et rei divinae cultum exercebant; nisi ta« lia essent sacrificia, quae sacerdotem requirerent ». Plato in dialogo de regno, ait apud aliquas Graeciae gentes, curam sacrorum regibus commissam fuisse postquam inter sacerdotes fuissent adscripti. In Ægypto vigebat regem esse non posse qui non esset sacerdos; hinc invasor regni statim adscribebatur sacerdotio; alia facta citavimus num. 269. In Dialogo autem de legibus idem Plato ait ex sua sententia sacerdotum electionem esse diis committendam iaciendo sortes.

Singularem mentionem merentur Æthiopes, de quibus Diodorus siculus Rerum antiq. lib. 4. habet: « Æthio« pum leges quaedam non parum a reliquarum gentium « legibus, maxime vero circa regis electionem diffe« runt. Nam sacerdotes optimos ex seipsis eligunt ».

Idem ibidem: « Sed praeter omnium opinionem miran-
« dum videtur, quod fertur de regum morte. Nam ii
« qui in Meroe sunt circa Deorum sacra dediti sacer-
« dotes, et hi quidem maxima apud omnes pollent
« auctoritate, cum eis visum fuerit, regi nuntiant ut
« mortem oppetat.... Et sane superiores omnes reges
« sacerdotibus non armis neque vi coacti, sponte pa-
« ruerunt. At Ptolomaei secundi tempore, rex Æthio-
« pum Ergamenes, graecis doctrinis philosophiaeque
« deditus, hunc primus morem sprevit ».

Apud romanos autem postquam Numa fingendo noc-turnos cum Dea Egeria congressus, rem sacram ordi-nasset, eiectis regibus, cum quaedam sacrificia essent a rege offerenda, ne populus huius rei causa reges re-stitueret, electus est rex sacrificus, qui eadem offerret; sed erat sub potestate pontificis maximi. Ex Diony-sio autem halicarnasseo lib. II. scimus pontifices rem omnem circa sacra curasse, quin populo aut Senatui rationem redderent, mulctando inobedientes, cum ipsi exempti essent ab omni iudicio. Mortuo autem aliquo ex eis, alium sufficiebant. Sed a. u. c. 601. Gneus Dio-nysius trib. plebis, ius eligendi sacerdotes, teste Tullio et Svetonio, in populum transtulit. Sylla dictator re-stituit pontificibus, et T. Labienus plebis tribunus rursus populo, consulibus Tullio et Antonio (ex Dione Cassio lib. 37). Augustus autem rursus restituit colle-gio pontificum. Ceterum pontifex maximus eligebatur in comitiis tributis, sed ex numero pontificum, et oc-ciso Caesare, Lepidus invasit pontificatum maximum, et post eum Augustus et reliqui imperatores, usque ad Gratianum, qui primus reiecit insignia et titulum Pontificis Maximi, (nam antecedentes imperatores chri-stiani politicae causa, hunc titulum more paganorum gesserunt). Ex quibus apparet et apud gentes penes

quas reges erant sacerdotes, sacerdotium habitum esse ut aliquid distinctum a dignitate regia.

476. Ceterum constitutio summi sacerdotii in personis distinctis a principe praesertim facta est in regimine populari, ita ut alii essent pontifices, alii consules; sed proprie princeps erat populus qui constituebat sibi et pontifices et consules; qui profecto pontifices, repugnante populo nihil potuissent; hinc aliquando factum est ut democratiis conversis in monarchias, remanerent antiqua collegia sacerdotalia cum suis pontificibus maximis, qui erant in officio suo independentes a regibus, sicut olim fuerant a consulibus; id ex constitutione politica eiusdem populi, a quo emanabat potestas pontificum et regum; et naturaliter loquendo, si populus voluisset, caruissent pontifices qualibet auctoritate. Non autem potuisset solus rex abolere pontificatum, cum ius regium ei datum esset iam divulsum a iure sacerdotali. Item si populum aliquem sibi iusto bello subiiceret in quo ordo religiosus a civili iam esset distinctus, nequiret abolere eius sacerdotium, cum haec divisio facta sit legittime iure gentium, seu iure quo pollebant singuli populi haec dividendi. Hinc reges et imperatores curabant adscribi collegio sacerdotum, ut omnia ad se traherent, et etiam in summos eligi pontifices.

477. Etsi vera esset opinio de unitate potestatis regiae et pontificalis, divisio adhuc fieri posset, sicut in gubernio repraesentativo dividitur potestas legislativa a iudiciali et executiva; neque obstat subiectum supremae potestatis oportere esse unum; etenim 1° subiectum verum esset semper populus, cuius nomine imperaret rex et pontifex; 2° quia haberi potest subiectum morale; ideoque suprema potestas resideret in subiecto composito ex rege et pontifice, quibus concordantibus

omnia recte procederent; dissentientibus, oporteret extare medium aliquod dirimendi quaestionem, ex. gr. iudicium populi, ut fit in qualibet forma gubernii, cum subiectum potestatis supremae est morale; oportet enim sit aliqua norma in casu dissensus inter partialia subiecta auctoritatis. Hinc 2ª sententia est excessiva.

478. Ceterum 3ª sententia est admittenda. Cum enim religio sit fundamentum moralitatis, indirecte interest principis religionem bene se habere; quamvis enim ipsa non producat per se felicitatem temporalem, tamen est conditio ut produci possit; nisi enim homines sint intime religiosi, non abstinebunt a delictis, ut in prima sectione huius articuli demonstratum est. Igitur principis valde interest ordo religiosus; iamvero vel illum invenit institutum, vel non: si 1um, utitur ordine religioso quem invenit, eumque protegit ac defendit; si 2um, eum curat inducere, tamquam conditionem socialitatis, cum eius intersit et nullius ius offendat, cum ex hypothesi nemo sit ad quem cura religionis spectet; qui autem ius habet ad aliquid, ius habet et ad connexa, nisi sint iuris alterius.

479. Praeceptum tamen regis in re religiosa est semper praeceptum civile seu temporale, idest servandum ob obedientiam debitam legittimo superiori, ut et in ceteris legibus iustis; non est praeceptum religiosum, idest servandum ex motivo religioso; idem dic de praeceptis pontificum qui essent auctoritate humana instituti; etenim ut praeceptum esset religiosum, oporteret respiceret religionem directe prout religio est et via ad salutem; sed hoc non pertinet ad societatem, sed ad individuum et ad Deum, ideoque tantum a pontifice divinitus dato curari potest.

480. Ex demonstratione 3ae sententiae apparet falsitas 4ae. Sed eius fautores obiiciunt: auctoritas prin-

cipis est fallibilis; sed auctoritas fallibilis nequit religionem curare. Ergo auctoritas principis nequit curare religionem.

Conc. maior; quoad minorem dist. nequit curare exigendo absolutum assensum et consensum in omnibus conc.; exigendo obedientiam in iis quae rationi non contradicunt nego.

Infallibilitas requiritur tantum pro assensu absoluto mentis, vel pro obedientia inconditionata, non autem pro obedientia in iis quae rationi non demonstrantur adversari. Secus principi numquam debita esset obedientia, neque patri, neque ceteris superioribus, qui profecto fallibiles sunt.

481. Item dicunt: cum patres familias vivebant in statu extra sociali, erant et sacerdotes suae familiae; cum autem impellente necessitate in societatem civilem coaluerunt, renuntiaverunt quidem propriae independentiae in civilibus, sed non in religiosis, ideoque ipsis mansit sacerdotium sicut et patria potestas.

Resp. est: religionem inspici posse et prout inservit individuo et familiae et societati: 1° sub respectu iuris individualis est; tamen quoniam pater naturaliter suscipit curam et filiorum, donec sub eius potestate sunt, hinc eos et in religione instituit; 2° sub respectu patris est nisi Deus aliud sacerdotium statuat; sed et tunc aliquae partes patri semper manent; sub 3° est societatis; hinc principi ius est 1° defendendi religionem, sicut supplet et corrigit ipsam auctoritatem paternam; 2° cum singuli patresfamilias nequeant providere cultui publico societatis, saltem devolutive a principe providendum est, cuius est cura ordinis civitatis.

482. Ceterum in re naturali parum discrepant duae sententiae concedens principi tantum ius defendendi

religionem et concedens ei ius positivae ordinationis saltem devolutive; etenim officium praecipuum est negativum, seu impediendi superstitiones et impietates, cum ordinatio positiva naturaliter, vix consistere posset in aliquo actu solemni cultus redditi Divinitati a Magistratibus et populo per modum unius, ut apud sinenses semel vel iterum fit anno. Verum hic non quaeritur an huiusmodi religio naturalis et cura principum sufficiens esse posset, sed loquimur hypothetice; ceterum ex thesi de necessitate relativa divinae revelationis quae in theologia generali proponitur, scimus religionem naturalem in praesenti statu esse insufficientem hominum generi; item ex perpetua experientia scimus, curam principum, religionem pervertere, cum eam *politicae* inservire faciant, ideoque non terrena coelestibus famulentur sed e contra. Hinc sapientissime Deus et ex hoc fine, utrumque ordinem, religiosum et civilem separavit.

483. Videamus modo quibus argumentis pugnent qui contendunt religionis curam positivam, esse obiectum proprium principis, non autem devolutivum. Dicunt: hominis evolutio una est, seu natura hominem destinat ad suam perfectionem in hac vita; haec perfectio habetur in evolutione harmonica totius hominis; perfectio hominis est obligatoria quoad quaedam; de consilio quoad cetera; est obligatoria quoad necessaria moraliter; huiusmodi est religio. Hoc posito certum est hominem indigere societate ut in religione proficiat; societas enim est quae tum menti tum voluntati, suppeditat rectam institutionem, quae quidem multorum hominum consortium requirit, regulariter loquendo. Sed unus est ordo evolutionis humanae; ergo unus ordinator; sed naturaliter hic est princeps; ergo princeps suscipit curam religionis naturaliter, non mo-

do prout interest socialis ordinis, sed quatenus religio est.

Resp. utique unum esse hominem, ideoque harmonicam esse oportere eius evolutionem; cum autem homo societate indigeat et pro religione, harmonia esse debet inter eos qui religionem curant et qui vitam civilem; verum harmonia haberi potest supernaturaliter et per subordinationem principis sacerdoti; quin necesse sit principem esse pontificem, vel naturaliter loquendo per aliquam subordinationem sacerdotis principi, indirectam, quam supra in expendenda 3ª sententia diximus indubie principi competere, idest corrigendi excessus, nisi populus sibi reservaverit, quo casu verus princeps est populus. Iamvero aliud est quaedam subordinatio, aliud est identificatio, ita ut sacerdotium sit emanatio necessaria imperii, et sacerdotes nihil aliud nisi eius ministri; nam et familia est subordinata imperio, sed distincta et ab eo non emanat eius auctoritas; subordinatio aliqua in humanis necessaria est pro unitate societatis servanda; identificatio necessaria non est. Hinc naturaliter loquendo sufficit princeps in curanda felicitate temporali, prae oculis habeat principia religiosa naturalia, et praesertim caveat ne religio per impietatem et superstitionem offendatur, quae est cura negativa, cum de cetero in parte positiva parum aut nihil naturaliter praestari possit, et aliis relinqui valeat, si qui sunt qui id curent, saltem iure gentium. Hinc sicut scientias et artes princeps non directe gubernat, neque enim competens est circa principia earumdem, sed sequitur prudentum iudicium, et ideo tantum indirecte fovet, idem esset et de religione. Ordo autem evolutionis humanae, non unus est ratione materiae et finis proximi, sed tantum subiecti et finis ultimi; hinc non requirit unitatem regiminis pro om-

nibus materiis, et religiosis et civilibus, sed tantum haberi respectum ad unitatem personae. Religio autem per se et primario non refertur ad bonum vitae praesentis, sed futurae; hinc neque est primario negotium sociale, sed individuale; et prout tale est, etsi adiuvari possit educatione familiari donec quis sub patris familias potestate est (tendit enim educatio domestica ad evolutionem ipsius personae eiusque institutionem in individualibus), item etsi corrigi possit a principe, non tamen proprie et directe est competentiae principis et societatis, sed individui; hinc tantum potest administrari ab auctoritate a Deo data, quae capax erit moderandi relationes individui cum Deo. Quod autem spectat ad societatem est relatio secundaria et sufficit cura negativa et indirecta quam principi adscripsimus, ne secundarium substituatur principali.

484. Hinc apparet et quid dicendum sit de propositione minori, idest hominem indigere societate et pro re religiosa. Distinguo: indiget societate civili, nego; societate aliqua humana tamquam aliquo adiutorio, praesertim institutione domestica, concedo; e contra societas civilis, non est merum adiutorium pro felicitate temporali, sed pro ea habet efficaciam propriam, et pro hominum genere est necessaria.

485. Habita autem hominum multitudine et pro religione excolenda, civilis auctoritas vel identificata vel distincta ab auctoritate religiosa, est necessaria ut ordinate coëxistat hominum multitudo, sicut si ad scientias uniretur; in hac hypothesi officium auctoritatis civilis non est supplere insufficientiae sociorum pro scopo scientifico, sed ordinem externum seu iuridicum inter socios conservare.

486. Haec de religione naturali. Ex defensione 2ae sententiae quam suscepimus, statim apparet constituta

Ecclesia, nullum ius positivum superesse principi in re religiosa neque naturalis ordinis; adest enim qui providet religioni, ex facto Dei, nec huiusmodi officium essentiale est principatui, sed tantum devolutivum. Sed etsi vera esset 2ª sententia, tamen semper Deo esset ius mutandi ordinem naturalem, cum id esset in bonum societatis et ipsius principatus, ut supra dictum est in responsione ad difficultates num. 244. Ad rem facit prima pars propositionis 41. Syllabi: « civili po-« testati vel ab infideli imperante exercitae competit « potestas indirecta negativa in sacra; eidem proinde « competit nedum ius quod vocant *exequatur*, sed etiam « ius appellationis, quam nuncupant, ab abusu ».

SECTIO IV.

Iura et officia Status erga religionem revelatam intuitu civilis utilitatis.

487. Inquiramus II. relationes principis ad religionem revelatam. Possumus considerare ius et officium principis relate ad tria: 1° quoad ipsam religionem, et in casu nostro quoad Ecclesiam; 2° quoad subditos delinquentes in religionem; 3° quoad alios principes.

Quoad I^um^, cum fundamentum moralitatis et societatis sit vera religio, et in hypothesi vera religio sit tantum revelata, eaque sola habeat efficaciam tutandi ordinem moralem et socialem, apparet esse officium principis naturale hypotheticum defendendi revelatam religionem; igitur competit ei cura negativa; nullo autem modo positiva, cum pro ea adsit magistratus a Deo statutus et quidem independens absolute a principe. Competit tamen ei ius et officium religioni favendi, cum sic promoveat bonum societatis, cuius favoris natura infra exponetur § 6.

488. Quoad II. si consideremus ius principis quoad subditos delinquentes, habet ius eos puniendi, cum eius intersit punire perturbantes ordinem socialem; imo habet officium id praestandi et intuitu aliorum civium, ne avertantur a sua religione. Numquam tamen plus punire potest quam patiatur ipsa auctoritas religiosa, ne noceat principali, idest religioni, dum prosequitur secundarium, idest bonum temporale. Hinc aliquando Ecclesia coarctavit zelum principum; ita Clemens IV. die 12 Iulii 1268 Bullam direxit S. Ludovico Galliarum regi, ut poenas contra blasphemos mitigaret; et idem Pontifex sub eadem die scripsit Regi Navarrae: « Fa- « temur quod in poenis huiusmodi tam acerbis, cha- « rissimum in Christo Filium nostrum regem Franco- « rum illustrem, non deceat imitari ».

489. Quoad III. idest quoad alios principes regulariter, idest cum societas est in statu normali, princeps excludit a suo territorio alios principes pro defensione religionis; etenim solus habet vim armatam in suo territorio. Si tamen sermo esset de summi Pontificis defensione, quoniam eius auctoritas est intrinseca cuilibet regno, iuste omnes reges possunt eum defendere, cum omnium intersit eum esse liberum.

SECTIO V.

Reassumptio et applicatio eorum quae exposita sunt.

490. Praestat paucis perstringere quae hactenus exposita sunt de relationibus principis ad religionem, eaque applicare.

1. Certum est iure naturae Deo deberi cultum publicum.

2. Hinc requiritur aliqua auctoritas religiosa, siquidem nisi aliquis praesit auctoritative in magna societate, res anarchice et confuse procedent.

3. Per se finis religiosus distinguitur a civili; etsi enim religio maxime intersit societatis, est tantum indirecte; hinc

4. Non repugnat divisio utriusque auctoritatis; imo

5. Expedit, ne religio inserviat terrenis.

6. Nulla extante speciali auctoritate, cura positiva religionis devolvitur ad principem.

7. Semper autem ad eum spectat cura negativa, seu defensiva, in statu naturae.

8. Item ius invigilandi et corrigendi excessus sociales sacerdotum in eodem statu naturae.

9. Quod autem ad eum iure naturae exclusive spectet cura positiva religionis, non est certum, ideoque nequit in hoc fundari ius ceteros excludendi.

10. Certum est si a Deo instituatur auctoritas religiosa, cessare in principe quodcumque ius Pontifici non subordinatum.

11. Certum est apostolos evidenter probasse suam divinam missionem, ideoque in mala fide constitutos esse tum gentiles tum hebraeos; ideoque iniuste impedire libertatem christianae religionis, remanente principibus iure et officio defendendi religionem iudicio ipsius Ecclesiae.

12. Quod si divinitas christianae religionis evidenter non appareret alicui principi, tamen permittendum ab eo esset subditis eamdem sequi, cum saltem probabilis ei videri debeat, ideoque possibile sit subditos rationabiliter persuasos esse de eius divinitate.

SECTIO VI.

Demonstratio theologica officii principis defendendi et adiuvandi veram religionem.

491. Eadem veritas hactenus demonstrata ex ipso naturali iure, quod nempe principis officium sit veram

religionem, et proinde revelatam, defendere eamque adiuvare tum in ministerium ipsius Ecclesiae, tum in utilitatem civilem, deducitur etiam ex revelatione; hinc probamus ex traditione reges in societate christiana teneri ad Ecclesiae defensionem. Ex quo argumento illud utilitatis derivatur, quod etsi reges non tenerentur praecepto hypothetico legis naturae ad defensionem atque protectionem Ecclesiae, certo tenerentur ex voluntate Dei positiva. Igitur argumentum hoc theologicum confirmat, et si opus esset suppleret argumento philosophico hactenus allato.

492. Hoc posito probatur 1° ex s. Ambrosio, qui in sermone contra Auxentium scribit: « Carissimi enim « (imperatores) Ecclesiae filii sunt et patroni; quo- « rum est eamdem ut parentem diligere eiusque cau- « sam et iura custodire ».

2° S. Leo M. epistola ad Leonem augustum 125. al. 75: « Debes incunctanter advertere, regiam pote- « statem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime « ad Ecclesiae praesidium esse collatam, ut ausus ne- « farios comprimendo et quae bene sunt statuta defen- « das et veram pacem his quae sunt turbata restituas ».

Et can. 21. c. 23. q. 5. (ex genuinis) idem s. Leo in epist. 29. ad Pulcheriam augustam: « Res autem hu- « manae aliter tutae esse non possunt, nisi quae ad « divinam confessionem pertinent, et regia et sacer- « dotalis defendat auctoritas ».

3° S. Augustinus epist. 185, al. 50 ad Bonifacium comitem n. 19: « Aliter servit (rex Deo) quia homo « est, aliter etiam quia rex est. Quia homo est, ei « servit vivendo fideliter, quia vero etiam rex est, « servit leges iusta praecipientes et contraria prohi- « bentes convenienti rigore sanciendo; sicut servivit « Ezechias lucus et templa idolorum et illa excelsa,

« quae contra praecepta Dei fuerant constructa, de-
« struendo... sicut servivit rex Ninivitarum universam
« civitatem ad placandum Dominum compellendo....
« sicut servivit Nabuchodonosor omnes in regno suo
« positos a blasphemando Deo lege terribili prohiben-
« do ». Et num. 8. « Nam et temporibus prophetarum
« omnes reges qui in populo Dei non prohibuerunt,
« nec averterunt quae contra Dei praecepta fuerunt
« instituta, culpantur, et qui prohibuerunt et averte-
« runt, super aliorum merita laudantur ». Et num. 20.
« Cum nondum reges Domino servirent, sed adhuc
« meditarentur inania adversus Dominum et adversus
« Christum eius, non utique tunc possunt impietates
« legibus prohiberi, sed magis exerceri... Postea vero
« quam coepit impleri quod scriptum est: Et adora-
« bunt eum omnes reges terrae, omnes gentes servient
« illi, quis mente sobrius regibus dicat: Nolite curare
« in regno vestro a quo teneatur, vel a quo oppugne-
« tur Ecclesia Domini vestri: Non ad vos pertineat
« in regno vestro, quis velit esse sive religiosus sive
« sacrilegus; quibus dici non potest: Non ad vos per-
« tineat in regno vestro, quis velit pudicus esse, quis
« impudicus? an fidem non servare levius est animam
« Deo, quam foeminam viro? Aut si ea, quae non con-
« temptu sed ignorantia religionis committuntur, mi-
« tius vindicanda, numquid ideo negligenda sunt (1)? »

4° S. Gregorius M. ad Mauritium imp. lib. 2. ep. 11.
« Ad hoc potestas super omnes homines Dominorum
« nostrorum pietati coelitus data est, ut qui bona ap-
« petunt, adiuventur, et coelorum via largius pateat:
« ut terrestre regnum coelesti regno famuletur ».

(1) Vide in Decreto, c. 23. q. 3. can. 40. 41. 42. 44. — q. 8. can. 21.

Item 5° Concil. constantinop. I. (Aec. 2.) apud Labbaeum tom. VI. col. 1048. « Rex regum idemque sacerdos sacerdotum, qui solus Ecclesiam regere potuit quam redemit, postquam humanitatem suam in coelum evexit, semper cum suis futurus divinitate, potestatem suam ad eamdem gubernandam Ecclesiam in sacerdotes divisit et reges, ut quod sancti doceant Pontifices, et ipsi impleant, et impleri faciant devotissimi reges ».

6° Conc. Ephesinum (Aec. 3.) ep. ad Augustos cap. 8. « Ut quemadmodum singuli eorum (imperatorum) sanctorum Patrum synodis imperii sui tempore celebratis paruerunt Patrumque sanctiones legibus suis munierunt, et quam illis deferrent observantiam decretis suis ostenderunt, ita et vos ».

Item in ep. ad eosdem augustos Theodosium et Valentinianum: « Quod si quis vestras sanctiones spreverit, ille vestrae dominationis indignationem formidet. Sic enim apostolica fides per vestram pietatem munita persistet illaesa ». Hinc praefecti imperiales, Flavius Antemius Isidorus, Flavius Bassus et Flavius Simplicius in edicto prohibente libros Nestorii aiunt: « Humana natura semel corrupta, calidisque sermonibus et deterioribus cogitationibus irretita, difficile ut sanioribus consiliis acquiescat, induci solet; ac propterea metu maiore opus est, graviorique animadversione ». Et libri Nestorii sub poena capitali prohibiti sunt.

7° Eamdem poenam inflixerat Constantinus M. retentoribus librorum Arii; item Arcadius et Honorius pro libris Eunomianorum; et postea Valentinianus et Marcianus pro libris Eutichianorum et Apollinaristarum; item Honorius et Theodosius pro libris aruspicum et astrologorum « nisi parati sint, codicibus erroris

« proprii sub oculis episcoporum incendio concrematis « catholicae religionis cultui fidem tradere, numquam « ad errorem primum redituri ».

8° S. Coelestinus papa ad Theodosium imp. tom. 3. apud Labbaeum col. 619. ait: « Regibus maiorem fidei « causam esse oportere, quam ipsius regni, ampliusque « pro pace Ecclesiarum clementiam illorum sollicitam « quam pro omnium securitate terrenorum ».

9° Hinc can. « principes » 20. caus. 23. q. 5. qui est genuinus s. Isidori hispalensis lib. 3. seu de summo bono c. 55. « Principes saeculi nonnunquam intra Ec- « clesiam potestatis adeptae culmina tenent, ut per « eamdem potestatem disciplinam ecclesiasticam mu- « niant. Ceterum intra Ecclesiam potestates (*civiles*) « necessariae non essent nisi ut quod non praevalet « sacerdos efficere, per doctrinae sermonem, potestas « hoc impleat per disciplinae terrorem.... Cognoscant « principes saeculi Deo debere se rationem reddere « propter Ecclesiam quam a Christo tuendam susci- « piunt.... ».

10° Ludovicus pius imp., capitularibus Francorum an. 823. « Ut nostro auxilio suffulti, quod vestra auc- « toritas (episcoporum) exposuit, famulante ut decet « potestate nostra, perficere valeatis ».

11° Et s. Petrus Damiani tom. 3. opus. 4. (pag. 30. edit. 1642): « In uno Mediatore Dei et hominum, haec « duo, regnum scilicet ac sacerdotium divino sunt con- « flata mysterio : ita sublimes istae duae personae « tanta sibimet unitate iungantur ut quodam mutuae « charitatis glutino et rex in romano Pontifice et ro- « manus Pontifex inveniatur in rege ».

12° Inter scholasticos haec theoria communis fuit, ut vidimus agentes de vi armata in exemplificatione quam afferebant duplicis gladii. Sufficiat pro omnibus

auctoritas s. Thomae in op. de regimine principum (1) lib. 1. cap. 15. ait: « Cuicumque incumbit aliquid per-« ficere quod ordinatur in aliud, sicut in finem, hoc « debet attendere, ut suum opus sit congruum fini.... « quia igitur vitae qua in praesenti bene vivimus, finis « est beatitudo coelestis, ad regis officium pertinet ea « ratione vitam multitudinis bonam procurare secun-« dum quod congruit ad coelestem beatitudinem conse-« quendam, ut scilicet ea praecipiat quae ad coelestem « beatitudinem ducunt, et eorum contraria, secundum « quod fuerit possibile, interdicat ». (Ex quibus verbis si quis obiiceret sequi in statu naturae ad principem spectare curam positivam religionis, respondemus id verum esse si nemo alius provideat; secus ad principem spectaret urgere iusta praecepta Pontificis humani, sicut nunc Pontificis iure divino statuti).

SECTIO VII.

Difficultates.

493. Obiiciunt contra officium principum tuendi Ecclesiam: I. Status protectio data Ecclesiae perturbat civilem societatem.

Resp. Status protectio erga religionem catholicam perturbat societatem civilem semper et per se nego, aliquando et per accidens conc.; hinc non est admittenda, contrad. ut norma nego, ut exceptio conc.

Et 1° falsum est protectionem verae religionis, idest catholicae, concessam a Statu, eum perturbare ex sui natura, seu per se et semper. Etenim id falsum est

(1) Hoc opus est s. Thomae usque ad cap. 4. lib. II. Reliqua usque ad finem lib. IV. addita sunt a fr. Tolomaeo Lucensi, episcopo Torcelli.

I. theoretice, cum quae a Deo ordinata sunt, nequeant per se esse in detrimentum publicae tranquillitatis; ipse enim sicut auctor est rationis, est et revelationis, ideoque numquam est vera repugnantia inter revelationem et rectam rationem; ita cum auctor sit societatis civilis et Ecclesiae, nulla est per se repugnantia inter bonum religionis et civile; imo maxima concordia. Et sane: pax, ut aiebat s. Augustinus, est tranquillitas ordinis; sed ordo est rerum dispositio iuxta veritatem, idest iuxta ipsarum naturam. Est autem veritas et rationalis natura hominis, ut vita temporalis inserviat aeternae, et bona sensibilia moralibus et religiosis. Ergo ordo et pax stant in famulatu societatis civilis religioni.

494. Verum quidem est corruptam hominis naturam adversari legem Dei; sed dixit Deus Cain: sub te erit appetitus tuus et tu dominaberis illius; idest ordo et pax non consistunt in indulgendo corruptae naturae, sed in ea refraenanda; hinc et in societate si malis instinctibus relaxentur habenae, ordinem perturbant; et prout maior libertas ei conceditur, maiorem vigorem acquirunt, ita ut plus appetant et sint insatiabiles; hic valet illud: « principiis obsta; sero medicina paratur, « cum mala per longas increbuere moras ». Quod si ex iugo imposito malis passionibus, quidam perversi occasionem sumunt attentandi ordini publico, tamen maxima pars eum excolit, et illi pauci compescuntur; imo et ex ipsis multi abstinent a delinquendo timore poenae, qui secus vitiis indulsissent.

2. Probatur eadem veritas ex facto; societates enim in quibus religio christiana, veram habuit Status protectionem, magis floruerunt quam ceterae; et in eadem natione crescunt delicta prout minoratur religionis defensio aut in eam hostilitas augetur.

495. Hoc quidem per se. Tamen II° fieri potest aliquando conditio socialis talis sit ut si positiva protectio daretur catholicae religioni, turbae nascerentur, quae aut nullo modo reprimi possent, vel tantum cum magno ipsius societatis detrimento. Id praesertim verificatur si magna pars populi sit alterius religionis, ita ut Status ut talis sit mixtae religionis; vel etiam si omnes sint catholici sed nomine tantum, quia in Ecclesia catholica baptizati sunt, et ab ea numquam discesserunt formaliter per apertam apostasiam vel per adscriptionem alteri sectae; verum a spiritu catholico sint multi omnino alieni, et in societate potentes aut etiam praevalentes. Forsitan ab initio defectionis potuisset civilis potestas utiliter eis resistere, sed cum malum invaluerit et, ut ita dicam, sit socialiter consummatum, iam societas impotens est ad illud destruendum. Igitur si res in huiusmodi pessimum statum devenerint, tunc non erit Ecclesiae concedenda ea positiva protectio quae per se ei competeret. Id iam indicaverat s. Thomas loco supracitato cum dixerit societatem esse gubernandam accommode pro vita futura « secundum quod possibile fuerit, » quod in concreto est inspiciendum.

496. Diximus tunc non esse Ecclesiae debitam protectionem positivam, ad quam omittendam poterit princeps obligari 1° ex prudentia civili, si secus maiora mala essent timenda; 2° ex iustitia, si cum ea conditione ei imperium fuerit collatum, ut fit cum in lege fundamentali nationis, cultuum paritas est a lege recognita. Tamen numquam licitum erit principi positive adversari religioni catholicae; quod enim intrinsece malum est, numquam licet, et praecepta negativa iuris naturalis numquam possunt offendi; protegere enim positive, est sanctionem civilem addere praeceptis Ec-

clesiae, ita ut media civilia coordinentur fini eiusdem Ecclesiae; ab hoc aliquando poterit princeps licite abstinere, aut etiam debebit; igitur negative se habebit et permissive quatenus malum non impediet in hac re, sicut et in aliis multis prudenter non impedit; sed nequit positive adversari Ecclesiae, seu media civilia dirigere ad Ecclesiae detrimentum, et civili sanctione impedire Ecclesiae libertatem. Sed poterit aliquando ab Ecclesia permitti ut adversetur alicui legi suae mere disciplinari: aliquae enim leges ecclesiasticae disciplinares aliquando sunt inapplicabiles in aliquo Statu, absque detrimento societatis et turbationibus; tunc Ecclesia permittit has non observari et princeps est in morali impossibilitate eas observandi.

497. Ecclesiae autem debita erit semper defensio ne nempe iniuria afficiatur a ceteris; item quaedam semper erunt urgenda, idest quando ex iustitia communi sunt debita etiam iuxta principia quae in tali societate ex naturali aequitate admittuntur. Ita ex. gr. etsi princeps non puniet apostasiam a fide, tamen exiget clericum apostatam resignare beneficia et bona Ecclesiae; esset enim contra naturalem iustitiam velle bona alicuius societatis aut eius officia conservare, quando quis eam deseruit; hinc et cum tempore Aureliani imperatoris saec. III. Paulus Samosatenus patriarcha antiochenus damnatus esset a synodo et depositus, et tamen renueret deserere Ecclesiam et domum episcopalem, protectus a Zenobia regina Palmirae, ea devicta, interpellatus imperator, iustissima sententia rescripsit eum Ecclesiam et domum episcopalem habere debere qui communionem romani Pontificis et Episcoporum Italiae haberet. Solebat enim tunc summus Pontifex res graviores in concilio romano totius Italiae, non adhuc in ea existentibus aliis metropolibus, pertractare.

Igitur quaestio de abstinentia a positiva defensione religionis catholicae reincidit in generaliorem quaestionem, quando nempe possimus nos negative habere relate ad malum aliorum et ad occasionem peccandi quam ceteris subministrant. Etsi enim numquam possimus quod malum est natura sua praestare, non semper tamen tenemur ad omnia mala impedienda aut pericula vitanda. Igitur protectio debita est religioni a Statu, ut regula, sed exceptio esse potest; theoria contraria quae ponit indifferentismum esse regulam, damnata est pluries et in Syllabo propp. 77, 78, 79, 80.

498. In re autem tanti momenti, praesertim cum adsint hae positivae reprobationes Ecclesiae, catholicus princeps oportet ab Ecclesia seu a summo Pontifice instructiones opportunas pro circumstantiarum varietate, impetret. Etenim Ecclesia quae magistra est et iudex moralitatis, declarat authentice principi quid permittere aut tolerare possit et quid non; item eum solvit a positiva ecclesiastica prohibitione; imo tribuit ei facultatem quaedam praestandi circa res religiosas, quae auctoritate propria non posset praestare.

499. Obiect. 2. Status protectio alienos facit a religione; homines enim duci volunt persuasione, non coactione, in re praesertim nobilissima ut est religio, et putant eam carere rationibus quae armis sustinetur. Ergo protectio Status non est religioni concedenda.

Animadvertimus nos non loqui de conversione infidelium, qui non sunt cogendi, neque de iis qui in haeresi nati et educati sunt, sed de sanctione erga eos qui in Ecclesia catholica educati, eius praecepta non observant aut ab ea discedunt.

Item non loquimur de qualibet transgressione, etiam privata, sed de ea quae ordinem socialem offendit, ut

exposuimus agentes speciatim de potestate coactiva Ecclesiae.

Iamvero huiusmodi legis ecclesiasticae trasgressores posse puniri, dubium non est, cum ex hypothesi mala agant fide; id autem prudenter fieri evidens est cum et plures timore poenae deterreantur a delinquendo, et plures emendentur; quod si qui sint qui ex eo occasionem sumant magis peccandi, per accidens est, neque salus publica posthaberi potest ex paucorum malitia, sicut aiebat s. Augustinus epist. 93. al. 48. ad Venantium, nequit medicina aboleri quia paucos non iuvat.

Quod autem persuasione ducendi sint homines, potest duplicem sensum habere; 1° non esse cogendos ad professionem christianae religionis eos qui eam amplexi non sunt; et hoc verissimum est, sed non est ad rem; 2° christianos tantum suasione et non poenis posse compelli ad illud praestandum ad quod se obligatos iam agnoscunt, id est quod reiicimus ut falsum. Huiusmodi autem homines non iudicant religionem carere rationabili fundamento eo quod armis innitatur; etenim id iuste credere possent infideles si armis cogerentur, sed non fideles qui iam agnoverunt religionis nostrae veritatem, quique proinde non mentis sed voluntatis vitio laborant. Voluntas autem iuste corrigitur metu mali sensibilis quae appetitu indebiti boni a lege alienatur.

500. Obiect. 3. Ecclesia sibi contradicit et duplici utitur mensura, cum heterodoxo principi neget ius suam religionem armis protegendi; hinc in statibus heterodoxis praedicat Ecclesia separationem a Statu, et libertatem implorat; in statibus autem catholicis libertatem reiicit, et cum Statu coniunctionem inducit (1).

(1) Mamiani, Religione dell'avvenire, pag. 458, cuius expo-

Resp. Negamus Ecclesiam uti duplici mensura, cum heterodoxis neget eam libertatem et protectionem principis quas sibi vindicat; hinc neque sibi contradicit. Consideremus praesentem quaestionem 1° in ordine ad ipsam Ecclesiam; 2° ad errantes subditi Status catholici; 3° quoad imperantes acatholicos. Quoad 1ᵘᵐ, Ecclesia ut sibi contradiceret et duplici uteretur mensura, necesse esset invocaret pro se libertatem et principis protectionem ex titulo communi sibi et heterodoxis; tunc enim libertas et protectio aeque cuilibet religioni debita esset; sed non ita est; non enim Ecclesia docet, libertatem et protectionem a principe esse concedendam suae religioni, sed verae religioni; sicut princeps debet concedere protectionem dominii, veris dominis, non autem quibuscumque detentoribus. Hinc cum Ecclesia sciat se esse unicam veram religionem, legittime excludit ceteras societates a libertate et protectione. Pariter Ecclesia non docet in facultate cuiuslibet esse hominis, religionem sibi confingere, ita ut princeps aequo iure omnes formas religionis teneatur protegere; sed potius docet amplectendam esse unicam formam a Deo institutam.

501. Hoc est per se loquendo; si autem Ecclesia versetur in iis regionibus in quibus libertas conceditur omnibus erroribus, iuste petit, ad hominem, ut sibi saltem detur ea libertas quae sectis quibuscumque non denegatur, cum et eodem iure polleat coram societate in qua vigent haec principia, imo maiorem securitatem det ex suae doctrinae natura, ex sua historia et factis, de sua harmonia cum publica utilitate. Quod si Status

---

sitionem et brevem refutationem vide in opusculo quod edidi, sub titulo: *Osservazioni sulla Religione dell'avvenire di T. Mamiani.*

non det libertatem omnibus, sed protegat erroneam religionem, tunc Ecclesia urget falsitatem titulorum quibus haec innititur, et suorum firmitatem exhibet, quae tanta est ut saltem imperantem in dubium valeat adducere de falsitate antiquae suae religionis et de veritate novae quae praedicatur. Hinc Ecclesia petit 1° ut eius divinitas agnoscatur; 2° ut saltem detur ei libertas et ponatur in pari conditione cum reliquis religionibus. Etenim notandum est, paritatem legalem seu coram lege civili, omnium cultuum esse 1° obiective falsam, cum unica sit veritas; 2° esse verae religioni noxiam ubi ipsa vigebat; concedit enim nocendi potestatem, praedicatoribus erroris; hinc Ecclesia obstat eius introductioni in statibus catholicis. Sed si sermo sit de Statu in quo protegitur falsa religio et excluditur catholica, tunc paritas et libertas cultuum est relative utilis pro Ecclesia et pro ipsa societate, cum aliquid concedat veritati. Igitur Ecclesia sibi non contradicit nec duplici utitur mensura, cum certa sit de sua divinitate.

502. Sed 2° consideremus ipsos errantes subditos Status catholici. Hi possunt errare bona vel mala fide; si mala fide iam peccant, et nullo potiuntur iure prosequendi errorem suum; si bona fide, excusantur coram Deo, sicut fit in quolibet dictamine conscientiae erroneo inculpabili; sed tamen ab eis non habetur ius verum sed putativum. At Ecclesia ex hoc tantum motivo non tenetur principi consulere ut abstineat a sui protectione, cum ipsorum error non valeat destruere obiectivam veritatem titulorum quibus innititur ius Ecclesiae, et in conflictu veritas debeat praevalere. Ad summum sequi potest eis aliquando tolerantiam deberi, de qua infra, cap. 5.

503. Sed in eis qui in Ecclesia educati sunt et ei

contradicunt, bona fides admitti nequit, cum sufficienter cognoscant ipsius Ecclesiae divinitatem, cooperante gratia Dei cum humanis auxiliis; in Ecclesia enim educati, audiunt motiva credibilitatis et ea suo modo apprehendunt et rudes; item persentiunt doctrinae sanctitatem, et efficaciam mediorum sanctificationis quae in Ecclesia sunt; quae omnia adiuvat Dei gratia prout ipsorum mens evolvitur, eam illuminando et inclinando ad credendum, et si opus sit, supplendo imperfectionem cognitionis humanae; hinc merito contra suos Ecclesia invocat sanctionem civilem, si ab eius praeceptis discedant.

504. 3° Si sermo sit de ipsis imperantibus infidelibus aut acatholicis, aliud est eos esse posse in bona fide eo sensu ut non peccent sequendo suam religionem, et aliud eo sensu ut catholicis molestias iure inferre valeant. Ut illud primum verificaretur, necesse esset, sicut pro viris privatis, ut numquam in ipsorum mente dubium probabile exortum esset circa veritatem suae religionis, vel quod eo exorto diligenter inquisivissent et illud spernendum invenissent; quae, ut patet, non facile verificantur; sed de hoc nihil ad nos.

Ut autem catholicis religiosam libertatem rationabiliter in foro externo adimere possent, aliquid amplius requireretur; plus enim requiritur ut aliorum libertatem coarctemus, quam ut libertate nostra utamur. Ad ceteros enim impediendos necesse saltem est praesumere possimus eos in mala fide versari. Quod in re nostra nullo modo admitti potest.

Consideremus enim 1° infideles. Hi versantur in tot superstitionibus, ut cum ipsis comparata religio christiana fulgeat saltem ut valde melior ac rationabilior, adeo ut eidem permittendum sit sese constabilire. Et etiamsi sermo esset, per hypothesim quae numquam

verificata est, de Statu qui regeretur recta naturali religione, motiva credibilitatis christianae religionis sunt ita evidentia, ut princeps iudicare debeat posse plures ex civibus, iisdem moveri, ideoque ipsis permittendum esse, eamdem religionem amplecti, quia sic satisfacerent praecepto legis naturalis.

Si autem 2° agatur de heterodoxis, hi vel sunt protestantes vel schismatici et alii ex antiquis haeresibus. Protestantes profitentur libertatem interpretationis in re religiosa; ergo admittere debent et catholicos posse eodem iure Evangelium interpretari quo ipsi; hinc est meliores doctores protestantium semper concessisse catholicos salvari posse. Igitur admisso principio fundamentali protestantismi, de libero examine et de spiritu privato, tantum per manifestam contradictionem negaretur catholicis ea libertas religionis quae ceteris omnibus conceditur.

Si autem 3° sint Ecclesiae schismaticae, tunc quaestio reducitur ad primatum s. Petri; iamvero haec veritas tam clare in s. Scriptura et in antiqua traditione continetur, ut ipsis saltem res dubia apparere debeat; id sufficit ut teneantur catholicis, pro quibus stat antiquitatis praesumptio, libertatem concedere; agitur enim de aeterna salute, circa quam licitum esse debet unicuique eligere tutiorem partem; et tutior etiam iudicio protestantium et aliorum heterodoxorum est catholica religio, cum omnia admittat quae ceteri, et insuper aliquid aliud.

Non loquimur autem 4° de residuis antiquarum haeresum, ut Nestorianorum, Eutychianorum etc., quae vix aliquos sectatores habent, quosque impossibile est posse sibi persuadere se constituere exclusive Ecclesiam Christi, quae destinata est ad universos homines complectendos. Hi enim in peiori sunt conditione ac

schismatici, qui docent Ecclesiam esse unam charitate et universalem, sed quoad regimen dividi in plures Ecclesias territoriales; e contra haeretici non agnoscunt divisionem territorialem, sed dogmaticam, ideoque nullam unitatem aut universalitatem agnoscere valent.

§ 5.

DE INDIFFERENTISMO, NATURALISMO ET LIBERALISMO.

505. Ex disputatis de officiis principis erga veram religionem sive naturalem, sive revelatam, pro diversa oeconomia divinae providentiae, patet quid iudicandum sit de indifferentismo, naturalismo et liberalismo, qui sunt errores maxime nunc vigentes, et ex quibus sequitur statui civili praescindendum a religione, saltem supernaturali, et condendam legislationem ad religionem non respiciendo. Indifferentismus et naturalismus paucos habent defensores in abstracto, et confutantur philosophice et theologice. Sed superesse potest quaestio legalis, seu socialis et iuridica; etenim quaestio abstracta respicit falsitatem talium systematum in se; legalis, quis iudicet in ordine et foro externo sociali et iuridico; an nempe possit et debeat supremus imperans accommodare suam legislationem catholicae religioni, vel debeat libertatem unicuique permittere, seu ut dicitur, concedere libertatem conscientiae, quae complectitur libertatem cogitandi et evolvitur in libertatem discussionis (di parola e di stampa) et cultus seu exercitii analogi propriae fidei; tunc omnes sectae religiosae sunt aeque iuridicae non in se, sed ob ius personarum constituendi sibi religionem. Igitur ut ex ordine procedamus et basim simul evellamus tantorum errorum, ac melius quoque illustremus quaedam superius praesupposita vel indicata, sit 1° de indif-

ferentismo et naturalismo in se; 2° quoad iuridicam positionem; 3° de liberalismo; 4° quando Status teneatur revelationem suscipere.

SECTIO I.

Indifferentismus et naturalismus in se.

506. Indifferentismus in se est falsus logice, ontologice, moraliter et theologice; *logice*, cum supponat propositiones contradictorias indifferenter se habere ad veritatem, seu ad iudicium intellectus; *ontologice*, quia supponit indifferenter se habere ad ipsam rei veritatem seu entitatem; *theologice*, quia supponit Deum indifferentem esse ad veritatem et errorem; et *moraliter* quasi conscientia nostra posset admittere vel reiicere pro libitu officia erga Deum.

507. Quoad naturalismum, vel sumitur 1° per oppositionem ad Deum, considerando nempe naturam in se, et ordinem moralem praescindendo a Deo: vel 2° sumitur per oppositionem ad divinam revelationem, veluti si naturalis religio sufficiens esset. Iamvero falsus est sub 1° respectu, non modo quia Deus est, sed etiam quia Deus est fundamentum atque origo ordinis moralis, ideoque sublata eius idea, subiective corruit ordo moralis, quia cessat vera idea obligationis, et *egoismus* fit unicum systema logicum, et mutato fine rerum, mutatur et ipsarum ordo; hinc sublata religione, corruit ordo socialis, ut supra ostensum est antecedenti sectione I.

2° Falsus est obiective naturalismus quatenus revelationi opponitur quique tunc et rationalismus dicitur; etenim ipsa naturalis ratio dictat tum possibilitatem, sive materialis sive formalis revelationis, tum huius utilitatem, et relativam necessitatem nec non verita-

tem existentiae eiusdem. Et quoniam ipsa est medium efficax a Deo electum ad conservandum ordinem socialem, ea reiecta, nequit ordo socialis recte procedere. Hinc et subiective perniciosus est naturalismus.

3° Fingi posset indifferentismus inter ipsas communiones christianas; sed rationes quae ostendunt falsum indifferentismum in genere, ostendunt et falsum ac perniciosum indifferentismum inter sectas christianas, cum una sit vera Christi religio, et ipsa sola plene efficax in ordine externo promovendo. Hinc si libertates supradictas in se inspiciamus apparet esse falsas et illicitas.

A. LIBERTAS COGITANDI.

508. Et 1° quoad *libertatem cogitationis* sive iudicandi. Evidens est non agi de libertate physica, sed de morali. Si putemus intellectum nostrum nulla morali lege teneri in iudiciis ferendis, apparet falsissimum, cum debeat 1° veritatem cognitam libenter fateri, seu recognoscere; 2° veritatem incognitam, sincere investigare; etenim veritas sola colenda est.

509. Confirmatur indirecte; etenim si liberi essemus in iudicando, tales essemus et in operando, quia illud semper ageremus quod iustum semper putaremus; et esset iniuria coarctare externam libertatem, recognoscendo ius ad internam; etenim in hoc est violatio conscientiae, vi exigere ut quis opponatur dictamini suae conscientiae, quae in hypothesi posset 1° semper quaedam exhibere ut obligatoria; 2° saltem ut libera et ut ea ad quae ius haberemus. Iamvero etsi possit haec libertas postrema limitari quando adsit aliqua exterior causa sufficiens, hoc tamen est in hypothesi quod quis saltem quoad ordinem externum teneatur agnoscere

iudicium competens alterius; ergo non datur ei libertas interius iudicandi se esse iudicem competentem in ipso ordine externo, in qua hypothesi, tantum contradictorie exigeretur uniformaret se externe alterius iudicio. Hinc omnimoda libertas est absurda.

510. Sed 2° haec libertas posset indicare quod etsi quisque teneatur sincere inquirere veritatem, et ei se uniformare, tamen deberet semper iudicio suo inniti in conscientia sibi efformanda, et neminem posse imponere ei iudicium suum.

Verum et haec praetensio est irrationabilis. Etenim ipsa ratio nos docet criteria veritatis alia esse interna et alia externa, et haec quoque in debita materia, idonea esse ad certitudinem nobis procurandam, et in eis maxime excellere divinam revelationem. Iamvero officium naturae est sese uniformare veritati cognitae, sive cognita sit mediis intrinsecis, sive extrinsecis; et officium est in veritatis inquisitione, adhibenda esse media omnia idonea, sive sint intrinseca sive extrinseca. Ergo irrationabiliter libertas iudicandi sumeretur pro exclusione auctoritatis etiam divinae. Iamvero in conflictu inter nostram privatam rationem fallibilem (qui conflictus in re tantum difficili et obscura potest subiective haberi), cum divina revelatione, ipsa ratio dictat, huic esse acquiescendum. Item et iudicio humano esse acquiescendum in ordine externo, nisi aliquid intrinsece malum evidenter imperet.

B. LIBERTAS LOQUENDI.

511. Sit 2° *de libertate loquendi.* Si non omnia sunt in se vera et honesta, ex quo officium recte iudicandi, apparet officium et ea non defendendi ac non propalandi quae inhonesta sunt. Hinc libertas typicae impressionis, illimitate sumpta, non est ius sed licentia.

Neque dicatur ex discussione libera oriri veritatem; non enim hic agimus de rebus dubiis, sed de certis, et cum homo ad malum sit pronus ab adolescentia sua, perniciosum est libere enunciare quae officiis opponuntur. Est autem mira hodierni liberalismi contradictio, praedicare libertatem discussionis et impressionis, et negare libertatem docendi in scholis.

C. LIBERTAS CULTUS.

512. Sit 3° *de libertate cultus.* Cum cultus rectus sit unus, hinc per se nullum ius est ad reliquos cultus; et etiam iure naturae non esset libertas ad cultus superstitiosos aut quomodocumque falsos.

SECTIO II.

De indifferentismo et naturalismo iuridice.

513. Dicunt ipsorum fautores: veritas utique in se est una et error qua talis nullum ius habet; sed quis iudicat? et quis iudicium suum imponit ceteris? Cum ergo nemo sit iudex competens, sequitur practice unicuique relinquendam esse libertatem et iudicandi et loquendi et cultus, quae libertatem conscientiae plene sumptam constituunt. Item Status est aeque debitor protectionis omnibus suis membris, catholicis et incredulis, cum omnes sint aeque cives. Neque urgeas sic ordinem socialem subverti; etenim nos impedimus externa facta quae ordinem perturbarent, sed non iudicia, quia facta sunt evidentia et necessitas nos cogit ad limitandam aliorum libertatem.

Resp. I. quaedam sunt certa sensu naturae communi, ideoque omnibus evidentia; et proinde quisque ius habet ea supponendi ceteris nota, et publica auctoritas nequit in his admittere errorem bona fide; hinc scit

se non contradicere legittimae libertati conscientiae si super haec exigat externam reverentiam in loquendo et agendo. Quod si unus vel alter bona fide contrarium teneret, haec esset exceptio, per accidens, ad quae respicere non debemus, secus esset impossibilis quaelibet societas.

2° Sicut quaedam sunt evidentia naturali sensu, ita suppositis factis, quaedam sunt evidentia socialiter; ita existentia divinae revelationis et divinitas Ecclesiae potest esse socialiter evidens et iam recognita a societate; ideoque publica potestas ius habet praesumendi eam esse notam et individuis in ea societate educatis, seu catholicis catholice educatis; hinc potest et christianis prohibere quae pagana essent, et catholicis quae essent acatholica. Ergo falsum est neminem umquam esse posse iudicem.

514. Sed obiiciunt: Si Status esset competens in iudicanda veritate religionis, cum ipse polleat independenti potestate, eius iudicium esset supremum (sovrano) et omnes obligaret; quod catholici non admittunt.

Respondetur Statum non esse competentem ad iudicandum de veritate religionis, quatenus auctoritative de ea decernat, sed tantum ligatur officio recognoscendi religionem cuius veritas ei manifestatur, sicut et privati obligantur ex naturali rei evidentia, quod nullam in eis importat auctoritatem. Hinc et quoad Statum recognitio verae religionis est primo officium, deinde ius eamdem sequendi.

515. Quoad natos et educatos in secta heterodoxa, in eis bona fides admitti potest, et proinde in ipsis esse valet putativum quoddam ius, quod est ius reale personae, ne cogatur ad religionem amplectendam et eidem uniformandam vitam cum ipsi evidens non apparet. Et ipsa Ecclesia etsi puniverit, cum ius publicum

vigens permittebat, eos qui personaliter discedebant a fide, non tamen puniebat eos qui nati et educati in haeresi vel schismate fuerant; hos enim aequiparat potius infidelibus, etsi modica aliqua coërcitio olim aliquando adhibita fuerit, non ut poena sed ut incitamentum. Relate autem ad ius horum dissidentium qui sint in societate catholica, pro exercitio sui cultus, vide inferius cap. 5.

516. Ad ea autem quae subiungebantur respondemus: 1° ordini sociali adversantur non modo facta, sed et theoriae quae tendunt ad facta propaganda, ideoque irrationabiliter punirentur facta et permitterentur theoriae

2° Ratio subiuncta de necessitate sociali, est confutatio theoricae adversariorum; etenim doctrina quae ad necessitatem facti recurrit, quin iuri innitatur ostendit suam falsitatem tum specificam (idest qui non respondet indoli verae societatis), tum genericam quia systema praescindens a moralitate vel immoralitate est falsum. Igitur nostra theoria admittenda est quae ius asserit interdicendi errores, non attento merito facto noxietatis, sed iure ipso praesumendi malam fidem in iis qui errores propugnant.

SECTIO III.

Liberalismus.

517. Nostra aetate minus frequenter adhibentur nomina naturalismi, rationalismi, indifferentismi, quae saeculo superiori in usu erant, quoniam apud fideles male audiunt; frequentius liberalismi nomen adhibetur. Expedit igitur exponere quid significet, praesertim cum multis acceptionibus sumatur (1).

---

(1) Circa liberalismum vide praeclarum opus Matthaei Liberatore, *Chiesa e Stato*, quod et in ceteris magni faciendum e

Adest 1° liberalismus absolutus seu purus; deinde moderatus; 3° catholicismus liberalis. Liberalismus absolutus considerat Statum civilem ut unicam auctoritatem iure proprio subsistentem; hinc vult Ecclesiam eidem subiici sicut cetera collegia et ab eo recipere suam personalitatem iuridicam si et quantum Statui placuerit.

518. Liberalismus moderatus vult separationem Ecclesiae et Status, et huius independentiam a potestate religiosa; hinc et societati religiosae suam concedit existentiam et personalitatem a Statu separatam; exprimitur celebri formula « Ecclesia libera in Statu libero ».

519. Catholicismus liberalis admittit in abstracto Ecclesiae superioritatem et subordinationem eidem status civilis (ratione finis ultimi); sed in *praxi* insistit pro utriusque separatione.

Ex his apparet naturam liberalismi esse saltem praescindere a revelatione quoad regimen societatis civilis, sive per se, in liberalismo absoluto et moderato; sive per accidens, ut in catholicismo liberali. Speciatim vero animadvertimus:

A. DE LIBERALISMO ABSOLUTO.

520. I. Liberalismum absolutum negare factum divinae revelationis, et ordinis supernaturalis existentiam, Ecclesiaeque divinam originem; non enim alia iura admittit quam quae a civili societate ideoque a naturali fonte emanant. Imo negare quoque debet revelationis possibilitatem; si enim eam admitteret, non absolute omnia iura repeteret a societate civili, sed tantum in hypothesi non existentis revelationis. Teneretur insuper inquirere in factum revelationis, et tunc saltem deveniret ad probabilem eius cognitionem, vel

saltem admittere deberet subditis probabilem videri posse, ideoque eius rationem esse habendam in publica legislatione ne legittimae libertati conscientiae vis inferatur.

521. Negata autem possibilitate revelationis, sponte sequitur negandam quoque esse Dei personalis existentiam; et tunc nutant et fundamenta moralitatis atque ordinis socialis. Imo cum argumenta quae ostendunt existentiam divinae revelationis sint magnae evidentiae, ea negata oportet et criteriorum naturalium vim non agnoscere, et praesertim in re historica et critica admittere omnes deceptos fuisse coaevos supparesque scriptores in factis de se notoriis et maximi momenti; quod si in re religiosa fieri potuit, profecto et in aliis; hinc nutant et fundamenta historiae.

B. LIBERALISMUS MODERATUS (1).

522. *Liberalismus moderatus* tradit unamquamque societatem, civilem et ecclesiasticam condere suam legislationem independenter ab alia seu ab ea praescindendo. Iamvero hoc est 1. falsum in conceptu cui innititur; 2. Ecclesiae noxium, in cuius oppressionem tandem redundat.

Est falsum; supponit enim finem temporalem seu Status, nullam habere subordinationem neque positivam neque negativam, neque directam neque indirectam, erga finem ecclesiasticum, quod est falsum; omnia enim subordinantur fini ultimo, quem curat Ecclesia.

---

(1) Vide meum opusculum alias citatum, *Della natura d società giuridica e publica competente alla Chiesa.* Roma tipografia Vaticana 1887.

523. Ut autem evitet hunc errorem et simul conservet suam theoriam separationis, cadit in alios errores; nempe vel supponit competentiam Ecclesiae esse tantum fori interni et non externi, ideoque res omnes referri utique ad finem ultimum sed id ab Ecclesia iudicari tantum pro foro interno, quod est falsum, cum Ecclesia iudicet socialiter quoque et exterius hominum actiones; insuper forum externum non est independens ab interno, ut supponeretur, sed per se loquendo eidem uniformari debet; homo enim non duplicem habet iudicandi normam, sed unicam, quamvis non semper in foro externo constet id quod in foro interno; sed tunc discrepantia utriusque iudicii est per accidens; e contra in systemate liberalismi esset per se. Vel supponit Ecclesiam in foro externo habere tantum ius commune (seu quod omnibus collegiis conceditur), quod a Statu constituitur, ampliatur et limitatur; quod pariter falsum est, cum neget perfectam Ecclesiae naturam. Vel etiam formula separationis propria liberalismi moderati procedit ab indifferentismo religioso, quatenus supponat omnes religiones aeque se habere, saltem pro fine sociali; vel saltem procedit a scepticismo religioso, quatenus putet in re religiosa haberi non posse cognitiones socialiter certas, sed tantum opiniones; tunc enim posita lege civili aliquid imperante, quisque deserit in facto suam opinionem et accommodat se legis praescripto, quia in dubiis favendum legi.

524. Sed 2° principium separationis Ecclesiae et Status tandem recidit in Ecclesiae ipsius oppressionem, non modo quia Ecclesiae subtrahit positivam protectionem aliunde ei debitam, sed quia positive eidem adversatur. Etenim cum Status civilis condat leges suas praescindendo ab Ecclesia, fit ut in pluribus ei con-

tradicat, 1° ex defectu hominum qui errant legem condendo de iis quae ad Statum non spectant vel condendo modo indebito; 2° ex ipsa rei natura, cum extent materiae mixtae, vel saltem ratione subiecti quod ad diversa distrahitur; ex. gr. Ecclesia praecipiet diei festi observantiam; Status exiget scholas, tribunalia etc. officio suo satisfacere. Hinc fit eamdem personam vel cogi sustinere poenas aut saltem damna temporalia ut praecepto Ecclesiae satisfaciat, vel conscientiae contradicere ut vitet poenas aut damna, idest eligere saepe debet inter carcerem et excommunicationem. At vero quis non videt id redundare in Ecclesiae positivam persecutionem? Positiva enim persecutio habetur quoties quis ut conscientiae suae satisfaciat cogitur aliquid detrimenti temporalis, ad quod de cetero non teneretur, sustinere.

525. Sed insuper Ecclesia coram Statu apparere debet ut societas illicita et subversiva; etenim huiusmodi habenda est societas quae a suis exigit transgressionem legum civilium quoties suis opponuntur, si Status huius superioritatem non agnoscat.

526. Neque dici posset id procedere ex eo quod in hypothesi leges Status habentur ut iniustae, et quilibet vir honestus admittere debet leges non iustas non obligare, vi superioris legis moralis, a qua vim suam repetit et lex civilis. Differentia enim est in hoc quod legis moralis naturaliter loquendo nullus est interpres authenticus; hinc Status posset facile praesumere suam interpretationem esse rectam, et erroneam quae datur a privatis ideoque exigere legis observantiam. Quod si aliquando erraret Status, haberetur tantummodo iniuria illata privatis per accidens; et damna quae sunt per accidens non semper vitari possunt, neque Status tenetur deferre privatorum iudicio; e contra cum iudi-

cium Ecclesiae sit infallibile, exigere observantiam legis ab Ecclesia reprobatae, est iniuriam per se inferre conscientiae civium.

C. CATHOLICISMUS LIBERALIS.

527. III. Habetur *Catholicismus liberalis*. Si systema separationis invocetur in aliquo Statu ob speciales eius circumstantias quatenus est minus malum, praesertim si invocetur quoad aliqua tantum puncta determinata, ex. gr. quoad ea circa quae discrepant catholici et heterodoxi sectae determinatae, et potius negative quam positive, idest quod Status non protegat religionem aliquam determinatam, sed neque catholicae positive contradicat, potest admitti, quia nihil mali positive praestandi includit; sed potius omissionem boni, quae licet, etsi regulariter sit debitum, quoties speciales circumstantiae id consulunt; tamen et tunc sapientis erit legislatoris quantum poterit animadvertere ad leges ecclesiasticas ut positivum evitet conflictum, ideoque separatio erit potius in theoria quam in facto; sic ex. gr. legislator vitabit ea quae profanationem diei festi ab omnibus christianis admissi, importarent. Sed tunc quaestio non est scientifica sed prudentialis, et quaestio disciplinaris, non dogmatica et authentice resolvitur ab Ecclesia. Verum si erigatur haec doctrina in systema universaliter servandum, aut saltem servandum in Statu evolutae civilitatis, nequit admitti; etenim aequivaleret assertioni Dominum N. Ecclesiam instituisse quae nequit in concreto existere eo modo quem ipse praecepit, saltem conformiter humanae perfectioni. Igitur exceptio haberi poterit, sed pro norma nequit proponi separatio Ecclesiae et Status; seu ut feliciter dictum est « est distinguenda *thesis* ab *hypothesi* ». Thesis est Ecclesiam et Statum non debere

procedere separatim sed coniunctim et quidem servata Status subordinatione; hypothesis est aliquando partialem saltem separationem magis expedire; verum et tunc conandum est 1° ut recta doctrina circa normales relationes Ecclesiae et Status servetur; 2° ut societas quam cito reducatur ad conditionem normalem ita ut cessare debeat conditio exceptionalis, et renovari normalis.

D. EFFECTUS LIBERALISMI (1).

528. Ex liberalismi praevalentia sequitur sensum publicum moralem et religiosum nullam aut exiguam habere sanctionem; hinc attenta humana infirmitate, tandem perit. Verum quidem est in hominibus bonae voluntatis potentiorem esse Dei gratiam; sed id non mutat naturales liberalismi effectus. Deinde etsi gratia salvet individuos, non tamen salvat societatem, nisi ab ea adoptentur veritates revelatae. Imminuto autem sensu morali et religioso, etiam publica tranquillitas turbatur, ob nexum intercedentem.

529. Liberalismus quaedam continet bona, seu elementa positiva; idest aequalitatem civium et libertatem; sed continet quaedam mala, seu elementa negativa; idest impedit coërcitionem abusus libertatis. Hinc paullatim dissolvitur ordo socialis et praevalet pars civium seditiosa, quae etsi numero minor, audacia maior est.

SECTIO IV.

Quando Status teneatur officio suscipiendi revelatam religionem.

530. Diximus in genere existentiam revelationis esse posse evidentem non modo individuo, sed et societati;

(1) Vide *Nozioni di diritto publico, naturale ed ecclesiastico*, num. 433.

haec quaestio nunc est enucleanda. Lex incipit ad sui observantiam obligare cum eius promulgatio est certo cognita ab ea persona quae subiectum eiusdem est; verum incipit antea obligare ad sui inquisitionem instituendam si rationabile dubium de eius existentia oriatur. Utraque quaestio est facilis quando agitur de persona physica; tunc enim vel adest certitudo aut dubium vel non; et facta inquisitione aut certitudo acquiritur vel non. Sed res difficilior est cum de persona morali, seu de societate agitur.

531. Sit I° de prima quaestione. Ut lex aliqua obliget communitatem oportet sit eidem nota ex secuta promulgatione; in re nostra promulgatio Evangelii facta est; agitur proinde tantum de notitia certa eiusdem. Iamvero I. cum omnes moraliter sumpti persuasi sunt de veritate catholica eamque amplectuntur, profecto societati evidens est eius divinitas et ut lex socialis sumi potest et debet; dissentientes tamen, si qui sunt, nequibunt cogi ad fidem amplectendam, et ad summum lex aliqua tolerantiae pro eis ferenda erit, ut nempe adhuc participent publicis iuribus etsi antiquae adhaereant religioni; dicimus ad summum; etenim neque id universaliter est concedendum, cum societas nequeat impediri a sua perfectione consequenda a paucis errantibus, sicut a paucis dementibus; de hac tolerantia in articulo sequenti; igitur leges exceptionales haberi poterunt, sed lex generalis oportet sit imbuta spiritu catholico.

532. II. Quid si non omnes moraliter cives agnoverint revelationem? Profecto si sermo sit de gubernio in quo habentur populi repraesentantes, vel in quo populus immediate participat potestati legislativae per comitia, si praevalentia habeatur in favorem agnitionis religionis revelatae, dubitari non potest eam esse iu-

ridice communitati evidentem; evidens est enim classibus influentibus, et persona moralis constituitur a physicis personis quatenus influunt in operationem socialem, quod in casu verificatur.

533. Tamen dissentientes non modo cogi non poterunt, sed pro diversa quantitate et qualitate ipsorum, leges exceptionales, ut supra, ferendae erunt; si enim dissentientes sunt multi, tunc societas est utique persona moralis sed ex membris heterogeneis resultans, ideoque etsi in operatione sociali praevaleat aliquod elementum, tamen et alia sunt, quae cum essent in possessione suae libertatis, nequeunt in suis iuribus imminui eo quod non ponunt actum ad quem cogi non possunt, cuius proinde omissio erit contra officium ethicum sed non contra officium iuridicum; etenim susceptio fidei nequit coactione imponi.

534. Quod si ageretur de haereticis, verum quidem est theologice et per se considerari ut subditos Ecclesiae; sed qui nati et educati sunt in societate haeretica, aequiparantur iuridice infidelibus negativis, ideoque ut redeant ad fidem aliquatenus sunt compellendi, non autem cogendi, et proinde non puniendi si nolint. Quod si aliquando durius actum est anteactis temporibus, hoc erat cum iis qui nascebantur in societate catholica, et ad summum in familia haeretica, sed extante reprobatione sociali status ipsorum; e contra nunc et qui nascuntur in societate catholica sed familia haeretica, non incurrunt reprobationem socialem saltem eo gradu ut habendi sint in foro externo tamquam evidenter positi in mala fide.

535. III. Quid si potestas suprema sit apud principem tantum vel paucos optimates? Tunc certo est evidens pro societate, divina revelatio quando princeps vel optimates animadvertunt tot ex subditis suscepisse

revelationem ut dici possit corpus sociale eam agnovisse; et hoc quia vel numero praevalent vel saltem influxu sociali, ita ut si participarent publico regimini, certe valerent sancire lege novam religionem.

Item in dubio an attigerint hunc numerum vel influxum, favendum erit veritati; quia societatis alienatio a veritate habet iuris odium, cum sit aliquid exceptionalis, et tolerati tantum; hinc semper praesumendum est pro veritate et inducendus in societate status normalis, quoties evidenter non appareat eius impossibilitas vel ius exceptionale.

In his tamen hypothesibus semper leges tolerantiae pro dissidentibus ferendae erunt.

536. IV. Quid si solus princeps conversus sit vel optimates, et nullus aut fere de populo? Tunc dici potest revelationis existentia evidens rectori societatis, sed non ipsi societati. Etenim etsi influxus iuridicus in societatem sit penes principem, tamen ipsa obligatio non est tantum penes societatem sumptam per modum unius, sed etiam penes ipsum corpus sociale. Et proinde distinguendum videtur inter ea quae a societate per modum unius praestanda sunt erga veram religionem, et ea quae iuxta veram religionem sunt singulis imponenda. Quoad prima sufficit evidentia in principe; praestantur enim vel a solo principe nomine societatis; vel a societate quatenus persona indivisibilis, ideoque pars potior et sanior, seu in hypothesi princeps, informat et determinat modum agendi ipsius societatis. Quoad 2ª subdistinguendum est: vel agitur de iis quae iure divino afficiunt et gentiles, ut indissolubilitas matrimonii, vel de iis quae afficiunt tantum baptizatos; quoad haec certe non tenentur subditi donec effective non susceperint veram fidem; quoad illa per se tenentur et tantum quaedam ut minus mala toleranda sunt.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

537. Hinc princeps numquam poterit lege sancire quae intrinsece mala vel lege divina positiva prohibita; debebit insuper curare omnibus mediis fortiter et suaviter ut societati fiat evidens vera religio et sic eam suscipiat; quaedam autem de cetero obligatoria non urgebit, nec de cetero mala puniet, sive ex defectu evidentiae in subditis, sive ad maiora mala praecavenda.

Haec postrema, est etiam potior ratio ob quam nequeunt proprie puniri qui revelationem non suscipiunt, etsi moraliter evidens sit eos ex malitia agere. Quamvis enim laedant praeceptum naturale hypotheticum, cuius observantia interest reipublicae, tamen gravius peccarent, coacte et ficte suscipiendo fidem, neque sic ulla utilitas in societatem redundaret.

Item in praesenti hypothesi, potiore iure servanda erunt quae supra diximus de tolerantiae legibus quoad dissidentes.

538. Quod si quaeratur quaenam utilitas in hac recognitione sociali verae revelationis cum tolerantur dissidentes et leges speciales pro eis feruntur, respondemus: 1. utilitas est legem permittere catholicis catholice vivere; 2. lex considerat ut statum societatis normalem, eum qui est conformis legislationi catholicae, et ceteros status habet ut exceptionales; hinc non modo debitus honor Deo datur sed et facilior redditur tum infidelium conversio tum fidelium perseverantia.

539. Superest 2° alia quaestio: quando dubium rationabile de existentia divinae revelationis oriatur in societate.

Resp. oriri quando oritur in iis subiectis de quibus egimus; idest oriri potest in singulis individuis, deinde in multis praevalentibus numero aut viribus, tum cum participant regimini publico tum cum non participant, quia tunc ad ipsos respicit rector vel rectores socie-

tatis; tandem oriri potest tantum in rectoribus civitatis; et semper omnes in quibus oritur tenentur debitam instituere inquisitionem, cuius effectus erit ipsos saltem rem ut valde probabilem cognoscituros ideoque intelligent permittendum liberum exercitium huius religionis iis subditis qui de ea persuasi fuerint.

§ 6.

NATURA PROTECTIONIS STATUS ERGA ECCLESIAM.

540. Demonstravimus Statum catholicum teneri ad Ecclesiam defendendam et adiuvandam, seu, ut aiunt, protegendam; et quamvis ex dictis satis intelligi possit natura huius protectionis, tamen in re maximi momenti praestat abundare, ad omnes aequivocationes auferendas. Duplex est protectio quae etiam dicitur tuitio, custodia, defensio, et infima latinitate, guardia; *auctoritativa* et *ministerialis;* prima est quam superior praestat inferiori sibi subdito; altera quam inferior, sive ratione materiae sive saltem finis ultimi, praestat sibi superiori. Ex dictis de Ecclesiae superioritate iuridica apparet protectionem Status ei debitam non esse auctoritativam, sed tantum ministerialem. Hinc possumus cum De Camillis (1) sequentia statuere: I. *Protectio Status erga Ecclesiam cum sit ministerialis, nullam importat iurisdictionem circa materiam seu obiectum societatis protectae;* ex quo sequitur auctoritatem protegentem non posse in societatem protectam leges ferre, aut leges eius abrogare, interpretari, applicare, aut ipsarum applicationem impedire, sed tantum libertatem societatis protectae tueri, in legibus ferendis, interpretandis, applicandis. Protectio enim ministerialis supponit rem protectam iam existentem et in suo esse

(1) Institut. Iuris can. vol. III. pag. 189.

perfectam atque operantem, et solum importat eius conservationem contra attentantes eius existentiae aut eius libertatem violantes. Id est quod antiqui imperatores et reges praestabant in conciliorum celebratione. Neque obstat Ecclesiam aliquando irritasse leges civiles; id enim non fuit quatenus protegeret Statum, sed quatenus superior, ut violatrices sui iuris; hinc Status nequit viceversa irritare leges Ecclesiae.

II. *Neque societas protegens potest disponere de negotiis protectae societatis vel cum ea aeque principaliter concurrere, sed ei relicta libera dispositione rerum suarum, debet eam fideliter comitari.* Ratio est quia idem ius est de lege ferenda, et de lege executioni mandanda.

541. Obiiciunt regalistae: Imperanti civili ius esse certitudinem assequendi iustitiae causae, ob quam eius imploratur auxilium, ideoque iudicandi de eius iustitia, sicut princeps foederatus si ab altero requiratur; secus princeps fieret caecum instrumentum iudicis ecclesiastici.

Resp. principem laicum certum esse de iustitia causae, quin eam examinet, cum ab Ecclesia advocatur, in genere loquendo, sicut inferior non habet ius examinandi praecepta superioris antequam ea executioni mandet, sed tantum per exceptionem potest denegare obedientiam ex manifesta iniustitia, ratione peccati vel incompetentiae. Iamvero princeps est inferior Ecclesiae, ideoque eius leges non examinare sed exequi tenetur; excipe si in casu particulari auctoritas, praesertim secundaria, abuteretur evidenter iure suo; tunc enim datur appellatio ad superiorem; sed leges generales Ecclesiae iustas esse, et auctoritative applicari certum est antecedenter principis iudicio; hinc princeps non est caecum instrumentum, quatenus nesciat et generice iustitiam causae, sed ad summum in specie,

quae cognitio specifica non est necessaria. Hinc non stat paritas cum principe foederato; haec enim foederatio est inter aequales, quod non verificatur in casu nostro. Si autem ageretur de protectore auctoritativo, tunc profecto posset videre iustitiam causae ob quam imploratur eius interventus, et hoc facit princeps cum subdito, et Ecclesia cum principe.

542. Si autem lex disciplinaris Ecclesiae, quamvis in se iusta, per accidens graviter noceret alicui Statui, tunc princeps ius habet reclamandi, et si non pateat accessus ad s. Sedem, poterit etiam suspendere executionem legis, dummodo iudicio prudentum, praesertim Episcoporum generaliter loquendo, sit evidenter et graviter noxia. Ad rem facit cap. 5. de rescriptis (lib. I. Decretal.) quod etsi ab Alexandro III. dirigatur ad Ravennatem archiepiscopum, tamen paritate rationis trahi potest et ad principes: « Si quando aliqua tuae « fraternitati dirigimus quae animum tuum exasperare « videntur, turbari non debes... qualitatem negotii pro « quo tibi scribitur diligenter considerans, aut manda- « tum nostrum reverenter adimpleas, aut per litteras « tuas, quare adimplere non possis, rationabilem causam « praetendas; quia patienter sustinebimus si non fece- « ris quod prava nobis fuerit insinuatione suggestum ».

543. Ex dictis apparet quam falsa esset illa libertas gallicana, qua dicebant principi competere *custodiam canonum;* hoc nomine non indicabant brachium saeculare adhibitum in Ecclesiae utilitatem iudicio ipsius Ecclesiae; sed 1° principi competere interpretari canones, ideoque impedire eos aliter observari etiam a praelatis; 2° non admittebant novas leges Ecclesiae, si principi videbantur contrariae antiquis canonibus, quos meliores putasset ac novos. Haec omnino adversantur Ecclesiae naturae, et alio sensu imperatores

antiqui romani aiebant se esse custodes canonum. Fénélon explicavit quoque verum sensum quo princeps est protector canonum. Etenim in suo opusculo: *Plans du gouvernement concertés avec le duc de Chevereuse pour être proposés au duc de Borgogne*, ait: « Les rois pro-
» tecteurs des canons. Protection ne dit ni décision,
« ni autorité sur l'Eglise. C'est seulement un appui
» pour elle contre ses ennemis et contre ses enfants
» rebelles. Protection est seulement un secours prêt
« pour suivre ses décisions, non pour les prévenir ja-
« mais: nul jugement, nulle autorité ».

544. III. Principium: *Protectio importat ut auctoritas protegens dirigat media legalia ordini suo respondentia, ad defensionem et evolutionem iurium auctoritatis protectae.* Vidimus partem negativam protectionis, non importare iurisdictionem circa materiam societatis protectae, et supponere eius existentiam et iura quibus attentare non debet; sequitur pars positiva seu affirmativa, in quo nempe praecise consistat actio auctoritatis protegentis; et dicimus consistere in dirigendis mediis suae competentiae ad defensionem et evolutionem iurium alterius; dicimus defensionem et evolutionem, quia et impedimenta auferre et materiam praedisponere debet quantum potest. Hoc principium exurgit tum ex praecedenti negativo, seu excludente in quo non consistat protectio, tum ex ipsa natura utriusque societatis, quod nempe Status servit Ecclesiae ex natura sua ei subministrando quae sunt sui ordinis, ut num. 399 expositum est.

COROLLARIUM

545. Ex eo quod auctoritas protegens adhibet media suae competentiae et hoc ex relatione naturali utriusque societatis quando adiuvat non ministrando,

sed ob suam utilitatem, sequitur 1° operari non ex delegatione alterius, sed iure suo; hinc et Status ratione Ecclesiae. Sed quoniam est defensio, hinc oportet 1° ut Status non praeveniat iudicium Ecclesiae circa ius, sed sequatur; item in parte positiva adiuvandi, Ecclesiae est iudicare quid obtinere ipsa desideret a fidelibus. Quod ita exhibet s. Thomas de Regimine Principum lib. I. cap. 14. « Semper invenitur ille, ad « quem pertinet ultimus finis, imperare operantibus ea « quae ad finem ultimum ordinantur; sicut gubernator « ad quem pertinet gubernationem disponere, imperat « ei, qui navem constituit, qualem navem navigationi « aptam facere debeat; civis autem qui utitur armis « imperat fabro, qualia arma fabricet ». Hinc etiam ut quis puniatur tamquam haereticus, debet praecedere iudicium Ecclesiae de haeresis crimine.

2° Sequitur, quoniam Status defendit mediis suis, ipsum in re dubia esse iudicem competentem, quid sit sibi possibile vel quid in ordine externo civili sit expediens, ex. gr. quid seditionem posset producere.

3° Tamen in hac defensione non debet offendere finem ipsum Ecclesiae, quae proinde posset irritare quasdam defensiones ut excessivas, vel non convenientes in modo (ut saec. XVII. pro Iudaeis Hispaniae).

Hinc Status duo praestare debet: 1° tueri libertatem potestatis legislativae et iudiciariae Ecclesiae, ideoque impedire tumultus; 2° eius deliberationes firmare et adiuvare.

546. Haec confirmantur et doctrina ss. Patrum et ad rem faciunt plures textus allati in thesi de natura societatis perfectae competente Ecclesiae ex voluntate divini Fundatoris, in quibus ss. Patres reprehendunt imperatores qui iudicium Ecclesiae antevertere in re religiosa volebant

His addantur quae attulimus supra in thesi de competentia exclusiva Ecclesiae in re religiosa num. 393.

Insuper s. Facundus herminianensis in defensione trium capitulorum, lib. XII. c. 2. ait: « Principes non « praevios sed pedissequos sacerdotalium decretorum « esse oportere ».

Et Felix III. Zenoni imp. « Certum est enim hoc re- « bus vestris esse salutare ut quum de causis Dei aga- « tur, iuxta ipsius constitutum regiam voluntatem sa- « cerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre ».

Ioannes VIII. in cap. I. *de officio iudicis ordinarii:* « Publicum (idest societatis civilis) auxilium ita in « Ecclesiae bonum conferendum esse ut non praeiu- « dicare praesumat sed potius quae Deo sunt placita, « exequatur ».

Et tandem Conc. Trid. sess. XXV. cap. 20. de ref.: « Principes saeculares Ecclesiae protectores ita esse « censendos, ut tamen quae ecclesiastici iuris sunt, « tamquam Dei praecepta eiusque patrocinio tuta, ea « sanctius venerentur, quo largius bonis temporalibus « atque in alios potestate Dei beneficio sunt ornati ».

547. IV. Principium: *Protectio dat bonam praesumptionem mandati auctoritati protegenti ex parte auctoritatis protectae ut nonnulla agat quae non essent illius, sed huius competentiae.* Ratio est quia unusquisque censetur probare quae cedunt in sui utilitatem. Est tamen praesumptio et cessat si expresse vel implicite aliud colligi possit.

ARTICULUS IV.

De obligationibus Ecclesiae erga Statum civilem.

548. Hae obligationes determinantur applicando principia generalia supra exposita, n. 177. et seqq. circa

relationes societatis superioris erga inferiorem, quando eadem sunt membra, et in statu concordiae. Ea principia habebant partem negativam et affirmativam; negativa asserebat neutram societatem debere aliam impedire; in conflictu autem superiorem debere praevalere. Sed insuper aderat pars affirmativa quae aiebat 1° societatem superiorem (et proinde Ecclesiam) ex sui natura adiuvare societatem inferiorem (idest civilem) in iis quae exiguntur a ratione proprii finis; 2° in ceteris non teneri ex iustitia sed tantum aliquando ex charitate.

Igitur nunc breviter evolvenda et applicanda sunt haec principia. Quoad principium negativum, cum ex dictis in corollario art. III. n. 404, prius ius habeat Ecclesia statuendi suas leges, et deinde Status, attento iure Ecclesia condendo leges suas non tenetur respicere ad praeexistentes leges Status (loquimur enim de *iure* et non de *prudentia* aut *aequitate*), nisi cum ipsa potest et aliis mediis finem suum assequi, et e contra Status nullum aliud medium habet. Cum enim neutra societas debeat aliam impedire, cum concordia possibilis est, Ecclesia debet respicere ad leges Status.

549. Quoad partem positivam animadverte, spiritualia etsi tendant per se ad vitam aeternam, tamen plurimum iuvant et pro felicitate temporali; ergo in his Ecclesia adiuvat Statum non modo ex charitate erga ipsum, sed ex fine suo; ita etiam in ordine externo et publica tranquillitate servanda, quia bonum est in genere nos tranquillam et quietam vitam agere, ut aiebat s. Paulus; item et in nonnullis temporalibus aeque necessariis Ecclesiae et Statui; ex. gr. si adventarent hostes qui non modo rempublicam sed et Ecclesiam vastarent. Ergo in his Ecclesia adiuvat Statum ratione finis sui, cum haec connectantur cum eodem

plus vel minus proxime, idest 1° absolute, honestas externa morum; 2° per modum regulae, publica tranquillitas; 3° per exceptionem, ex particularibus circumstantiis, ut in bello cum infidelibus; (sed in 1. casu Ecclesia non tam Statum adiuvat quam se).

550. Insuper sunt alia quae nullo modo vel nimis remote connectuntur cum fine Ecclesiae, etsi proxime connectantur cum fine Status; ex. gr. extare vias publicas, portus etc. vel bella communia cum aliis aeque catholicis. In his valet 3um principium num. 179-180, idest aliquando Ecclesia adiuvat ex mera charitate; sic aliquando concessit decimas; sed regulae charitatis servandae sunt, idest Ecclesia dat ex relative superfluis, vel saltem non necessariis, omnibus perpensis, idest attenta necessitate Status ex una parte, et facultate propria ex altera, et est mera charitas, ideoque a Statu peti sed exigi non potest. Ecclesia autem cum Statu potius abundat quam parca sit.

551. Hinc notandum, etiam Statum aliquando quaedam praestare Ecclesiae ad quae non teneretur, sed ex mera laudabili devotione, ex. gr. abundantes divitias. Et nota Statum numquam teneri ex mera charitate; si enim est aliquid Ecclesiae necessarium, iam tenetur ex officio, seu ex sua subordinatione, non autem ex mera charitate.

552. Illud insuper hic adnotare praestat universam historiam ecclesiasticae legislationis ostendere Ecclesiam non modo opem ferre Statui pro eiusdem necessitate et sua facultate, sed etiam modificare legislationem suam cohaerenter necessitatibus novis socialibus; et sic ex duplici elemento, stabili idest dogmatico, et variabili, idest ex novis tendentiis et exigentiis humanis, perficitur integer homo (ut principia immutabilia mathesis applicantur novis inventionibus physicis),

ideoque Ecclesia quoniam debet perficere hominem non in abstracto, sed in concreto, respicit et respicere debet indoli dominanti, et etiam aliquid indulgere humanae infirmitati, salva sanctitate.

ARTICULUS V.

De competentia utriusque auctoritatis in concreto.

553. Praeter ea quae iure proprio et nativo spectant Ecclesiae vel politicae potestati, alia sunt quae ab utraque possunt legittime acquiri ex aliquo facto; hinc in concreto potest utraque potestas competens esse in nonnullis quae ad eam non spectarent iure nativo. Id autem potest fingi duplici ratione; idest 1° ex delegatione seu concessione et mandato alterius potestatis; 2° quia subiectum unius potestatis fiat subiectum et alterius, adeo ut altera potestas sit adherens primae. Iamvero primus modus locum habere potest tum pro Ecclesia, tum pro civili potestate; non modo enim Status potest delegare aliquam civilem auctoritatem Ecclesiae, ut saepe factum est in regnis christianis (ex. gr. parochum esse et officialem status civilis, pro natis, mortuis, matrimoniis; vel Episcopos videre exclusive de quibusdam criminibus, competentiae etiam laicae, ex. gr. contra bonos mores); sed et Ecclesia potest aliquid potestatis in rebus sacris delegare Statui, ut saepe fit in concordatis; item iudicium possessorium de iure patronatus, de decimis etc.

Quoniam haec negotia alterutra potestas exercet ex alterius delegatione, de se sunt retractabilia. Quod si in pactum transissent, videbimus capite ultimo huius libri, cum de concordatis agemus.

554. Alter autem modus locum habet in Ecclesia, quia Ecclesiae dignitarii fieri possunt subiectum poli-

ticae potestatis, ut num. 391 explicatum est. Iamvero sicut in 1° casu potestas delegata exercetur nomine delegantis, ita in 2° semel acquisita legittime, possidetur et exercetur nomine proprio, et iure divino; etenim potestas suprema etiam politica est iuris divini, quamvis eius subiectum, excepto Saule et aliis quibusdam ex Hebraeorum regibus, non ex facto divino sed ex humanis factis determinetur.

555. Sed contra nequit idem evenire quoad auctoritatem ecclesiasticam, eius subiectum fieri laicam potestatem, ex. gr. imperatorem Germaniae hoc ipso esse et Pontificem, et comitem Tusculanum esse et Episcopum Tusculanum. Non loquimur de unione personali, idest eum qui iam est ex. gr. imperator, fieri et pontificem, sed de unione reali. Illud non est absurdum, quia talis persona posset esse habilis ad pontificatum utiliter gerendum; secundum vero est absurdum. Et ratio est quia nequit principale alligari accessorio; item subiectum potestatis laicae, non est hoc ipso, idoneum ut sit subiectum auctoritatis ecclesiasticae, plura enim maiora requiruntur, et praesertim supernaturalis vocatio, quae et in principe optimo deficere possunt; insuper Ecclesiae ius ad suam libertatem et independentiam tum in abstracto tum in concreto, etiam in personis, est omnino originis et legis divinae et impraescriptibile. Item iuxta indolem humanam, facile coelestia inservirent terrenis.

556. Neque adest paritas cum potestate civili; etenim magistratus ecclesiasticus est habilis ad potestatem civilem, sed magistratus laicus non est per se idoneus ad ecclesiasticam possidendam et exercendam; illud reipublicae potius favet quam noceat, hoc Ecclesiae semper noceret. Insuper potestas civilis potest fieri haereditaria in aliqua familia; est igitur alliga-

bilis subiecto humano determinato; ergo multo magis et sedi alicui, puta episcopali.

557. Mandatum autem potest esse non modo explicitum sed etiam tacitum et praesumptum. Iamvero quando Status et Ecclesia sunt in plena concordia, imo Status imbuitur in sua legislatione principiis catholicis et brachium suum praestat Ecclesiae legibus executioni mandandis, tunc facile et Ecclesia expresse plura mandat vel etiam tacite aut ex praesumptione mandati fieri approbat vel permittit, dummodo de cetero convenientia; imo si auctoritas civilis etiam facilis fuerit ad mandatum circa quaedam sibi tribuendum, Ecclesia minus aegre patitur vel post factum ratum habet. Et sic multa explicantur in historia, ex. gr. Constantini imperatoris, Iustiniani, Caroli M. et aliorum piorum regum vel imperatorum, quos videmus plura decrevisse circa res ecclesiasticas; quae constituerunt vel rogatu Ecclesiae, ideoque mandato expresso (nunc autem de pluribus perierunt documenta ecclesiastica), vel praesumpto, quod ex silentio Ecclesiae, factum est tacitum. Ex. gr. Theodosius anno 390 prohibet foeminis comam sibi secare religionis specie, et Episcopis eas admittere ad sacramenta; id praeceperat Concil. Langrense (Moroni, Dizionario di erudizione ecclesiastica vol. VIII. pag. 49).

558. Si autem adsit conflictus, tunc cessat quaelibet praesumptio mandati, ideoque Status poterit tantum quae ei expresse concessa sunt nec retractata. Hinc neque tacitus consensus invocari potest ex silentio Ecclesiae; etenim hoc silentium non ex consensu provenire potest sed ex necessitate, ideoque nullum ius tribuit.

559. Item cessat quaelibet praesumptio si Status velit in ecclesiasticis negotiis sese intromittere iure proprio; etenim eatenus datur mandatum praesumptum,

quatenus Status sese offert ut delegatum Ecclesiae, ideoque ut ei obsequentem; sed qui iure proprio vult aliquid agere alteri competens, non ut obsequentem sed potius ut adversarium sese exhibet.

Idem dicatur cum obtinet indifferentia seu separatio Ecclesiae et Status. Hinc videmus saepe Ecclesiam reprehendere in recentibus guberniis actus circa res ecclesiasticas, quos non reprehendit in antiquis regibus; et moderni irrationabiliter queruntur de Ecclesia veluti si haberet duas mensuras; ut enim summus pontifex Leo XIII. observavit in quaestione de regio patronatu in provinciis neapolitanis, Ecclesia beneficiis suis afficiebat principes benemeritos et plura eis libenter concedebat quae non concedit principibus hostilibus.

560. Praeter mandatum, et renuntiatio exercitii alicuius iuris proprii in alterius favorem haberi potest, eo tamen modo qui explicabitur agendo de concordatis; ex. gr. Ecclesia posset dimidias decimas Statui renuntiare in perpetuum; sed haec renuntiatio quoniam minuit ius (saltem quoad exercitium) societatis ecclesiasticae, non praesumitur, et subiicitur restrictivae interpretationi; quoniam habet odium iuris, nisi ostendatur evidenter fuisse pro bono ipsius Ecclesiae.

561. Ex his facile intelliguntur sequentia principia: 1° Ecclesia potest in re civili quantum ceteri principes, semel ac dominium temporale fuerit adepta.

2° in re ecclesiastica quousque non demonstratur positiva conventione Ecclesiam renuntiasse cuidam determinato exercitio iurium suorum ob ipsum bonum spirituale, renuntiatio non praesumitur.

3° Princeps in re ecclesiastica nihil potest iure proprio, sed id tantum quod ei de Ecclesiae mandato concessum est; cessat autem omnis mandati praesumptio, cum princeps praetendit agere iure suo.

ARTICULUS VI.

De relationibus iuridicis Ecclesiae cum Statu non-catholico.

Vel est Status christianus vel infidelis; rursus si christianus est aut haereticus, aut schismaticus, vel praescindens.

§ 1.

CUM STATU CHRISTIANO ACATHOLICO.

562. Cum est christianus, per se loquendo, Ecclesia habet erga eum omnia iura sua; etenim eius rebellio eum non liberat a suis oneribus, nec minuit Ecclesiae iura; tantum efficit, ut Ecclesia possit in eum suam punitivam potestatem exercere.

563. Quaeri autem possunt duo: 1° an ad servandas leges Ecclesia intendat de facto obligare acatholicos; 2° quid in sui favorem ab eis iure petat.

Prima quaestio respicit potius ius privatum; et quoniam non est praesumendum Ecclesiam velle haereticos et alios heterodoxos (natos et educatos in heterodoxia), obligare ad suas leges cum certa praevisione transgressionis absque necessitate aliqua (etenim esset occasionem praebere multiplicandis peccatis, quod etsi liceat ex gravi causa, non licet ex charitate absque ea), hinc communiter et cum veritate respondetur huic quaestioni Ecclesiam non urgere leges suas quando diriguntur primario ad sanctificationem individui: ex. gr. leges de ieiunio; e contra eam urgere leges antiquas quae vigebant cum heterodoxi ab unitate discesserunt et in separatas sectas coaluerunt, quando diriguntur primario in bonum publicum, quod verificatur in legibus irritantibus ad id latis, quae suum effectum sor-

tiuntur etiam ignorante subdito; ex. gr. impedimenta matrimonialia. Bonum enim publicum est ratio sufficiens permittendi haec peccata. Tamen et tunc non peccabunt, nisi cognoscant suam subiectionem erga Ecclesiam; et quando ad unitatem redibunt, tenebuntur iisdem legibus irritantibus sese uniformare.

264. Quoad 2^{am} quaestionem, per se Ecclesiae iura sunt semper integra, ita ut libertatem iure peteret in omnibus; sed de facto impossibile est exigere a Statu heterodoxo ut omnia Ecclesiae praestet quae essent praestanda; siquidem contradiceret suae professioni. Igitur videamus quid, ut ita dicam, rationabiliter ab eo peti possit ad hominem, et quae etiam vi adhibita. Ecclesia enim etsi facta defectione quaedam tolerare possit et aliquando ad mala maiora vitanda aut aliis iustis de causis, debeat, tamen quaedam nequit tolerare, sed semper ius habet ea petendi et etiam exigendi. Diximus *consummata defectione;* sicut enim in re politica, ita et in religiosa, alia sunt iura exercenda in actu rebellionis, donec spes manet eamdem sedandi, et alia, facta secessione, cum societas iam aliter est ordinata; non quia theoria factorum consummatorum admitti possit; consummatio enim delicti illud non legittimat, imo eius imputabilitatem auget; sed quia novi tituli in contrarium enascere possunt, et ordinario titulus tranquillitatis socialis. In re autem religiosa cautius proceditur, quia subiectio violenta societatis regulariter nec haereticis utilis esset nec ordini publico; hinc ius Ecclesiae actuabile contra rebelles facta consummatione minus est ex hac parte iure regis eiecti; sed ex alia hoc praescribi potest et tempore cessat; illud nequaquam.

Igitur videamus 1° quid Status hic deberet iuxta sua etiam principia Ecclesiae concedere; 2° quid posset

Ecclesia exigere si Status sponte non concedat. Ut melius procedamus, separatim sit pro diversa hypothesi.

565. Igitur vel Status est haereticus aut schismaticus, vel praescindens, iuxta quod publica potestas quatenus talis professionem facit haeresis aut schismatis, vel indifferenter se habet ad omnes religiones saltem christianas, idest salva honestate naturali. Theologice loquendo hic Status ducitur principio haeretico, nempe indifferentiam esse per se rationabilem; sed in praxi sunt nonnullae discrepantiae ob indolem principii ab eo adoptati; hinc separatim de eo agitur.

A. CUM STATU HAERETICO.

566. Sit 1° de haeresi; quid adhuc iuris est Ecclesiae? I. Ecclesia ius habet ut si adhuc aliqui sint in eo Statu catholici, permittantur libere sequi religionem suam, ideoque neque molestiis afficiantur, neque iuribus civilibus minuantur. Id petere potest evidenter a statu haeretico; etenim quod cum aliqua specie verisimilitudinis, humano modo loquendo, status haereticus contendere potest, ad summum est Ecclesiam catholicam non esse infallibilem; sed nulla neque humana verisimilitudine potest sibi exclusive tribuere infallibilitatem; aut saltem fateri debet antiquae Ecclesiae a qua separatus est, asseclas posse probabiliter non admittere infallibilitatem Status sed eiusdem Ecclesiae.

Haec praesertim patent ex principiis protestantismi, idest liberi examinis. Ergo catholicis permittendum est ut catholice vivant, et ipsorum Ecclesia est agnoscenda ut persona moralis, capax possidendi etc. Hinc Status debet etiam defendere haec eius iura, sive adversus eius hostes externos, sive internos; hinc et

poenas ecclesiasticas contra reos; unicus casus qui videtur excipiendus, est ad hominem exigi non posse ut puniat discedentes ab Ecclesia; sed tantum ipsorum discessionem non nocere iuribus Ecclesiae, seu ceterorum. Si tamen omnes discederent, tunc ad hominem arguendo forsan exigi non posset ut bona restitueret Ecclesiae universali, quia erant et particularis Ecclesiae.

II. Ecclesiae permittendum esset ut etiam sese propagaret, alios convertendo. Id enim statui haeretico, nequit videri irrationabile, cum exigere nequeat ut alii eum habeant infallibilem, ideoque etiam iuxta eius principia iuridice possibile sit, veritas stet in catholica religione; et qui ceteros curat de veritate suadere, iure agit; et qui veritatem complectitur iuri obtemperat. Igitur leges quae puniunt transeuntes ad religionem catholicam sunt iniustae. Nec valet hoc idem principium pro catholica religione, quia ipsa profitetur et ius habet profitendi suam infallibilitatem.

B. CUM STATU SCHISMATICO.

567. Sit 2° de statu schismatico. Quoad hunc statum idem dicendum est. Non enim verisimile est, ipsum posse bona fide persuaderi ceteros neque probabiliter credere primatum romanae Ecclesiae; ideoque permittere debet hanc fidem et praxim conformem, cum et humano modo loquendo Ecclesia una aliquid nobilius sit pro Christo, quam multae Ecclesiae territoriales.

568. Quod si status haereticus vel schismaticus haec non concederet, possent ab Ecclesia exigi, etiam vi adhibita; idest status christiani possent et aliquando deberent vi cogere statum hunc ad iura Ecclesiae servanda; agitur enim de defensione, vim vi repellendo, et omnes status sunt membra eiusdem Ecclesiae uni-

versalis, ideoque tenentur eius iura servare et defendere et opem ferre fratribus suis. Hoc principium tam naturale est ut semper eodem iure usi sint et status acatholici; ex. gr. protestantes contra catholicos qui iuxta ipsos molestabant alios protestantes; ita et russi protectionem et arma pluries sumpserunt pro graecorum schismaticorum libertate defendenda, ob religionis fraternitatem.

C. CUM STATU INDIFFERENTI.

569. 3° De statu indifferente. Hic status multo magis debet libertatem Ecclesiae relinquere, et eius iura defendere, facta exceptione ut supra mutationis religionis. Sed professio indifferentiae importare solet hoc inconveniens, Statum condere leges suas non respiciendo ad revelatas religiones, sed exigere obedientiam legibus suis, etsi aliquando adversentur alicui praecepto religioso, ex quo subditi ponuntur vel in necessitate offendendi conscientiam suam, vel subeundi poenas ad obsequendum conscientiae. Igitur dicimus statum indifferentem (etsi aliquando per accidens possit ita se habere), numquam tamen debere leges contrarias legibus Ecclesiae condere, nec aliarum religionum christianarum quibus libertas civilis fuerit legittime concessa. Etenim ita prosequi debet bonum temporale ut non obstet bono spirituali, cuius existentiam et Status admittit, vel saltem fidem rationalem in eius existentiam, seu admittit alios posse credere rationabiliter.

570. Sed dicunt: in hac hypothesi exurgere possent religiones quae adversarentur bono civili, quibus profecto Status morem gerere non debet; hinc ne unam suscipiat et aliam non, dicendum est ab omnibus praescindendum esse.

Respondemus nos loqui de Ecclesia catholica quae nulli iuri civili attentat; relate ad reliquas potest Status (per accidens) ad eas respicere quae nihil iuri naturae contrarium et proinde iuribus ipsius Status veris continent.

D. OFFICIA CATHOLICORUM IN SOCIETATE MODERNA (1).

571. Societas moderna in qua versamur, plus minus profitetur principia indifferentismi; hinc gubernia non modo de facto negligunt religionis protectionem, sed tale munus a se abdicant. Ex alia vero parte, populo largiuntur participationem maiorem vel minorem in re publica administranda.

Hinc duo sequuntur: 1° ius et officium defendendi religionem eamque fovendi, devolvi ad privatos; quae enim incumbunt societati, nisi adsumantur a publica potestate, corpori sociali adhuc inhaerent.

2° Per consequens sequitur privatos teneri uti omnibus mediis legalibus aliunde honestis ad religionis protectionem.

§ 2.

DE RELATIONIBUS ECCLESIAE CUM STATU INFIDELI.

572. Status infidelis non est subditus Ecclesiae; hinc minora sunt iura Ecclesiae erga ipsum etiam in abstracto. Tamen et status infidelis ex iure naturae debet admittere possibilitatem divinae revelationis; id enim tantum ab atheo negari potest; si autem Dei sufficientem cognitionem non habeat, hoc est ex eius degradatione, quae constituit quoddam factum, sed iura non creat.

---

(1) Vide *Nozioni di diritto*, num. 488 et seqq.

Nequit autem impedire propagationem christianae religionis, cum nihil exhibeat naturali rationi adversans, imo ex motivis credibilitatis tum intrinsecis tum extrinsecis, ut valde probabilis saltem, omnibus appareat; hinc tyrannice tantum impediret eius praedicationem, aut puniret eius asseclas, seu Ecclesiae formationem, et ea formata, eius liberam evolutionem; salva ad summum libertate discedendi ab ea.

Si haec negaret, posset et vi cogi a statibus christianis, et non obstante praesente incredulitate, tamen sensus christianus plus potuit quam systemata; hinc saepe imposita pacta analoga statibus paganis et vi armata exacta est eorumdem observantia ac punita inobservantia.

CAPUT IV.

IURIDICAE RELATIONES ECCLESIAE CUM ALIIS SOCIETATIBUS RELIGIOSIS.

573. Posita obligatione sociali inquirendi de revelatione eamque suscipiendi, ut supra demonstravimus, facile determinantur iuridicae relationes Ecclesiae cum aliis communionibus religiosis sive per se sive per accidens.

I. per se: quoad sectas christianas 1° per se non habent ius ad existendum; 2° hinc Ecclesia eas iuridice considerat ut societates rebelles.

II. Quoad infideles 1° non habent ius per se ad existendum; 2° Ecclesia eas considerat ut societates non rebelles, sed quarum membra deberent fieri subdita.

Per accidens: quoad acatholicos vel sermo est in actu rebellionis, vel ea consummata. In 1° casu potest Ecclesia mediis coactivis de quibus disponit contra eas societates uti et contra singulos; in 2° casu, quoniam

novis membris succedentibus potest bona fides in eis suboriri, Ecclesia non amplius eas et eos cogit et proinde considerantur ut haeretici materiales; imo limitat suas leges ut non teneantur iis quae directe tendunt ad sanctitatem individualem et a sua secta non recognoscuntur, sed tantum ad leges irritantes directe latas ad ordinem publicum et publicam honestatem servandam. Hinc etsi hae societates sint in se illegittimae, tamen consideratur ius libertatis legittimae personarum eas constituentium.

574. Quoad infideles, per accidens consideratur hoc idem ius in iis quae saltem legi naturae non adversantur manifeste, nisi ex prudentia et haec toleranda aliquando sint; hinc imperatores christiani iure fana deorum clauserunt, cum id potuerunt, etsi paganos non cogerent ad christianam religionem suscipiendam; aliud enim est interdicere actus positive contrarios iuri naturae et aliud fidem iubere; hinc non possunt bella suscipi ad convertendos infideles, sed tantum adhiberi media mitiora; ita Gregorius XIII. Const. *Sancta mater*, 24 Sept. 1584 obligavit iudaeos ad audiendum verbum Dei, specialiter eis praedicatum. Item infidelibus potest bellum indici si nos offendant vel praedicatores nostros aut eos qui converti volunt.

CAPUT V.

RELATIONES IURIDICAE STATUS CATHOLICI CUM SECTIS DISSIDENTIBUS.

ARTICULUS I.

Quando concedenda sit libertas cultuum.

575. Quaeri potest I. an gubernium catholicum possit salva naturali honestate, permittere libertatem con-

scientiae et aequalitatem ante legem pro publicis muneribus et honoribus.

Distinguendum est: vel agitur de statu in quo iam existit haec paritas cultuum et est iurata aut promissa lege fundamentali, et tunc est fideliter observanda, donec moraliter dispareant dissidentes, idest omnes redeant ad catholicitatem; (dico moraliter, quia de minimis non curat legislator, et his paucis sua iura acquisita salva esse deberent); vel existit, sed tantum quia moribus introducta aut lege non fundamentali permissa, et tunc est res prudentialis, an attento spiritu epochae, sit practice possibilis eius abolitio, absque damnis maioribus; si est possibilis, est abolenda, quia haec libertas est de se dissolutiva societatis et magnum malum contra religionem; secus est toleranda, et, ut alias innuimus, consulendum magisterium vivum Ecclesiae, quod edocebit agenda; ideo enim existit auctoritas viva ut et leges in difficilioribus interpretetur et occurrentibus applicet casibus.

576. Si nullo modo existat, non est permittenda, cum sit magnum malum. Igitur tunc tantum lege permittenda quando iam coepit moribus obtinere saltem aequivalenter, quia nempe eam reclamant et iam resisti nequit absque maioribus incommodis, ut num. 495 et seqq. explicatum est; sed quoniam potest multos gradus habere, de quibus infra, minimus gradus erit concedendus, si fieri potest.

Ceterum spiritus epochae est potius pro libertate, quamvis per incredibilem contradictionem, catholicis multae opponantur limitationes pluribus in regnis. Tamen veritas est proclamanda, et quantum possumus pugnandum est, ne societas citius dissolvatur. Ex qua aperta veritatis praedicatione, non modo sacer veritatis ignis inter homines conservatur, sed insuper ostenditur

Ecclesiam non duci secundis occultis finibus, cum et ea doceat quae dominanti opinioni adversantur, ideoque non quaerit popularitatem sed veritatem. Numquam autem ius est Statui exigendi a catholicis practicam indifferentiam, idest ut se gerant tamquam indifferentes, ex. gr. scholas esse, ut aiunt, *inconfessionales*, quia hoc non est libertatem aliorum servare, sed catholicos cogere ad ea quae ipsorum religioni adversantur.

ARTICULUS II.

Quid societas catholica permittere debeat dissidentibus.

577. Circa relationes tolerantiae legislationis civilis cum diversis religionibus possumus hos gradus distinguere: 1° neminem cogi ad profitendam religionem quam numquam agnovit ut veram. Haec est libertas conscientiae, bene intellecta; et est debita omnibus. Hinc neque infideles coguntur ut fiant christiani; aliud autem est eis posse interdici quosdam actus superstitiosos, praesertim offendentes moralitatem, et aliud ad positivam professionem christianismi cogi posse. Illud est licitum et aliquando obligatorium, et pendet a prudentia civili iudicare quando sint superstitiones tolerandae. Hinc dissidentes contenti sint cultu familiari si pauci et tolerantia publici cultus si multi. Cultus enim publicus non pertinet ad ius privatorum, sed societatis: hinc moderandum est iuxta societatis exigentias; sola autem catholica societas ius habet ex dictis excludendi alios cultus publicos, cum repugnent eius principiis, et non ceterae societates, cum tantum per apertam contradictionem aut sine ullo probabili fundamento profiterentur principia exclusiva.

2° Tolerantia seu libertas cultus familiaris, seu privati.

3° Cultus publicus toleratus; est publicus si exerceatur in loco destinato pluribus familiis adunandis, et est toleratus cum a Statu simpliciter permittitur; et in hoc plures limitationes esse possunt, ex. gr. aedificia eius exercitio destinata habere non posse externam speciem templi, aut extra moenia esse constituenda; vel quoad personas, ex. gr. quod liceat natis ex heterodoxis, sed non catholicis qui a catholicitate defecerint.

4° Paritas cultuum. Status aeque agnoscit omnes cultus et quidem publicos.

5° Unus ex his esse potest cultus Status, etsi et ceteri habeant eadem iura.

6° Si unicus sit agnitus, et ceteri tolerati, quia permissa publicitas sectatoribus, hic dicitur dominans.

578. Iamvero etsi quisque ius habeat ad libertatem conscientiae, et etiam ad cultus familiaris libertatem donec verae religioni se non addixerit, tamen ius ad cultum publicum non adest pro errore, sed tantum ex prudentia civili est permittendus iuxta superius dicta, et intra limites maiores vel minores pro gravitate causarum. Numquam autem potest lex positive adversari Ecclesiae.

579. Relate ad cives tolerantia alia est civilis, alia politica, prout dissidentibus agnoscantur iura civitatis seu privata, aut etiam publica seu politica; et in his quoque gradatio esse potest, quia plura vel minora iura eis agnosci possunt. Tolerantia haec personarum differt a libertate cultuum, cum tolerari possint et politice, personae quarum cultus publicus non agnoscitur ut aequalis ceteris. Aliud autem est tolerantia religiosa, quae est neganda; est enim recognitio paritatis iuridicae attenta ipsa natura doctrinarum ad invicem pugnantium, de quo § 5. cap. III. Hinc Status concedens tolerantiam civilem aut politicam, si intenderet religiosam, per iniuriam ageret.

ARTICULUS III.

De concursu positivo principis seu Status catholici ad actus religionis falsae.

580. Quaeri ulterius potest an praeter concessionem libertatis, et tolerantiae, licere possit aliquis positivus concursus status civilis ad conservationem et exercitium cultus falsi. Loquimur de positivo concursu; etenim negativus ex dictis aliquando licet, cum nempe toleratur falsa religio, et princeps non impedit eius exercitium. E contra positivus est cum vel ipse rector societatis ponit actum religiosum, ex. gr. nominat vel instituit aut confirmat sacerdotes aut alios ministros falsae religionis, vel saltem influit, ceteros compellendo ad huiusmodi actus, ut repugnantes puniendo, vel media subministrando, puta pecuniam ex publico aerario.

581. Quaestio, ut patet, potest multiplicem adspectum habere. Et I. distinguenda in his est cooperatio materialis a cooperatione formali. Formalis est cooperatio cum quis vel ex intentione vel ex ipsa natura actionis influit in malum quatenus malum est; materialis est cum quis ponit actionem vel bonam vel saltem de se indifferentem, qua alter ad malum abutitur. Diximus formalem esse non modo cum quis ea intentione operatur ut ad malum concurrat, sed et cum ipsa actio natura sua, in concreto sumpta prout est in omni sua efficacia, ad id tendit ut malum producat; frustra enim quis sibi contrariam proponeret intentionem, cum ipsum opus ad malum ducit; tunc enim intentio mala latet implicite in ipso opere, et veluti est intentio operis, cui inefficaciter opponitur intentio operantis; cumque actus primario et directe specificetur de se ab

obiecto, in casu obiectum est malum, cum sive immediate sive mediate de se ad malum ducat.

582. Hoc posito patet cooperationem formalem actibus falsae religionis, prout talis est, numquam licere. Dicimus prout talis est; non enim in falsa religione omnia sunt mala, sed plura bona esse possunt, ut in iudaismo et sectis acatholicis; hinc cooperatio ad quosdam actus de se bonos quamvis ponantur a sectatoribus falsae religionis, de se potest esse licita. Hinc per se licet praedicare in Ecclesia acatholica acatholicis veritates quas nobiscum communes habent, dummodo non fiat pactum de evitandis iis in quibus discrepant; exclusio enim partis veritatis, iam reddit falsam reliquam partem, quia quod praecisive est mere incompletum, addita negatione fit falsum.

583. E contra cooperatio materialis est licita si subsit causa proportionata gravitati mali quod praevidetur secuturum ex aliorum abusu. Etenim ratio non ponendi hanc occasionem, esset aut charitas, aut officium provisoris: sed possunt esse causae graves excusantes utroque sub respectu; et 1° ac facilius a charitate, quae non obligat cum incommodo relative gravi; et 2° provisor boni communis potest permissive se habere quoad mala particularia, quando quorumdam positio requiritur a bono communi, etsi aliqui exinde occasionem ruinae adsumant.

584. Tota igitur difficultas versatur in eo ut in singulis generibus actionum videamus quaenam importent cooperationem materialem et quaenam formalem: rursus prout religio falsa plus vel minus recedit a veritate, difficilius locum habebit ipsa licita cooperatio materialis; item status socialis attendendus est ut appareat quaenam omitti possint sine gravi eiusdem turbatione, et quaenam dissidentibus et errantibus absque

ea negari non possint. Animadverte etiam nos loqui de cooperatione per se inspecta; si enim obstaret ad quaedam lex positiva ecclesiastica, pro debita dispensatione ad competentem ecclesiasticam auctoritatem recurrendum esset saltem ex quadam decentia; etenim cum impossibilitas moralis legis servandae est evidens, iam lex per se non obligat; verum expedit, praesertim ad scandala vitanda et veluti ad quamdam legis non observabilis omissionem compensandam, obsequium praestare auctoritati competenti; esset autem necessarium, si explicite id praecepisset.

585. Hoc posito, inter ea quae mere materialem cooperationem important, quaedam fiunt a societate nomine proprio, quaedam e contra nomine singulorum sociorum; ex. gr. pecunia ex publico aerario dari potest vel nomine integrae societatis, vel ut pars aliquota iuxta numerum profitentium aliquam religionem veluti restitutio; cum enim omnes contribuant aerario publico, si qui dissident in religione, ne querantur se cogi ad contribuendum cultui cui non participant, data ex iusta causa tolerantia civili, pro rata parte eis restitui poterunt soluta, ut in eum usum impendant qui eis magis placet, etsi praevideat princeps eos usuros esse pecunia pro falso cultu. Hinc auctoritas socialis non eam destinat pro usu falsae religionis, sed ipsi cives eamdem profitentes, etsi auctoritas certo praevideat malum eorumdem usum. Si autem non de statu catholico sermo sit, sed plurium confessionum, tunc res facilior esse potest; ita si in ipsa constitutione societatis quidam sint dissidentes et velint ut tales inire societatem, neque id sine gravi inconvenienti possit vitari, profecto liceret pro virili vel in minori summa eis adsignare pecuniam ex publico aerario ad usum religiosum; dico minorem, ne falsae religionis

sectatores sint in meliori conditione ac verae sectatores. Quod si princeps potestate potiretur cum et maior summa est eis adsignata, quae non posset absque turbis revocari, etiam permittere posset ut res in eo statu perseverarent in quo eas invenit.

586. Idem licere posset etsi dissidium fieret societate constituta, sed inevitabiliter facto consummato, et exigente tolerantiam iuxta criteria generalia superius statuta. Cum enim publicum aerarium possit considerari ut in dominio omnium sociorum pro virili, hinc veluti considerantur singuli revocare ad se suam partem et de ea pro sua intentione disponere.

587. Ut patet cooperatio facilius est materialis cum auctoritas directe ministrat individuis quam cum directe ministrat falsae religioni.

Constituto principio generali de formali et materiali cooperatione, praestat in specie examinare praecipuos actus qui occurrere solent in hac re an cadant sub cooperatione formali vel materiali; pro hac semper supponimus extare causam proportionatam, idest absque gravi societatis perturbatione praetermitti non posse, adeo ut omnibus pensatis, expediat pro bono communi permissive se habere quoad abusum sequentem ex aliorum malitia.

588. Et quidem duplicem distinguamus casum; primus est quando religiosa aliqua societas iam constituta est, et suam habet organizationem, quam ex se reparat, dando nempe sibi novos ministros loco deficientium, divisionem territorialem inter eos modificando et omnes causas de religione aut connexis exurgentes iudicando, adeo ut potestas civilis nihil aliud faciat nisi aut agnoscere relativa iura et officia ministris religionis tributa a sua secta, aut in proselytis existentia, et iuxta ea moderari relationes iuridicas secta-

torum, aut media quaedam materialia suppeditare, puta pecuniam ex publico aerario.

Alter casus e contra est quando ad ipsam organizationem instaurandam, conservandam et modificandam concurrere debeat auctoritas civilis, adeo ut non mere agnoscat facta producta a proselytis, sed insuper ea producat ex toto vel ex parte.

§ 1.

DE RECOGNITIONE LEGALI IURIUM ET OFFICIORUM QUAE SOCIETAS ACATHOLICA RELIGIOSA SIBI VINDICAT.

589. Et I. dicimus non omnia iura et officia quae religiosa societas falsa sibi suisque constituat, posse a lege civili recognosci, et actione civili urgeri ac sanciri; id enim maximas iniquitates posset confirmare, ex. gr. impedire recessum a secta, et reditum ad unitatem Ecclesiae. Utque criterium generale in hac materia constituamus dicimus *agnosci posse tantum quaedam quibus partes consentientes valent vim iuris tribuere, vel etiam ad quae et dissentientes, post factum iuste tenentur;* libero enim consensu vel facto ipso quis obligare se valet, adeo ut postea et invitus nequeat recedere nisi praestando quanti interest; ita et mandans delictum, tenetur post factum promissam mercedem solvere mandatario; est enim pretium laboris et quamvis pro foro interno nonnulli contradicant, tamen pro foro externo, cum agitur de peccato tolerato a lege, omnino affirmandum est; eo enim quod lex tolerat, tolerat cum omnibus naturalibus effectibus; iamvero nos agimus de secta religiosa tolerata et tolerabili, seu iuste tolerata, ad normam prudentiae civilis; hinc quaedam religiones omnino abominandae, non sunt civiliter toleratae; ad summum ex impotentia, seu ex

tolerantia facti, non puniuntur, sed lex non agnoscit libertatem civium haec sibi ex falsa sententia constituendi, cum in his bona fides nullo modo valeat admitti in foro externo.

Praeterea et in errantibus quaedam sunt iura vera, non tantum putativa et conventionalia, ideoque qui ea laeserit, iuste puniri poterit. Hoc quoad 2am partem propositi criterii; quoad 1am, valent partes sese obligare quoad iura alienabilia, quibus conservandis non obstat officium; quod si sese obligent, cogi possunt ut sibi sint consentientes.

590. Possumus applicando canonem constitutum quaerere de sequentibus:

A. De bonis temporalibus:

I. An lex civilis valeat agnoscere rerum temporalium possessionem in societate religiosa tolerata, et quidem inscriptam ipsi personae morali societatis, et iuxta hanc recognitionem dare vel conservare possessionem quibus de iure, iuxta principia societatis toleratae.

II. An et praestationes personales, puta oblationes et decimas, valeat aut debeat actione civili communire.

III. An ex publico aerario pecuniam subministrare.

Hoc circa bona temporalia.

B. Sequitur circa valorem actuum religiosorum.

IV. An auctoritas civilis valeat vel debeat agnoscere effectus civiles actuum religiosorum proprios, puta matrimonii.

C. Deinde circa delicta:

V. An punire actus iniuriosos contra personas quatenus titulo religioso qualificatas commissos; vel:

VI. Contra ipsam falsam religionem. Vel:

VII. An punire eiusdem transgressiones sive faciendo sive omittendo.

D. VIII. Circa positionem actuum religiosorum, an urgeri possint et promoveri, sive cum de cetero honesti, sive ad maius malum praecavendum permissive se habendo quoad partem malam. Sed primae quaestioni de agnoscendo iure possidendi temporalia, sectae toleratae, praemittenda est alia quaestio.

QUAESTIO I. PRAEIUDICIALIS

AN AD SCOPUM TOLERATUM HABERI POSSIT SOCIETAS QUAE SIT VERUM CORPUS MORALE, DISTINCTUM A PERSONA COLLECTIVA.

591. Persona collectiva eo ipso habetur quod plures personae physicae pacto uniantur; hinc si tolerantur individui profitentes falsam religionem, nulla difficultas est ex iustis causis tolerari posse et personam collectivam etsi sit efficacior ac individui distributive sumpti; etenim auctoritas civilis nihil ipsa poneret, sed tantum agnosceret factum a dissidentibus positum. Sed aliud est de corpore morali.

Iuxta enim ea quae innuimus num. 15 et 18, corpus morale seu communitas, subsistit per modum unius, et habet personalitatem adaequate distinctam a personalitate omnium singulorum sociorum. Iamvero talis personalitas certo competit societati perfectae, utpote quae ei communicatur a lege divina, naturali vel positiva. Potest item competere et societati imperfectae, si ei a perfecta communicetur. Participari posse ad scopum honestum evidens est; sed eam participari sectae falsae videtur inconveniens; et tamen quia efficacia personae fictitiae maior est quam collectivae, sectae dissidentes petunt agnosci tamquam communitates, ut sic habeant positionem identicam catholicae religioni.

592. Sed inhonestas communicandi personalitatem

plenam societati habenti scopum non licitum, probat tantum personam fictitiam diversimode constitui ad scopum honestum et ad scopum toleratum; ad primum enim communicatur plene, imo omnino independenter ab individuis, adeo ut et ipsis omnibus dissentientibus, persona moralis stet, et regatur a societate perfecta a qua pendet et a qua communicata est nomine proprio, et sic habetur personalitas quaedam moralis et fictitia; e contra ad scopum toleratum, non communicatur nomine proprio societatis perfectae, sed agnoscitur nomine sociorum. Etsi enim nequeat iure privato constitui persona fictitia quae stet et independenter ab omnibus sociis, esset enim aliquid abstractum, tamen constitui potest in favorem saltem maioris partis, cui ceteri socii renuntiant sua iura; et sic status civilis ex iusta causa, potest hanc personam recognoscere; hinc donec socii moraliter sumpti, sunt concordes, conservatur ipsa persona moralis; si moraliter sumpti vel per partes notabiles et praesertim per minores subdivisiones dissentiant et recedant (puta aliqua parochia moraliter integra), tunc modificatur vel etiam revocatur recognitio, et bona huius personae destinantur ad scopum vere honestum.

E contra pro scopo honesto constitui potest ab ipsa auctoritate publica, persona moralis fictitia, quae stet independenter ab omnibus sociis, et ipsis quoque ex toto deficientibus, curante hoc ens morale ipsa societate publica, civili vel ecclesiastica. En differentia inter personalitatem constitutam ad scopum honestum et ad toleratum; ad hunc autem intra hos limites non repugnat, sicut non repugnat agnitio civilis in reliquis quae ad hunc scopum toleratum referuntur. Etsi enim plena personalitas moralis concedatur a lege, tamen est concedenda quoties scopus est honestus, cum sit

medium de se utile ad eumdem; et agnosci potest, eo modo quo ex voluntate privatorum exurgere valet, quoties scopus est toleratus; etenim indulgetur libertati sociorum, hoc medium sibi constituentium eiusque agnitionem poscentium; et cum adsit supradicta limitatio, vere non est nisi sequela libertatis et personalitatis individuorum, qui in bonum collectionis aliqua sua iura renuntiant. E contra cum scopus est honestus, renunciatio sociorum est vere in favorem personae fictitiae, quae vi legis stat et collectione dissoluta.

QUAESTIO II.

DE AGNOSCENDO IURE POSSIDENDI TEMPORALIA SECTAE TOLERATAE.

593. Posita recognitione civili sectae religiosae, prono alveo fluit ei agnosci quoque ius acquirendi et possidendi, modis de cetero legittimis, bona temporalia, cum quaelibet societas hominum iis indigeat. Hinc ius eadem administrandi et distribuendi iuxta suas leges.

594. Verum cum hic non agatur de societate obiective perfecta sed tantum tolerata, sequitur 1. ea ex toto vel ex parte deficiente, et bona proportionatim novo honesto usui destinanda esse, utique in utilitatem sociorum si ad veram religionem convertantur. Si autem ad alias sectas, erit in potestate auctoritatis civilis an debeat applicare ius rigidum recognitum antea a dissidentibus, ut bona remaneant antiquae sectae etsi diminutae quoad socios, vel pro parte adsignentur recedentibus, posita recognitione novae sectae quam constituunt, ut toleratae; id tunc equius videtur.

2. Cum haec secta non sit societas vere perfecta, ius est societati civili introspiciendi in eius leges et actus administrativos, an sint conformes iustitiae hy-

potheticae, cui innititur secta ipsa; et si deficiant, ei ius est easdem et eosdem ad eius tramites emendandi. E contra cum societate catholica, cum ipsa sit vere perfecta et a civili independens, ideoque non sit sub tutela Status.

QUAESTIO III.

DE PRAESTATIONIBUS PERSONALIBUS PROSELYTARUM SECTAE TOLERATAE AGNOSCENDIS ET URGENDIS.

595. Quaerebatur 2. an societas civilis debeat agnoscere in sectatoribus religionis toleratae officia praestandi oblationes sive personales sive reales, a lege religiosa praescriptas.

I. Videndum est an ipsae sint de cetero iustae, vel enormes; sunt de cetero iustae quando proportionatae fini religioso tolerato.

Iamvero si sint enormes corrigi a Statu possunt et debent; secus distinguendum est: I. nequeunt agnosci pro futuro tempore ut obligatoriae, cum cuique liberum esse debeat a falsa secta quovis momento discedere; et alias vidimus, sectas utpote tandem rationi privatae innixas, non posse sibi infallibilitatem vindicare; hinc in suis semper agnoscere debere ius discedendi. Neque discedens tenetur praestare quanti interest, idest damna quae forte sectae obveniant ex eius discessione; etenim non est societas commercialis aut aliter privatam et temporalem utilitatem sociorum sibi proponens, adeo ut socii vel debeant perseverare vel praestare quanti interest; sed est societas pro fine spirituali, qui requirit facultatem discedendi liberam et ex quo dimetienda est obligatio sociorum, ideoque fine ipsorum iudicio cessante, cessat quaelibet obligatio pro futuro.

II. Quoad tempus transactum regulariter solvendae sunt, idest nisi sint actus formales religionis falsae, sed

pro expensis materialibus eiusdem; cum enim quis eo tempore usus sit opera ministrorum illius religionis et consenserit expensis cultus, iustum est solvat pro eo quod eius nomine et eo volente factum est. Diximus regulariter; excipimus enim si sint in obsequium religiosum; cum enim obsequium hoc sit illicitum, numquam praestari potest; e contra de expensis materialiter consideratis, ex. gr. pro alimentis, vel pro fabrica.

QUAESTIO IV.

AN EX PUBLICO AERARIO POSSIT PECUNIA SUBMINISTRARI SECTIS TOLERATIS.

596. Respondetur I. negative, quatenus pecunia datur sectae ut sectae; sic enim daretur in finem inhonestum, qui potest tolerari, sed non positive promoveri; atqui per talem pecuniae praestationem promoveretur.

Sed II. respondetur affirmative si detur sectae quatenus ex civibus componitur; ipsis enim datur ut sibi provideant cum publicae religioni catholicae non communicent, etsi certo praevideatur eos in falsam religionem impensuros pecuniam. Consideratur enim tunc aerarium publicum non ut pertinens ad ius societatis indivisibiliter, sed ad cives, qui ut domini eiusdem pro virili habentur, cum concordia inter eos non sit, ut supra explicatum est, agendo de materiali cooperatione. Hoc saltem valet de religione tolerabili; talis est quae sibi proponit veri Dei cultum, ex. gr. secta acatholica, sed christiana; an autem hac tolerantia civili (quam diximus distingui a mera tolerantia vulgari seu criminali), possint tolerari et religiones substantialiter malae, ut idololatria cuius respectu sectae acatholicae dici possunt accidentaliter malae, est alia quaestio; et certe res difficilior est; sed forsitan verificari potest,

si secus turbae sequerentur cum praevalentia errantium (puta si solus princeps sit fidelis et inveniat iam constituta tributa); verum nota non dari formaliter pro cultu falso, sed tamquam civibus.

QUAESTIO V.

DE AGNITIONE EFFECTUUM CIVILIUM ACTUUM RELIGIOSORUM SECTAE TOLERATAE.

597. Vel hi actus sunt validi vel non: si I. profecto agnoscendi sunt ipsorum effectus civiles necessarii, etsi illicite fuerint emissi in secta heterodoxa, sicut agnoscuntur etsi illicite fuerint emissi in Ecclesia catholica. Ita si matrimonium fuerit contractum valide apud ministrum heterodoxum; hoc supponit agi de locis in quibus speciale decretum Concilii Tridentini non viget saltem pro acatholicis, ideoque ubi sufficit naturalis consensus. Pro effectibus autem civilibus non necessario dependentibus ab essentia actus religiosi, vidimus in quaestione de materiis mixtis, Statum posse speciales conditiones exigere; imo, ut dicemus de matrimonio agentes, quoad infideles posset et formam praescribere pro validitate, apponendo impedimentum dirimens. Igitur has conditiones potest praescribere.

598. Sed hic quaeri potest an valeat apponere ut conditionem civilem, ipsam formam religiosam falsae sectae, ex. gr. exigere matrimonium celebrari apud ministrum falsae religionis ritu religioso, qui minister proinde fit tunc officialis status civilis. Iamvero aliud est partibus volentibus, considerare ministrum religionis ut officialem civilem et formam religiosam ut sufficientem, aliud est eam exigere; illud enim est ratum habere quod partes eligunt et cui ius naturae non obstat, ideoque per se validum esset; hoc est partes

adigere ad actum falsae religionis; igitur oportet adsit et modus mere civilis obtinendi effectus mere civiles; dissidentes enim cum ex hypothesi sint tolerati, nequeunt cogi ad formam catholicam; sed ex alia parte iure naturae nequeunt cogi ad actus falsae religionis; ergo via mere civilis est eis danda.

599. II. Quid si actus religiosi sint invalidi, ex. gr. ordinatio facta absque debita forma, vel matrimonium celebratum absque forma Tridentini, ubi viget pro omnibus? Nota non agi de agnitione ipsius actus religiosi ut validi; haec enim non licet, cum ex hypothesi invalidus sit; sed tantum de effectibus civilibus. Iamvero distinguendum est; vel auctoritas civilis quoad hos effectus valet supplere insufficientiam causae religiosae, eosque tribuere saltem cumulative cum ipsis partibus interesse habentibus, vel non.

Si 1^{um}, iusta extante causa seu ita exigente publica tranquillitate, poterunt agnosci; ex. gr. Episcopo anglicano dabitur exterior honor vel iurisdictio civilis quam importat eius gradus putativus in secta. Item filiis illegittimis dari possunt iura civilia legittimorum. Si e contra agatur de iis quae auctoritas civilis nequit supplere, quia obstat ius divinum, tunc nequit agnoscere effectus civiles horum actuum; puta matrimonium invalidum, vel poligamiam aut divortium. Error enim sectae non destruit contrariam legem Dei.

600. Sed pariter circa actus invalidos sed sanabiles auctoritate civili quoad effectus civiles, alia debet esse via mere civilis eos obtinendi, ne cogantur interesse habentes, ad actum religiosum falsum. Hoc cum agitur de actibus vitae civilis, non autem de actu mere religioso, puta de ordine, quia hic interest tantum eos qui professionem falsae religionis volunt amplecti. Ita si privilegia quaedam, puta exemptio a militia data sit

ministris religionis, profecto hic forma religiosa est essentialis, e contra in matrimonio.

601. Contra 2am partem quae asserit Statum non posse tribuere effectus civiles actibus invalidis, quando defectus validitatis, sanabilis non est sola auctoritate civili, ex. gr. matrimonio contracto cum impedimento dirimente iuris divini, puta ligaminis, obiicitur: melius est detur aliqua forma his actibus, quam sine lege eos vagare; etenim in primo casu habebimus ex. gr. unicum concubinatum, quem tamen partes considerant ut matrimonium, et filii considerantur ut legittimi; e contra habebitur pluralitas concubinatuum et filii primi concubinatus ponentur in conditione illegittimorum, supervenientibus secundis et ita porro.

Resp. id apparenter melius videri posse sed non esse; melius est enim firmam consistere in societate ideam alicuius legis divinae immutabilis, quam omnia accommodabilia habere opinionibus hominum. Ratio autem iuridica est regula evangelica: non sunt facienda mala ut eveniant bona; hinc nequeunt iura et officia coniugum tribui eis qui tales esse nequeunt. Quod si aliquod malum in hoc est, est mere physicum et praevalet bonum morale generale contrarium. Ceterum numquam poterunt omnia mala in societate mederi, cum homines a via Dei recedunt; hinc neque lex civilis utut toleret, poterit omnia etiam civiliter sanare.

QUAESTIO VI.

DE PUNITIONE INIURIARIUM ADVERSUS PERSONAS, QUATENUS TITULO RELIGIOSO IN SECTA TOLERATA QUALIFICATAS.

602. Iam accedamus ad crimina punienda, quae titulum religiosum afficiunt; et I. quatenus offendunt personas prout qualificatas titulo religioso. Iamvero vel

agitur de iniuria quae afficit directe ipsam religionem et tantum indirecte personas, vel quae directe fertur in personas, ex. gr. si quis dicat hanc religionem esse aperte falsam, ita ut bona fide suscipi nequeat et inhonestos facere contra ipsum ius naturae suos sectatores etc.; haec directe afficiunt ipsam religionem et de his agemus in sequenti quaestione. E contra si agamus de conviciis in ipsas personas; haec fieri possunt I. occasione ipsius religionis, ex. gr. si ideo hunc exprobramus quia talis sectae; II. a religione independenter sed tantum concomitanter aggravante, ex. gr. convicia et reales offensiones quae aeque afficerent et alium verae religionis sectatorem, ut si quis percutiatur tamquam inimicus personalis, vel ei exprobretur quod sit fur; haec enim offendunt praescindendo a qualificatione religiosa; sed haec poterit augere crimen, ratione dignitatis religiosae personae laesae.

603. Iamvero dicimus I. cum crimen est de se mere civile ut in postremo ex casibus recensitis, profecto punitur, sed non ut religiosum; sed si concomitanter offendat et falsam religionem, nequit augeri poena quia laedit falsam religionem, sed quatenus specialiter turbet publicam tranquillitatem et specialiter offendat iustam libertatem proselytorum falsae religionis, si ex. gr. huius dignitariis quaedam sint elargita civilia privilegia.

II. Si causa religionis quis delicto civili fuerit offensus, ex. gr. percussus quia minister talis religionis, vel exprobratus iniuriis etiam communibus sed quia minister, ex. gr. quod esset impostor, profecto crimen punitur quia civile, et poena augeri potest ut supra et quidem facilius, quia facilius turbat publicam tranquillitatem et iustam aliorum religiosam libertatem.

III. Si tantum de persona assertum eam sequi falsam religionem, tunc nisi qualificatio in ipsam religionem

possit haberi ut iniuriosa, de quo in sequenti quaestione, profecto iniuria non adest, nisi inopportunitas ipsa assertionis molesta iuste evadat personae, et tunc quis reprehensibilis esse potest quatenus iniuste turbat tranquillitatem alterius.

QUAESTIO VII.

DE INIURIIS IN IPSAM FALSAM RELIGIONEM TOLERATAM.

604. Iniuriae vel sunt contra religionem aliquam in abstracto, vel in concreto; hoc est si ex. gr. templum quis profanet aut ritum perturbet, vel praesens irrideat: illud si de religione disserat. Iamvero facta primi generis sunt iniuriosa, quatenus publicam tranquillitatem offendunt, et iustam aliorum libertatem; irrisio tamen est intelligenda in ipso templo vel ritu fingendo, et indecens, secus recidit in secundam classem; circa quam notandum est aliud esse qualificationes doctrinales, aliud iniurias vulgares; illae habentur si falsitas religionis ostendatur et etiam inhonestae consequentiae ad quas ducit, animo disputandi et veritatem aperiendi: illud e contra si mera convicia proferuntur, animo tantum exprobrandi. Iamvero qualificatio doctrinalis profecto non est punibilis, nisi recidat ex circumstantiis in molestiam personalem, omnibus attentis; ex. gr. si quis obvium habens aliquem dissidentem sibi non amicum semper verba ad eum de hac re dirigeret, etsi hic suum animum invitum et aegrum ostendisset de his disserendi. Iniuriosa autem qualificatio falsae religionis profecto per se non est crimen, quia non est iniuria contra veritatem sed contra falsitatem, quae tandem reprobabilis est et ad noxias ducit consequentias plus vel minus mediate.

605. Verum hae iniuriae recidere possunt indirecte

in personas, praesertim si coram pronuntientur; et tunc reprehensibiles sunt quatenus vel turbant publicam tranquillitatem vel iustam aliorum libertatem. In dubio autem favendum est veritati, ut potius habeantur tamquam doctrinales qualificationes quam vulgares exprobrationes. Facile autem evadunt exprobrationes personales, quoties iis terminis contra religionem proponuntur qui indicant mala fide sectatores duci ad inhonestatem naturalem, ex. gr. haec religio suos sectatores facit aperte deceptores.

QUAESTIO VIII.

AN PUNIRI POSSINT TRANSGRESSIONES PRAECEPTORUM FALSAE RELIGIONIS.

606. Punitio fieri potest vel ab auctoritate civili nomine proprio, vel ab auctoritate sectae religiosae, exquirente tamen pro executione, brachium saeculare.

Sit I. de punitione facta ab auctoritate civili. Rursus vel agitur de omissione vel de positiva transgressione. Si hoc vel offenditur et religio naturalis aut praeceptum divinum positivum cuius quis sit subditus in actu secundo (si requirat baptismum ut obliget), vel tantum de praecepto falsae religionis aut divino, cuius tamen quis in actu secundo subditus non est. Si I. ex. gr. blasphemia, puniri potest et debet ab auctoritate civili, quia competens in eo est et interest reipublicae religionem naturalem non offendi.

Si alterum, puniri non potest, quia non est vera lex, ideoque neque vera obligatio aut peccatum in transgressore.

607. Obiici posset peccatum haberi ex erronea conscientia transgressoris, qui cum putet adhuc suam

religionem esse veram, eam tamen transgreditur, et sic scandalum generat in societate.

Respondetur utique in conscientia posse hunc peccare ex dictamine falso; tamen exterius puniri nequit, quia punitio haberet positivum influxum pro inculcanda observantia falsae religionis, quod est intrinsece malum. Ex omissione autem punitionis non fit scandalum in populo, cum sciant huiusmodi non puniri quia obiective non admittitur veritas legis quam transgreditur; hinc eius peccatum subiectivum evadit impunitum per accidens. Tamen aliquando transgrediens falsam religionem posset per accidens offendere religionem naturalem, ex. gr. si assereret se transgredi praecepta religiosa quia omnes religiones sunt falsae; sed tunc iam impugnaret religionem veram et puniri posset non ob specificam transgressionem, sed ob genericam.

608. II. Si agatur de omissione, rursus vel per eam offenditur lex naturae aut praeceptum positivo-divinum cuius quis subditus sit, vel tantum positiva falsa religio. In hoc casu nullo modo potest puniri; in primo subdistinguendum est; vel actus poni poterat etiam extra communionem falsae religionis vel non; si I. puniri poterit, quoties de cetero societatis civilis intersit; si II. nequaquam, quia rursus urgeretur actus falsae religionis, quod est intrinsece malum.

609. Nunc de 2ª quaestione, an societas civilis urgere possit poenas latas ab auctoritate falsae religionis.

Resp. negative, nisi recidant in iustitiam naturalem et commutativam. Ratio responsionis quoad 1ᵃᵐ partem est quia nequit agnosci iurisdictio religiosa in secta falsa, nec urgeri potest observantia falsae religionis. Quod si auctoritas religiosa puniret ob crimen contra legem naturalem, tunc puniat nomine proprio auctoritas civilis ad normam dictorum in praecedenti quaestione.

610. Quoad limitationem appositam, notamus iustitiam communem et naturalem semper esse servandam; sed tunc crimen non est amplius religiosum sed civile; ex. gr. si quis suscepisset officium seu ministerium aliquod religiosum, et deserta ea secta vellet adhuc temporalitate respondente frui, vel in eo perseverare etsi competenti iudicio superiorum non satisfaceret muneribus susceptis. Pertinet enim ad naturalem iustitiam ut quisque sibi consentiens sit, saltem donec in eo statu vult perseverare; quae species iustitiae et inter latrones servari solet.

QUAESTIO IX.

AN POSITIO ACTUUM FALSAE RELIGIONIS POSSIT A CIVILI AUCTORITATE URGERI ET PROMOVERI.

611. Patet si mali sint, nullo modo posse urgeri aut promoveri: quid si de cetero liciti? Vel poni possunt absque qualificatione religiosa falsae sectae vel non; si primum poterunt urgeri; ex. gr. iuramentum; res enim est licita quoad substantiam et quoad modum; si secundum non possunt urgeri, quia simul urgeretur professio falsae religionis.

612. Sed ratio dubitandi haec opponitur. Cum substantia actus sit ex hypothesi, honesta, ex. gr. missae auditio apud schismaticos, melius videtur homines crescere in aliqua religione substantialiter vera, quam omni habitu religioso carere; in prima enim hypothesi sensus religiosi aluntur eorumque efficacia persentitur in observantia ordinis moralis; e contra si quis crescat non religiosus. Hinc videtur posse urgeri substantia actus, permissive se habendo quoad formam accidentalem qua emittuntur in falsa religione, ex. gr. milites acatholicos cogendo ad interessendum cultui respectivo.

Resp. posse aliquid urgendo, permissive nosmetipsos habere quando vere est separabilis respectus malus a substantia bona, sed in casu, in concreto non ita est; hinc impellens ad actum in concreto, impellit ad aliquid malum; iamvero melius est abstinere a malo, quam illud bono admixtum operari. Efficacia autem religionis falsae in publicam moralitatem non multa est, et difficilior ob tenacitatem opinionum fit conversio ad veram fidem; semper autem veritas est utilitati cuicumque praeferenda.

613. Haec de urgendo actu religioso in forma falsae religionis; poterit tamen in genere inculcari sensus religiosus et religionis in genere observantia, cum haec possibilia sint et in forma quadam indeterminata, etsi praevideatur hos sectatores electuros formam falsae religionis; etenim utilitates supradictae possunt continere causam sufficientem permittendi aliorum errorem.

§ 2.

DE ACTIONE CIVILI IN ORGANIZANDA FALSA RELIGIONE EAQUE CONSERVANDA AC REGENDA.

614. Hactenus consideravimus religiosam societatem falsae fidei, quae tamen habet suam organizationem quam non recipit nec restaurat ex facto auctoritatis civilis, sed ex se; sed quaeritur an Status catholicus vel saltem princeps catholicus possit iuxta catholica principia, concurrere ad organizationem et regimen eiusdem. Et nota idem esse an status sit catholicus, vel tantum princeps; etenim nequit in re religiosa alieno nomine praestari quod proprio non potest; hinc quod status catholicus nequit facere pro dissidentibus, neque facere potest princeps catholicus nomine status seu populi acatholici cui praeest; differentia enim est

tantum quod in primo casu nomine paucorum fit, in secundo plurimorum vel omnium seu totius societatis.

615. Iamvero videamus quaenam requirantur pro organizatione et regimine societatis religiosae et quid a principe catholico possit praestari, quidve non.

Ut constituatur societas religiosa quando iam extant eius asseclae, necessaria est organizatio, quae regulariter est non modo personalis, seu sive aliqualis hierarchia, sive aliquale ministerium, sed etiam territorialis, cum singulis ministris suum territorium sit adsignandum ut omnia ordinate procedant; hinc divisio territorii et ordinatio ministrorum, sive haec fiat per liberam collationem, sive per confirmationem electionis factae ab aliis, sive per institutionem. Sed praeter organizationem indiget regimine, quod importat tum potestatem legislativam, saltem ut disciplina vigens modificetur, sive executivam ut invigiletur pro legum observantia, sive iudicialem ad dirimendas quaestiones insurgentes.

Iamvero, constituta hierarchia vel ministerio, ei tradi potest integra potestas, et tunc organizatio societatis est actus transiens; sed si principi incumbat perpetua organizatio quatenus deficientibus ministris alios surrogare debeat, tunc regulariter est ei reservanda et suprema potestas iudicialis, si ipsi ministri accusentur de violato mandato sibi tradito, ideoque ipsorum exposcatur remotio; ille enim qui novos debet substituere, saltem videre debet an extantes debite remoti fuerint.

616. Quaeritur an liceat principi catholico organizare sive transeunter, sive permanenter, et regere ex toto vel ex parte (praeter casus contemplatos in articulo praecedenti) sectam heterodoxam. Et respondetur negative. Princeps enim catholicus nihil potest quod in positivam confirmationem et adiutorium evadat falsae religionis. Atqui huiusmodi est organizatio

et regimen societatis religiosae falsae. Ergo a principe catholico poni nequit.

617. Quid si pro bono civili expediat, hanc sectam organizari, vel id petant eius sectatores et sine gravissimis malis negari nequeat?

Permittendum erit ipsos sese organizare et regere, tantummodo invigilando ne in his respublica aliquid detrimenti capiat.

618. Sed dicunt politici: periculosum est Statui permittere has organizationes independentes a principe, quia est agnoscere fontem aliquem auctoritatis a principe distinctum, neque a Deo institutum (ut in Ecclesia catholica), sed tandem a populo derivantem, quod praesertim pessumdat monarchias; item periculosum quod pendeant ab auctoritate a Deo non instituta et Statui extranea, ex. gr. a patriarcha Constantinopolitano subditi austriaci. Haec enim dependentia religiosa inducit centrum gravitatis extraneum, et tendit ad dissolutionem unitatis politicae, cum speciales sympathias populorum creet erga extraneos, quod in summo Pontifice non verificatur, utpote universali omnium patre.

Resp. haec quidem vera esse, sed provenire a professione falsae religionis. Curet ergo princeps subditos errantes mediis sibi licitis ad professionem reducere verae religionis, potiusquam eos in falsa confirmare. Ceterum interdicta dependentia disciplinari a potestate extranea si expediens fuerit, poterit reipublicae providere, reservato sibi *nihil obstat* concedendum nominatis, quo satis cavere poterit et excludere viros sibi periculosos.

ARTICULUS IV.

Quid princeps possit pro conversione subditorum.

619. Quaeri potest appendicis loco, quid possit princeps pro conversione dissidentium. Profecto nequit vim

adhibere erga infideles, ut alias diximus, neque contra heterodoxos natos et educatos in heterodoxia; de rigore autem iuris posset omnes hos adigere ad audiendum verbum Dei, si forte convertantur; in hoc enim non violaret ipsorum legittimam libertatem conscientiae. Item eis impedire ne catholicis noceant.

Sed maxime expedient media indirecta, praesertim coadiuvando efficaciam apostolatus catholici, idest removendo obstacula, protegendo qui velint converti, et missionariis media materialia suppeditando.

Cum autem sermo sit de nostris temporibus et moribus, et praesertim si lege concessa cultuum libertate, profecto media quoque indirecta limitantur, ne videatur princeps promissam aequalitatem civium laedere, et ne invidiae creentur ac turbae ad quas vitandas libertas concessa est. Semper tamen manet actio privata, et praesertim adiutorium apostolatui catholico.

CAPUT VI.

DE CONCORDATIS.

620. Iura et officia societatis alia sunt originaria, alia adventitia; illa sunt fundamentalia, essentialia, immutabilia; haec secundaria, accidentalia, mutabilia. Iamvero Ecclesia habet ius suum et sua officia originaria a lege divina et facto divino suae institutionis. Postea acquirit iura quaedam ex factis humanis, ex. gr. ex donationibus; ius enim genericum possidendi est ex lege divina, sed ius determinatae possessionis est ex facto humano. Sicut iura, et officia suscipit; ex. gr.

summus Pontifex ex iure regio in suo dominio suscepit et officia regalia in eodem; item Ecclesia et servat leges divinas, quae sunt immutabiles, et alias condit auctoritate sua, a divino Auctore accepta, quae leges sunt mutabiles. Iamvero iura, officia et leges possunt deduci in pactum cum alia societate et praecise cum civili vel non. In primo casu habemus Concordata, seu concordatas leges, de quibus nobis agendum est.

Et de iis inquirenda est 1. origo; 2. finis; 3. materia; 4. personae contrahentes; 5. natura; 6. modus rite eadem contrahendi ac dissolvendi.

ARTICULUS I.

De origine.

621. Considerando relationes Ecclesiae cum Statu, habemus I. fuisse perfecte hostiles ex parte Status, qui Ecclesiam primis tribus saeculis nullo modo agnoscebat eamque convellere nitebatur; sed data Ecclesiae pace a Constantino Magno, successit conditio perfectae amicitiae, in qua status romanus agnoscebat Ecclesiae omnia iura sua eique adiutorium libenter praestabat.

Fuerunt tamen quaedam controversiae in causa fidei inter Ecclesiam et imperium, cum haeretici ariani, eutychiani, monothelitae et iconoclastae studerent in sui favorem praeoccupare auctoritatem imperialem; item causa schismatis; sed semper imperatores agnoscebant principium, superioritatis Ecclesiae et famulatus praestandi a republica civili, donec schisma orientale consummatum est.

622. Dissoluto autem in occidente romano imperio ex barbarorum invasionibus, regna quae inde orta sunt, habuerunt generatim cum Ecclesia easdem re-

lationes ac romana respublica; etenim primo fuerunt Ecclesiae extranea et potius infensa; erant enim barbari vel pagani, ut magna Longobardorum pars, vel haeresi ariana infecti et superficiali imbuti christianismo, ut Gothi, Burgundiones, Vandali, quorum celebris est persecutio in Africa. Franci autem sub Clodoveo anno 481 statim a pagana superstitione ad catholicam transierunt religionem, ideoque primogeniti Ecclesiae habiti sunt inter novos populos.

Successit igitur status perfectae amicitiae et subordinationis reipublicae civilis erga Ecclesiam, quae concordia et subordinatio maxime apparuit sub Carolo Magno.

623. Non defuerunt tamen aliquae Status usurpationes ac violentiae, quibus restitit Ecclesia; sed consistebant in facto, et ut plurimum transeunte, non in doctrina, qua constabiliretur systema permanens hostilitatis erga Ecclesiam. Haec concordia perduravit usque ad finem saeculi XI, cum sub Henrico IV, Germaniae et Italiae rege celebris quaestio de investituris habita est, praesertim cum s. Gregorio VII, quae quaestio composita fuit post 50 annos, sub Henrici IV filio et successore Henrico V et summo Pontifice Callisto II anno 1122 in conventu Wormatiae habito. Verum haec quaestio ex causa temporali originem habuerat, quamvis inde ad spiritualem dimanasset. Etenim episcopi et abbates plurimi, praesertim in Germania, feuda multa acquisierant, imo sub imperatoribus Othonibus domus Saxoniae, Episcopi declarati fuerant Comites seu Praefecti urbium suarum et suburbium, quae dicebantur, ut adhuc Mediolani mos est, Corpora Sancta, quoniam in honorem Sancti titularis urbis oblata fuerant Episcopo; hinc imperator dabat eis investituram per gladium et sceptrum, ut insignia civilis potestatis; sed

coeperunt imperatores sese immiscere electionibus episcoporum et abbatum ita ut tandem designarent qui essent a clero eligendi, nec alios admitterent; imo darent investituram et per pastoralem baculum et annulum, significante illo auctoritatem pastoralem, et hoc spirituale sponsalitium episcopi cum sua ecclesia. Ex quo et libertas electionum ablata, et, quod magis est, saepe designati in episcopos viri aulici et militares, alieni a spiritu ecclesiastico, et vitiis saeculi imbuti, et auctoritas spiritualis videbatur emanare ab imperatore sicut auctoritas comitalis.

Hac composita quaestione, ecclesiastica auctoritas firma permansit in maxima quam obtinuerat evolutione, ob indirectam potestatem in reges, quorum omnes in occidente etiam aliquo feudalitatis vinculo sanctae Sedi erant devincti, excepto rege Galliae.

624. Sed sub finem saeculi XII in Anglia Henricus II (1154-1189) asseruit sibi plura iura supra res ecclesiasticas, quae praetensa iura vocabat *antiquas regni consuetudines;* ei fortiter restitit s. Thomas Cantuariensis, qui et martyr occubuit; resipuit tunc rex et Ecclesiae anglicanae restituta est sua independentia.

625. Verum sub finem saeculi XIII Philippus IV Galliarum rex, pulcher appellatus, celebres habuit cum Bonifacio VIII contentiones; et ex tunc manifestata est reactio auctoritatis civilis contra Ecclesiam, in quo opere, reges, adiutores et incitatores habuerunt civilis iuris consultos, qui regum iura urgebant, et eadem nomine regum exercebant.

Distinguitur tamen huiusmodi epocha a prima epocha paganorum; etenim reges non negabant Ecclesiae divinam originem, sed tantum eius independentiam in pluribus quae ad exteriorem disciplinam referuntur.

626. Successit autem translatio residentiae Aposto-

licae apud Avenionem, quae Sedis eiusdem libertatem videbatur imminuere, ideoque efficaciam eius vere imminuebat; deinde ab anno 1378 ad 1417 magnum schisma occidentale; et interim haereses Wicleffitarum et Hussitarum; nec non Concilii Basileensis schismaticus spiritus; ex quibus omnibus relaxabatur ecclesiastica disciplina, et facilius reges plura sibi usurpare poterant.

Saeculo autem XVI, magna haeresis protestantium ab Ecclesia separavit nordicas Europae regiones, et schisma Angliam subduxit; et in pace westphalica anno 1648 agnita est legaliter existentia Statuum in imperio acatholicorum, et mutua tolerantia civilis inducta.

Eodem saeculo XVII, Iansenistae in Gallia Ecclesiam turbaverunt. Sed protestantismus necessario ad rationalismum adduxit, qui saeculo superiori proclamatus est, ex quo atheismus civilis societatis et omnimoda ab Ecclesia separatio inducta est, dum eodem tempore Febroniani, a pseudonimo Iustino Febronio iureconsulto appellati, et alii regalistae, omnia concedebant saeculari potestati in Ecclesiae detrimentum.

627. Iamvero Ecclesia his malis occurrit duplici medio; 1. proclamatione veritatis et damnatione erroris, ut in suis filiis recta doctrina consisteret; 2. aliquid indulgendo principibus ne ampliora sibi usurparent, imo ut in reliquis ei adiutorium afferrent; habitae sunt igitur *conventiones inter summos Pontifices et Principes, quibus Ecclesia aliquid remittebat de exercitio suorum iurium favore principum et quaedam eis concedebat, habita a Statu repromissione adiutorii in reliquis, vel saltem libertatis*. Hae conventiones sunt Concordata; et quoniam promulgantur sive ab Ecclesia sive a Statu ut respectivos subditos obligent, dicuntur etiam *Leges concordatae*. Definiuntur a Ludovico de Hammerstein

S. I. (1): *Conventiones inter Ecclesiam et Statum, quibus utriusque relationes ordinantur.*

628. Primum Concordatum, recenseri solet supradicta conventio inter Henricum V. et Callistum II. an. 1122; in ea tamen Ecclesia nihil notabilis Statui concesserat, sed potius sua iura vindicaverat. En verba: « In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Henricus Dei gratia Romanorum Imperator Augustus, « pro amore Dei et S. R. E. et domini Papae Callisti « et pro remedio animae meae, dimitto Deo et sanctis « Dei apostolis Petro et Paulo, sanctaeque Ecclesiae « catholicae, omnem investituram per annulum et baculum, et concedo in omnibus Ecclesiis quae in regno « vel imperio meo sunt, fieri electionem et liberam « consecrationem ».

« Ego Callistus servus servorum Dei, dilecto filio « suo Henrico, Dei gratia Romanorum imperatori au« gusto, concedo electiones episcoporum et abbatum « theutonici regni, quae ad regnum pertinent, in prae« sentia tua fieri absque simonia et absque violentia.

« 2. Electus autem regalia per sceptrum a te reci« piat, exceptis omnibus quae ad Romanam Ecclesiam « pertinere noscuntur... Ex aliis vero partibus imperii « consecratus intra sex menses regalia per sceptrum « a te recipiat; » idest ultra montes praecedebat investitura consecrationi; citra montes consecratio.

Item recensetur concordatum inter episcopos Portugulliae et Dionysium regem, habitum anno 1288 sub Nicolao IV. Verum potiusquam concordatum, est sententia Pontificis, qui auditis episcopis et procuratoribus regis missis cum plenitudine potestatis, statuit quid

(1) De Ecclesia et Statu iuridice consideratis, Treviris 1886.

regi concedendum sit, et quid negandum ex iis quae privilegiis vel consuetudine asserebat sibi competere.

Anno autem 1447 habita est *Concordia* inter Nicolaum V. et Fridericum III. Romanorum regem et nonnullis Germaniae principibus ecclesiasticis et saecularibus, ex Bulla *Ad sacram Petri Sedem*, qua plures concessiones Germaniae factae sunt.

629. Postea concordata habita sunt cum omnibus fere nationibus christianis etiam acatholicis, et en omnium prospectus.

1. Pro Germania, an. 1122 inter Callistum II. et Henricum V; an. 1447 inter Nicolaum V. et Fridericum III.
2. Pro Lusitania, praeter praedictum anni 1288, habita sunt an. 1516; 1778; 1857; 23 Iun. 1886.
3. Pro Gallia an. 1516 inter Leonem X. et Franciscum I; an. 1801; 1817.
4. Pro Bohemia an. 1630.
5. Pro Sardinia an. 1727; 1741; 1742; 1750; 1770; 1817; 1836; 1841.
6. Pro Polonia an. 1736.
7. Pro Hispania an. 1737; 1753; 1851; 1859.
8. Pro Utraque Sicilia an. 1741; 1818; 1834.
9. Pro Ducatu Mediolanensi an. 1757.
10. Pro eodem et Mantuano an. 1784.
11. Pro Italica Republica an. 1803.
12. Pro Bavaria an. 1817.
13. Pro Borussia an. 1821.
14. Pro Provinciis Super. Rheni an. 1721; 1727.
15. Pro Hannovera an. 1824.
16. Pro Belgio an. 1727.
17. Pro Helvetia an. 1828; 1845.
18. Pro Russia et Polonia an. 1847.
19. Pro Etruria an. 1851.

20. Pro Republica Costaricensi an. 1853.
21. Pro Republica Guatimalensi an. 1853.
22. Pro Austria an. 1855.
23. Pro Wirtemberga an. 1857.
24. Pro Badis an. 1859.
25. Pro Republica Haitiana an. 1860.
30. Pro Republica Hondurensi an. 1862.
31. Pro Republica Æquatoris an. 1862, et aliud publicatum die 12 Aug. 1882.
32. Pro rebus publicis Venezuelae, Nicaraguae et s. Salvatoris an. 1862.
33. Pro Principatu Montisnigri 18 Aug. 1886.

Sunt proinde 52.

Iamvero de initis usque ad annum 1862, edidit Romae an. 1865 opus praeclarum D. Nuzi duplici recensione, in quarum prima referuntur ordine chronologico, in secunda ordine materiarum, ita ut appareat quid singulis concessum in qualibet materia, quidve promiserint. Integrum autem textum concordatorum edidit Moguntiae fr. Kirhheim an. 1870.

ARTICULUS II.

Finis.

630. Ex parte Ecclesiae, est eiusdem securitas et libertas, idest utilitas; sed utilitas relativa ac concreta; etenim melius esset pro Ecclesia si Status paratus esset servare omnes leges Ecclesiae et eidem praestare adiutorium, absque ulla concessione ex parte Ecclesiae; sed cum id non verificatur, Ecclesia concedit aliqua quae concedere potest, ut in reliquo sit libera, vel renuntiat usui quorumdam mediorum, quae de cetero non sunt rigorose necessaria. Etsi enim princeps

nequeat iure suo disponere de rebus ecclesiasticis, ex. gr. episcopos nominare, bene tamen id potest si Ecclesia concedat, et Ecclesia potest id concedere quibusdam sub conditionibus, idest dummodo personae de cetero idoneae praesententur. E contra, alia nequit concedere quia adversarentur legi divinae; ex. gr. Pius VII. negavit Napoleoni metropolitas posse instituere episcopos ab imperatore Galliarum nominatos, si sancta Sedes eos intra tempus determinatum, puta tres menses, non confirmasset. Poterat enim id locum dare pessimis episcopis, si impediretur sancta Sedes et si metropolitae non haberent apostolicum animum resistendi imperatori. Item Ecclesia potest renuntiare exercitio non necessario pro salute animarum, quorumdam iurium, quum id utile sit, ex. gr. si impediretur ab his adhibendis a potestate civili, quae e contra spondet libertatem et tutelam in reliquis praestituram. Igitur finis concordati est relativa et concreta utilitas Ecclesiae.

631. Ex quo apparet concordata non esse absolutae necessitatis, sed tantum relativae seu hypotheticae. Et id contra quosdam paucos qui asseruerunt esse necessaria in materiis mixtis, ad limites designandos. In hac sententia et in hoc casu adoptaretur definitio data a De Camillis, quod sint: *Solemnes pactiones de limitibus auctoritatis inter summum Pontificem et principes saeculares initae, pro moderamine status disciplinaris peculiarum Ecclesiarum alicuius regni vel nationis, ad pacem reparandam vel servandam inter sacerdotium et imperium.* Verum ex catholica doctrina, Ecclesia est superior ratione finis; hinc ius habet disponendi de eis quae sunt necessaria vel utilia pro fine suo, etiamsi aliquod detrimentum temporale inde sequatur, quod est patienter tolerandum; et legislatio

civilis incipit ordinare negotia humana, cum iam ab ecclesiastica lege ordinata sunt pro felicitate aeterna, ideoque ibi incipit legislatio civilis ubi desinit ecclesiastica. Ergo nulla est absoluta necessitas concordatorum.

ARTICULUS III.

Materia.

632. Regulariter ex parte Ecclesiae est aliqua concessio quae fit ab ea, et aliqualis remissio iurium suorum favore Status; ex parte Status est solemnis promissio de libertate et iuribus Ecclesiae tuendis. Hinc Ecclesia concedit de suo, ex. gr. principem praesentare Episcopos, vel remittit ius suum, ex. gr. renuntiat immunitati locali; hinc concedit quod non tenetur concedere, neque pertinet ad ius principis. E contra princeps concedit seu promittit id ad quod iam tenebatur; sed obligationi legis divinae addit vim pacti solemnis, ut fiat debitum ex pacto, quod erat debitum ex iure divino.

Princeps nihil concedit quod esset indebitum, etsi promittat pecuniam ex publico aerario Ecclesiis, et ministris aut institutionibus ecclesiasticis. Etenim 1° id solet fieri tantum post direptiones bonorum Ecclesiae ideoque est parva restitutio; 2° etsi fieret ante direptionem, esset concessio principis seu favor tantum modus subveniendi Ecclesiae; etenim populus christianus tenetur occurrere expensis Ecclesiae, eo modo quo Ecclesia determinaverit; igitur si princeps subministrat ex aerario, substantialiter non facit favorem, sed tantum in modo esse potest, vel aliquando in quantitate, ut pii principes saepe fecerunt dando Ecclesiae non tantum necessaria sed abundantia; sed hoc in concordatis factum non est.

ARTICULUS IV.

Personae contrahentes.

633. Si requirantur personae inter quas ineuntur concordata, sunt supremae potestates ecclesiastica et civilis.

Hinc cum summus Pontifex sit caput Ecclesiae sive habeat regimen temporale sive non, ridiculi fuerunt qui contendere concordata caduca facta fuisse eo quod summus Pontifex non possideat amplius regnum. Nec enim inita sunt cum rege Romae, sed cum Vicario Christi. Idem dicatur de reliquis eius iuribus, ut de Legatis et Nuntiis mittendis, aut oratoribus principum suscipiendis.

634. Episcopi nequeunt auctoritate propria inire concordata; cum enim haec in pluribus derogent legibus generalibus Ecclesiae et eiusdem iuribus ac libertatibus, derogatio fieri potest tantum a suprema potestate.

ARTICULUS V.

Natura Concordatorum.

635. Animadvertimus pro usu forensi sufficere scire concordata obligare donec Ecclesia authentice declaret eadem cessare; parum autem refert an leges ecclesiasticae latae sint sponte vel ad petitionem principis; item an in pactum deductae vel non.

Pariter certum est etiam pacta dissolvi aliquando licite posse sive ob regulas generales sive speciales ex natura particulari alicuius pacti. Cum autem Ecclesia sit iudex suprema moralitatis et iudex competens sui iuris pro regimine societatis ecclesiasticae, hinc est et iudex competens dissolutionis concordatorum, ideoque si ea invalidet, certe amittunt suum valorem.

Hoc posito procedamus ad exponendam naturam concordati; de ea quaedam disputationes domesticae sunt, et quaedam cum regalistis. Sit

§ 1.

DE CONCORDATI NATURA IUXTA PRINCIPIA CATHOLICA.

636. Exponamus primo sententias extremas.

Quidam dicunt ex parte Status concordata obligare ut leges particulares; ex parte Ecclesiae non obligare sed esse meras concessiones et privilegia, quamvis deceat eadem conservari donec utiliter fieri potest, cum beneficium principis deceat esse mansurum; item servanda esse ab Ecclesia ex fidelitate promittentis; quia superior sibi debet observantiam eorum quae promittit subditis, etsi nullum verum ius eis exinde acquiratur. Hinc definiunt concordatum quod sit: *Lex particularis ecclesiastica pro aliquo regno, summi Pontificis auctoritate edita ad instantiam principis eius loci, speciali eiusdem principis obligatione confirmata se eam perpetuo servaturam.* Id si sermo sit de statu catholico, vel etiam infideli qui nomine et loco catholicorum contrahit; etenim quoad statum infidelem ut talis est agentem, concedunt esse ut pacta bilateralia servanda donec moraliter possibile sit; item pro haeretico, qui etsi subditus de iure Ecclesiae, non tamen ut talis intendit agere. Natura tamen est eadem ratione materiae, sed diversa vis ratione personarum.

Ex alia parte quidam concludebant concordata in omnibus esse veros contractus bilaterales ut conventiones internationales.

637. In antecessum notandum est, Ecclesiam habere quaedam iura nativa et quaedam acquisita; prima sunt essentialia et ei communicantur lege divina; se-

cunda sunt accidentalia et acquiruntur facto aliquo contingente. Iamvero dubium non est iura adventitia sicut facto legittimo acquiruntur, ita alio facto aeque legittimo amitti posse, et proinde voluntate Ecclesiae etiam alienari contractu quoque bilaterali. Ex. gr. in Ecclesia capacitas et ius acquirendi bona temporalia datur a Deo; est proinde aliquid immutabilis, cui Ecclesia nequit renuntiare, quia legem Dei auferre non valet nec sui naturam immutare. E contra quod Ecclesia actuando suum ius divinum acquirendi, de facto haec vel illa bona aut iura sibi comparaverit, quid contingentis est; et proinde salva lege divina potest Ecclesia iuribus adventitiis renuntiare et eadem etiam alienare, ac semel legittime alienata, nequit amplius eadem revocare.

638. Sed non de his iuribus quaestio est; verum de communicatione iurium divinorum aut renuntiatione usui eorumdem. Valet enim Ecclesia quaedam sua iura communicare aut delegare; ex. gr. ius nominandi Episcopos concedere valet principibus; item modus exercendi quaedam iura potest esse multiplex; et non semper possibile vel utile est omnia iura vel omnibus modis eadem exercere; hinc mera disciplina pro temporum opportunitate mutatur. Potest igitur Ecclesia nonnullis in adiunctis se obligare circa modum quo exercebit quaedam sua iura, sive faciendo sive omittendo.

Concordata proinde ex parte Ecclesiae super his consistunt in nonnullis elargiendis aut renuntiandis. Et proinde in iis quae concedit, Ecclesia non alienat suam potestatem, quod esset irritum utpote contra legem Dei, sed tantum delegat aut communicat, obligando se ad has concessiones conservandas nonnullis sub conditionibus, quae talem obligationem faciant licitam, quae ex processu quaestionis innotescent.

Idem est quando obligat se ad non-usum quorumdam mediorum; non se expoliat potestate eadem adhibendi, sed tantum se obligat ad eadem non adhibenda, stantibus conditionibus quae talem non-usum honestum faciunt.

639. His positis animadvertimus sequentia esse tenenda ab omninus catholicis:

1° Ecclesiam posse et debere revocare concessiones factas principibus si ex mutatis circumstantiis vergant in perniciem animarum; etenim tunc fieret illicita ipsarum observatio et res deveniret ad eum statum a quo incipere non poterat; et quamvis, inito pacto, sint saepe toleranda damna physica, numquam sustinenda sunt damna ordinis moralis. In hoc casu ad summum sequitur restituenda esse principi ea bona quae tradiderit Ecclesiae, si non fuerint aliunde debita, quod raro fit.

2° Si autem princeps ex sua parte non observet concordatum, est in facultate Ecclesiae aut rescindere contractum, aut urgere observantiam eiusdem, ex regula generali de contractibus. Princeps autem rescindens concordatum, recidit sub iure communi canonico. Imo cum summo Pontifici sit et ius condendi leges particulares, posset lege praecipere plura saltem quae in concordato continebantur, postquam concordatum rescissum est, et sic princeps amitteret utilitates ei derivantes ex concordato, adhuc persentiendo plura saltem eiusdem onera.

3° E contra princeps nequit iure suo resolvere concordatum si fiat noxium reipublicae civili, sed tenetur gravamina sua exponere Ecclesiae, quae profecto et ex sua honestate, et ex sua physica infirmitate (caret enim armis), modificabit concordatum. Sicut enim Ecclesia non contrahit cum intentione servandi pactum

cum aderit detrimentum animarum, neque Status cum detrimento suo, nisi fuerit necessarium pro bono spirituali; tunc enim potest et debet ad hoc se obligare; et iudicium huius necessitatis spectat ad Ecclesiam; hinc si Ecclesia adhuc iudicaverit concordatum esse servandum, tunc casus est in quo ob bonum spirituale sustinendum est detrimentum temporale, et proinde princeps ob Status subordinationem bono spirituali, adhuc teneretur observare concordatum.

Tamen Ecclesia de facto observat concordatum donec potest sine evidenti detrimento animarum, et multum cavet ne occasionem subministret calumniandi et contra se hostiliter agendi; hinc etsi verum esset concordata de iure posse ab Ecclesia revocari ad libitum, tamen hactenus hoc ius non exercuit, et certum est quod ex arbitrio neque exercebit in futuro, sed tantum ex necessitate; igitur remaneret ius theoricum, sed non practicum. Et quando principes ex sua parte non observant, Ecclesia non rescindit concordatum, sed urget eius observantiam, et quidem non tam ex Status subordinatione quam ex vi pacti; et ratio est evidens: si Status non observat, hoc est ex eius hostilitate; si igitur laedit Ecclesiam et cum Ecclesia est ei favorabilis ob conservatas concessiones eidem factas, multo magis timendum esset de eius hostilitate, retractando has concessiones; item invocatur titulus conventionis, potiusquam superioritatis Ecclesiae, quia ille est magis communis et naturalis; ideoque appellatur ad iustitiam principis, si nihil sperari potest ex eius religione.

4° Quamvis Ecclesia ex rigore iuris possit, sola iudicare de concordato, tamen etiam expresse statuit aliquando supervenientes difficultates, amice se composituram; ita in art. 35. concordati austriaci: « Si qua « vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas

« Sua et Maiestas Caesarea invicem conferent ad rem « amice componendam ». Sed si Status non cederet Ecclesiae iudicio, profecto haec iure divino posset et deberet sola procedere; nec enim salus animarum impediri potest quacumque auctoritate, aut pactione.

640. His positis iam videamus quid sentiendum sit de natura concordatorum ex principiis catholicis.

Dicimus 1. hanc expressionem *contractus bilateralis, aut synallagmatici* sumi posse lato sensu, familiari antiquis, vel stricto, magis usitato apud iuristas hodiernos. Si I., intelligitur pactum utrinque obligans et in utriusque contrahentis utilitatem (1). Sed praescinditur an contrahentes sint iure pares vel non; an dent de suo, vel tantum repromittant quod iam debitum est; etenim in sua generali notione pactum seu contractus (lege enim naturae et canonica nulla est differentia inter haec duo), est *duorum vel plurium in idem placitum et consensus*, idest consensus in idem cum intentione se obligandi, quae si sit ex una tantum parte, ut in donatione, contractus est unilateralis, si ex utraque parte, est bilateralis.

Secundus sensus est, contractum bilateralem eum esse qui inter iure pares habetur, ex. gr. inter duos privatos, vel inter duos reges, et in quo utraque pars aliquid concedit quod citra pactum non esset debitum,

---

(1) V. Heineccium, Elementa iuris civilis secundum ordinem institut. lib. III. tit. XIV. § 781. « Vel utrique contrahentes « se ad dandum quid vel faciendum obligant, vel alteruter « tantum obligatur; hinc contractus in bilaterales et unilate- « rales recte dividuntur ». Canonistae primum vocant contractum proprie acceptum, alterum ut donatio, mutuum etc. contractum improprie. Vid. Reiffenstuel lib. I. Decretalium, tit. XXXV. num. 6, 7.

et quidem ex utraque parte aequivalens ad normam iustitiae commutativae.

641. Iamvero concordata non sunt contractus bilaterales hoc sensu rigoroso; hinc non possunt in omnibus aequiparari conventionibus internationalibus; hae enim sunt inter iure pares; hinc non adest iudex superior, sed unaquaeque pars suo iudicio interpretatur pactum, et illud rescindit, et iudicium suum armis tuetur (supponimus semper haec non agi ex mero arbitrio, sed ex ratione et iustitia). E contra Ecclesia est superior Statui, ideoque ipsa interpretatur concordatum, et iudicat de eius conservatione, et iudicium Ecclesiae obligat principem; hinc non est paritas iuridica inter contrahentes. Rursus regulariter princeps nihil dat non-debitum antecedenter, ideoque rescisso concordato ex facto Ecclesiae, si umquam verificaretur, nihil regulariter est ei ab Ecclesia restituendum. Item etsi princeps aliquid temporale det de suo, non datur ut aequivalens concessionibus Ecclesiae, quia haberetur simonia. Reiicimus proinde secundam sententiam extremam.

642. Sed videndum est an concordata neque dici possint contractus bilaterales primo sensu, imo ad omnes verborum et formularum quaestiones auferendas videamus an Ecclesia teneatur ex facto suae promissionis, acceptatae a Statu repromittente, ad servandas concessiones factas principibus, donec haec observatio possibilis est sine detrimento animarum.

643. Has concessiones esse servandas de facto, docent et fautores primae sententiae, sed tantum ex ratione convenientiae, seu sapientiae et benignitatis et fidelitatis legislatoris; sapientiae, quia leges sive generales sive particulares non sunt de facili mutandae, sed tantum ex gravi causa; benignitatis, quia benefi-

cium principis decet esse mansurum; fidelitatis, quia superior sibi debet, observare quae promiserit, etsi res ex promissione non fiat debita subdito. Sed quaerimus an debeant quoque servari vi pacti, seu promissionis solemnis factae ob reciprocam repromissionem, et acceptatae.

644. Et in praxi est aliqua differentia: si enim sunt merae concessiones absque vi pacti, utique servabuntur ut plurimum, sed facilius mutabuntur, idest ex notabili causa, etsi non adsit rigorosa necessitas; et si retractarentur sine causa, dici posset Pontificem egisse minus sapienter, sed non per iniuriam, contra pactum et laedendo obligationem pacti. E contra si adest vis pacti, requiritur causa omnino gravis, seu necessitatis, secus non modo agitur minus sapienter, sed etiam iniuria infertur. Etenim ex pacto conservandi et pro futuro tempore aliquas concessiones principi, vel abstinendi ab usu quorumdam mediorum, utique non oritur in principe ius in *re*, sed ad *rem* habendam ab Ecclesia, sive in faciendo sive in omittendo consistat.

645. Pariter notandum est fautores primae sententiae accensere concessiones factas in concordatis, privilegiis onerosis; distinguunt enim privilegia in tres classes, gratuita, remuneratoria et onerosa; 1ª sunt ex mera benevolentia principis, et proinde sine iniuria retractantur; habent tantum firmitatem ex quadam convenientia, quia beneficium principis decet esse mansurum; 2ª remuneratoria; dantur ob gratitudinem ad merita remuneranda; habent maiorem firmitatem, sed retractantur iure a principe quoties voluerit, dummodo det aliam remunerationem, si adhuc merita non satis compensata sint; 3ª onerosa, cum dantur intuitu oneris quod privatus sibi adsumit in bonum publicum, ut si vectigalia quaedam cedantur ob mutuam pecuniam

datam reipublicae. Habent adhuc magnam firmitatem; sed de iure possunt a principe retractari, dando quanti interest, nisi et hoc per accidens vi boni publici nequeat dari: ad summum concordata accensent privilegiis onerosis cum rex dat aliquid de suo, quod regulariter non fit; hinc regulariter sunt gratuita. Tamen semper differentia est et cum sunt onerosa; nam semper potest princeps eadem retractare dando quanti interest; e contra si obligant ex pacto, tantum valent retractari ex necessitate, idest declaratur ea vim amisisse.

646. Hoc posito, cum versemur in re positiva et theologica, medium proprium dirimendi controversiam est inspicere fontes positivos, idest ipsa facta Ecclesiae et eius expressam doctrinam; si enim Ecclesia aliquid clare docet, certum est, et quaecumque principia generalia et iuridica in contrarium obiiciantur, doctrinam non infirmabunt; erunt tantum difficultates, seu componendae erunt inter se duae veritates, sed neutra erit neganda; etenim et Ecclesia cognoscit haec principia generalia; hinc si clare proponat doctrinam quae videtur contraria, non est haec deneganda; sed dicendum est falsas esse interpretationes principiorum propositas ab iis qui contrarium docent eius, quod Ecclesia clare tradit.

647. Iamvero certissimum est Ecclesiam, idest summos Pontifices considerare concordata ut concessiones firmatas pacto, et intendere assumere obligationem erga Statum (non meram congruentiam), easdem servandi in perpetuum, ideoque obligandi et suos successores, donec non vergant in detrimentum animarum. Et sane in omnibus concordatis, expressis verbis summi Pontifices promittunt pro se et suis successoribus, perpetuam et fidelem observantiam, et obligant se ad

eamdem, et aliquando reprobant transgressionem concordati, ut contrariam pacto, imo eo usque perveniunt ut declarent « irritum et inane quidquid super his a « quoquam, quavis auctoritate, etiam *per nos* (Leo- « nem X.) et successores nostros *scienter aut ignoran- « ter* contigerit attentari ». (Concord. Leonis X. cum rege Galliae Francisco I. an. 1516. tit. XVII).

Item Benedictus XIV. tit. XXV. Concordati initi cum Ferdinando VI. rege Hispaniae. (Vid. textum apud De Angelis, Praelectiones iur. can. vol. I. pag. 100).

Et Iulius III. (1550-55): « Nos attendentes concor- « data praedicta (cum Germania) vim pacti inter partes « habere, et quae ex pacto constant, absque partium « consensu abrogari non consuevisse nec debere.... « statuimus iuxta ipsorum concordatorum continen- « tiam et tenorem.... »

648. Idem principium, nempe concordata non posse ab una tantum parte rescindi, summi Pontifices inculcaverunt pluries cum de violatis concordatis cum regibus conquesti sunt; ita die 20 Iunii an. 1850 Card. Antonelli ad Sardiniae Delegatum; item in epist. diei 19 Iulii eiusdem anni ad Praesidem Consilii Ministrorum Sardiniae: « Nei predetti trattati peraltro se non « viene scambiata la natura dell'oggetto che è sempre « di ecclesiastica disciplina, e soltanto si fanno delle « modificazioni in alcuni punti della medesima, le dis- « posizioni peraltro che vi si contengono, acquistano « mediante la solenne intervenuta stipolazione, una « forza speciale di reciproca e più stretta osservanza « per parte dei contraenti; così che per questo lato i « trattati stessi mentre non lasciano di essere nel loro « oggetto di disciplina ecclesiastica, assumono però la « caratteristica di quei che diconsi internazionali ». Iamvero quae emanant ab ecclesiasticae diplomatiae

officialibus supremis, etsi hoc ipso nequeant semper tribui summo Pontifici in omnibus suis expressionibus, tamen quando adest series continuata actuum, qui innituntur eidem theoriae tamquam principali argumento, magnam vim habent, cum repraesentent organum quo utitur summus Pontifex, qui aliqualem consensum his actibus, saltem complexive sumptis, tribuere debuit.

Hinc est allocutionem summi Pontificis Pii IX. die 1. Novembris 1850 concordata vocare « pacta inter « sanctam Sedem et civilem potestatem ». (De Angelis pag. 103-104).

649. Unicum documentum quod in contrarium affertur est epistola Pii IX. ad vice comitem De Bonald die 19 Iunii 1871 (De Angelis pag. 103); sed haec est epistola gratulatoria, non confirmatoria doctrinae, et nihil est comparata cum documentis solemnibus allatis. Hic defectus valoris in his litteris non est ex defectu potestatis in subscribente, sed *voluntatis*. Nam summus Pontifex potest exercere suam potestatem vel in tota sua intensitate, vel in minori gradu, ut et Praelati inferiores: non exigimus definitionem ex cathedra, sed ut actus eius afferatur tamquam argumentum decisivum, oportet habeat characteres sufficientes ad dandam theologicam certitudinem.

Non intendit autem summus Pontifex confirmare ut veras, doctrinas contentas in libris quos laudat, praesertim cum quaestiones agitantur in scholis catholicis; hinc aliquando necessariae fuerunt declarationes authenticae contra eos qui nimis innitebantur his litteris. Sancta Sedes quamvis uti possit qualibet forma in sua doctrina proponenda, tamen quando id facit, solet uti Bullis, Encyclicis et aliis gravissimis documentis datis ad Episcopos, vel Decretis sacrarum Congregationum.

650. Mauritius De Bonald in suo opusculo edito an. 1871, cui titulus *Deux questions sur le Concordat du 1801*, duo quaerit: 1° an gubernium Gallicum quod dicebatur anno 1870 *defensionis nationalis* successerit in iuribus consuli Napoleoni concessis; 2° an ex violationibus guberniorum Galliae posset Pontifex iustam causam habere revocandi concordatum; et huic quaesito respondet affirmative, pugnando contra regalistas, qui has concessiones volunt irrevocabiles seu alienationes; et ait revocari ad *nutum* Pontificis; sed argumenta allata probant tantum revocari *iudicio* Pontificis cum vergunt in detrimentum animarum. Ceterum Officialis Papae scriptor supracitatae epistolae declaravit quod concordata « rivestono la forma di convenzioni, « le quali essendo patti bilaterali, obligano tutte e due « le parti ». (De Angelis pag. 109). Et summus Pontifex Leo XIII. in Encyclica ad Gallos, *Nobilissima Gallorum*, 8 Febr. 1884 habet: « Cum igitur pactis conventis inter sacram civilemque potestatem, publice « aliquid constitutum est, tunc profecto *quod iustitiae « interest*, interest idem rei publicae, concordiam ma- « nere integram ».

651. Sed fautores primae sententiae dicunt citatas formulas, adhiberi consuetas in concordatis, esse impropriandas; ita exigere ipsarum conciliationem cum principiis ab ipsis enunciatis et quae supra exposuimus.

Resp. Locum esse impropriationi quando verba legis sunt dubia et obscura, non autem cum sunt clara; in re autem nostra sunt clarissima, et sancta Sedes turpiter decepisset imperantes si tot vicibus solemnissimis verbis promisisset se servaturam concordata, si reputaret se ad id non obligari erga Statum, sed de rigore iuris posse ad nutum suum ea immutare. Iam-

vero hoc est omnino iniuriosum sanctae Sedi nec admitti potest; imo est et nocivum, quia iam nullus princeps contraheret cum sancta Sede, ideoque permanens fieret illa conditio hostilitatis quae movet Ecclesiam ad aliquid remittendum in exercitio non necessario suorum iurium favore Status ut sit secura in reliquis necessariis. Hinc verba clara sanctae Sedis sunt sumenda in suo proprio sensu. « Non enim ex opinionibus « singulorum, sed ex communi usu nomina exaudiri « debere. Id Tubero parum sibi liquere ait: nam quor- « sus nomina, nisi ut demonstrarent voluntatem dicen- « tis? Equidem non arbitror quemquam dicere, quod « non sentiret, ut maxime nomine usus sit, quo id « appellari solet; nam vocis ministerio utimur ». L. Labaeo ait, 7. § 2. D. *De supellect. legat.* Hinc et Reg. 67. iuris in VI. « Contra eum qui legem potuit dicere aper- « tius, est interpretatio facienda ». Et lex Prospexit 12. § 1. D. *Qui et a quibus manumissi liberi non sunt:* « Quia ita verba faciunt, quod quidem perquam durum « est, sed ita lex scripta est ».

652. Neque dici potest Ecclesiam esse quae proponit principia generalia quae huic theoriae adversantur; etenim etsi principia sint vera, non sequitur esse reiiciendam expressam Ecclesiae doctrinam, quia eisdem videtur contraria, sed potius dicendum est hanc contrarietatem esse apparentem tantum; secus Ecclesia vel correxisset principia, vel theoriam seu formulam, idest vel accommodasset theoriam principiis, vel principia theoriae quae videtur contraria.

653. Neque dicatur et a nobis supponi, posse ab Ecclesia concordata retractari si vergant in perniciem animarum; etenim haec conditio non est specialis pro concordatis, sed generalis pro quolibet pacto, ideoque necesse non est eam exprimere.

654. Expendamus cetera argumenta primae sententiae. Negant concordata obligare Ecclesiam vi pacti, 1° quia cum Pontifex faciat principi concessiones spirituales et princeps repromittat quaedam temporalia, ex. gr. honorarium pro parochis, haberetur simonia seu commutatio spiritualis cum temporali.

2° Quia contractus bilateralis supponit paritatem iuridicam contrahentium; hinc et uterque in eadem conditione est pro eodem contractu interpretando, aut dissolvendo; etenim si sint personae imperfectae, tenentur stare iudicio personae perfectae superioris; si sint perfectae, non habent iudicem, sed unaquaeque prosequitur ius suum iudicio suo. Iamvero summus Pontifex non est in eadem conditione iuridica ac princeps, sed ille praestat ratione finis, cum sit caput societatis absolute supremae; e contra princeps est tantum caput societatis relative supremae, quae Ecclesiae est subordinata ratione finis. Hinc Ecclesia est legittima interpres concordati et iudex cessationis eius, non autem princeps qui tenetur stare iudicio Ecclesiae.

3° In contractu bilaterali quisque cedit aliquid de suo; sed Status, regulariter loquendo (praescindimus enim ab ec quod aliquando fieri potest per accidens), nihil promittit quod iam non sit debitum; promittit enim Ecclesiae libertatem et defensionem, quam debet ex iure divino.

4° Si Ecclesia aliquid non modo concederet retractabile eius arbitrio, sed vere cederet, idest alienaret, sequeretur per concordata imminui ius Ecclesiae et primatus pontificii; hinc cum iam fuerint Pontifices 263 et concordata 53, ius Ecclesiae et Pontificis potuisset per successivas diminutiones evanescere. Sed hoc repugnat indefectibilitati Ecclesiae et immediatae communicationi auctoritatis quae Pontifici fit a Deo; ete-

nim quisque Pontifex recipit integrum ius primatus a Christo, et non ab antecessore.

Tandem 5° specialis impugnatio mota est contra formulam a Philippo De Angelis propositam, concordata esse concessiones quoad materiam, quae adsumebant formam contractus bilateralis. Dictum est enim formam repugnantem materiae, in ea introduci non posse.

655. Videamus quomodo propositis difficultatibus respondendum sit. Iam responsum est secundae et tertiae difficultati ex paritate iuridica et paritate cessionis; diximus enim nos concedere hoc sensu rigoroso concordata non esse contractus bilaterales; vel etiam dici potest quoad secundam, Pontificem et principem esse pares quatenus contrahentes formaliter, quia Pontifex voluntate sua non operatur in concordato ut superior imperans principi, sed ut par, qui init pactum, et paciscentes sunt aequales quatenus intendunt assumere veram obligationem, quae iure naturae regitur pro utroque; ideoque sunt pares coram iure naturae; tamen Pontifex est iudex supremus moralitatis, ideoque et iuris naturae; hinc ipse interpretatur omnia pacta et iudicat de ipsorum cessatione; hinc materialiter Pontifex non est par, idest quatenus consideratur non ut contrahens, sed ut iudex supremus omnium obligationum; et nequit se expoliare hac superioritate, ideoque non est in hac positione iudicis supremi ex sua voluntate, sicut ex ea est contrahens; hinc Pontifex interpretando concordatum, aut illud resolvendo, non sese gerit ut contrahens (cum contrahentes ut tales sint pares), sed ut Pontifex, sicut rex iudicans (vel per se vel per alios) causam contractus quem habuit cum suo subdito.

Haec difficultas a De Bonald proponitur et sic: Su-

perior quatenus talis, nequit obligari erga inferiorem; atqui Ecclesia est superior et contrahit ut talis. Ergo Ecclesia nequit obligari.

Resp. Nequit obligari contra suam voluntatem conc. mai., ex sua voluntate negatur, et negatur consequens.

Ratio obiecta ea est ob quam nonnulli dixerunt concordata Ecclesiae cum principe catholico qui ut talis se gerit, non habere vim pacti, sed tantum concordata cum infidelibus aut acatholicis, aut catholicis qui se ut catholicos non gerunt; quia nempe supponebant superiorem ut talem non posse se obligare erga inferiorem; quod est falsum, cum ratio superioritatis importet tantum ius interpretandi obligationem, eamque dissolvendi si non amplius conciliabilis cum officio curandi bonum societatis sibi commissae, idest in casu nostro, si vergat in perniciem animarum.

656. Superest prima, quarta et quinta difficultas. Quoad 1am de simonia; crimen simoniae consistit in studiosa voluntate comparante bonum spirituale cum temporali; est enim simonia studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale vel spirituali adnexum; ex qua comparatione rei spiritualis cum temporali fit iniuria bono spirituali; iamvero in concordatis haec comparatio non adest, non enim summus Pontifex intendit concedere iura spiritualia principi, ex. gr. praesentandi Episcopos pro compensatione pecuniae vel alterius commoditatis temporalis quae a principe datur Ecclesiae, sed iura spiritualia ipse principi concedit in utilitatem concretam et relativam Ecclesiae; igitur deest animus simoniacus, seu studiosa voluntas comparans spiritualia temporalibus. Aliud est enim haec privilegia concedi a Pontifice intuitu protectionis temporalis quam spondet princeps, aliud concedi ut aequivalens bonis his temporalibus iuxta mentem tradentis.

Imo quod datur a principe, etsi materialiter inspectum sit temporale, est enim brachii saecularis auxilium, vel honorarium clericis, non est temporale si formaliter consideretur, sed spirituale ratione finis; seu ratione utilitatis spiritualis, quam Ecclesia capit ex protectione et tutela principis.

657. Ad 4^{um}, idest quoad imminutionem iurium Ecclesiae et primatus pontificii quae sequeretur ex hypothesi iuxta adversarios; profecto si potestas Ecclesiae vel Pontificis imminueretur ex pactis susceptis, et obligantibus, admitti non posset haec obligatio. Verum negamus ex pacto imminui potestatem paciscentis; secus Dei omnipotentia imminuta esset quia Nöe promisit in perpetuum non amplius diluvio vastaturum terram; et idem dicatur de sexcentis aliis Dei promissionibus sive veteris sive novi Testamenti. Certissimum enim est has promissiones a Deo libere factas, ab eo servandas esse « iota enim unum aut unus apex non « praeteribit a lege, donec omnia fiant. Et coelum et « terra transibunt, verba autem Dei non praeteribunt ». Ergo aliqua aequivocatio latet in proposita difficultate; dicimus ergo distinguendum esse ius Ecclesiae et primatus pontificii, constituens eius potestatem et exercitium huius potestatis seu iuris. Ipsa potestas et ius prosequendi finem Ecclesiae mediis proportionatis, est inalienabile et plenum, ideoque nequit imminui, atque immediate confertur a Deo cuilibet summo Pontifici legittime electo.

Iamvero potestas Ecclesiae et Pontificis potest pluribus modis exerceri, idest Pontifex potest exercere ius suum praescribendo diversa media, eligendo inter multa, ex iis quae sunt idonea fini Ecclesiae consequendo. Si igitur videat in concreto, etiam attenta hominum malitia, usum quorumdam mediorum quae de

cetero non sunt rigorose necessaria, non esse moraliter possibilem, vel saltem esse minus opportunum, potest ab his adhibendis abstinere; item potest hanc suam voluntatem declarare, imo et pacto ad id se obligare; etenim pacto licet sese obligare ad id quod est proprio fini assequendo utile; atqui ex hypothesi, utile est in concreto, Ecclesiae et Pontifici renuntiare usui quorumdam mediorum; ergo licet ad id se obligare. Hinc Papa promittit pro se et suis successoribus, donec salus animarum aliud non exigat. Hinc si in concordato ineundo adfuisset aliquis error facti, ex quo eius applicatio iam ab initio esset noxia Ecclesiae, statim posset resolvi.

658. Et ut magis intelligatur quomodo ius pontificium non imminuatur, attende Pontificem per concordatum non sese expoliare potestate sua, sed tantum adsumere obligationem circa modum ea utendi, conservando principi aliqua privilegia et abstinendi a quibusdam actibus iurisdictionis, nisi aliud requirat animarum salus. Si igitur extra hunc casum contra concordatum agat, utique venit contra obligationem suam, sed valide agit, utpote qui non potuit sibi et successoribus auferre potestatem iure divino traditam, sed tantum potuit conformiter fini Ecclesiae adsumere obligationem circa usum eiusdem. Non enim quilibet usus potestatis est licitus; et sicut esse potest illicitus ex rerum circumstantiis si vergat in destructionem et non in aedificationem, ita et si pacto rationabili aliud promissum sit.

659. Contra id, facere videntur supra allegata verba Leonis X. et Benedicti XIV. quod sit irritum quidquid contra pacta conventa etiam scienter, a se vel a successoribus attentatum fuerit.

Verum haec intelligenda sunt quoadusque subsistat vis concordati; potest tamen Pontifex illud improbare

si vergat in detrimentum animarum; cum haec conditio ex ipsa rei natura et lege divina sit semper subintellecta; et si erret iudicando vergere in detrimentum animarum cum non vergit, a nemine potest corrigi, cum in hoc superiorem non habeat et tunc non amplius procedat ut contrahens sed ut Pontifex.

660. Hinc intelligitur et quod papa Innocentius III. in cap. 20. de Elect. ait canonem Lateranensem contra illegittimos sub Alexandro III. sibi non ademisse facultatem dispensandi: « Cum ea non fuerit prohibentis « intentio; qui successoribus suis nullam potuit in hac « parte praeiudicium generare, pari post eum, imo ea- « dem potestate functuris, cum non habeat imperium « par in parem ».

Item Victor III. revocans privilegium quod imperatori concessum dicebatur a Nicolao papa, confirmandi summos pontifices, quo, ut notum est, hi gravissime abusi fuerant, respondit: « Neque Papam, ne- « que archidiaconum, neque episcopum aliquem seu « cardinalem, licite facere id potuisse. Sedes Aposto- « lica domina est non ancilla, nec alicui subdita, sed « omnibus praelata, et ideo nulla omnino ratione sub « iugum a quoquam mitti potest. Quod a Nicolao papa « factum esse dicitur iniuste profecto ac temere prae- « sumptum est. Non tamen cuiusquam stultitia vel te- « meritate amittit Ecclesia dignitatem suam, neque « vos id sentire ulla ratione debetis ».

En igitur salva plenitudo iuris pontificii; nam si usus mediorum quae sibi Pontifex interdicit et retractatio concessionum factarum principi, sit necessaria pro salute animarum, rursus Pontifex adhibet ea media et concessiones revocat. Hinc et fautores primae sententiae admittunt concordata cum infidelibus aut haereticis, etsi sint quoad materiam eiusdem naturae ac

concordata cum catholicis, idest concessiones, tamen esse servanda ut pacta: « ita eam se gerere (Ecclesiam) oportebit, ut pacti speciem in iisdem retineat « eaque perinde ac pacta servet, » ait Tarquini in suo iure publico.

Quaedam autem clausolae vehementiores haberi possunt quando concordata respiciunt iura Ecclesiae adventitia, quae alienari valent. Ita in Concordato inter Urbanum VIII. et Ferdinandum II. regem Romanorum an. 1630, ad quod appellat dominus Turinaz (1), legitur: « ad quam (observationem), quaelibet pars contraveniens seu contrafaciens, *praecise cogi possit* ». Sed in eo Concordato Ecclesia renuntiat tantummodo quibusdam bonis temporalibus in regno Bohemiae iam distractis, habito pro compensatione constitutione taxae super sal. Iamvero quod semel et absolute alienatum est, non amplius ad Ecclesiae dominium spectat, et iniuste atque invalide repeteretur.

661. Ex his apparet dissoluta et difficultas domini De Bonald in cit. op. *Deux questions*, cum ait contractum esse « conventionem factam cum intentione se obligandi inter duas vel plures personas capaces sese « obligandi, circa materiam capacem suscipiendi obligationem ». Quo posito ait Pontificem non posse sese obligare, quia est essentialiter independens, nec res spirituales sunt obiectum obligationis, cum poni debeant non prout exigunt pacta, sed ipse finis Ecclesiae.

Verum ex dictis apparet posse Pontificem agnoscere usum quorumdam mediorum non expedire; hinc bene utitur sua suprema potestate, libere suscipiendo obligationem non utendi quibusdam mediis; et quoniam videt praesentem statum socialem esse perseveraturum,

(1) Les Concordats, deuxième édition, Paris an. 1888.

hinc promittit pro se et successoribus, qui ius accipiunt plenum a Christo, sed gravatum quoad exercitium, obligationibus susceptis ab antecessoribus, quae non opponuntur plenitudini iuris, sed tantum exercitii per usum quorumdam mediorum quae sunt in concreto minus opportuna. Igitur sicut plenitudo iuris divini primatialis non minuitur in Pontifice contrahente ex obligatione libere suscepta per concordatum, ita neque in successoribus. Successores enim sicut succedunt iuribus accidentalibus, ex. gr. dominio acquisito ab antecessoribus, ita et oneribus iuste susceptis; est autem in natura societatis perpetuae, ut onera suscipiantur nomine ipsius societatis, sicut et eius nomine iura acquiruntur, non autem tantum nomine personali, rectorum actualium. Igitur in proposita difficultate aderat aequivocatio; nomen enim iuris sumi potest vel pro potestate plena et independenti adhibendi media opportuna pro finis socialis consecutione; et sic ius Ecclesiae non minuitur nec minui potest, et a singulis Pontificibus immediate a Christo accipitur; vel nomen iuris sumi potest pro potestate licite adhibendi quaedam media non necessaria; et tunc imminui potest et limitari ex pacto, quin imminuatur perfectio societatis et independentia supremae potestatis; sic et in contractibus internationalibus, quamvis inter pares, non minuitur ipsum ius regium, in se inspectum sed quoad nonnulla media non necessaria, imo ex hypothesi non opportuna in concreto.

662. Societas autem quae est persona perpetua, in perpendenda utilitate sua non sistit in momento temporis, idest non considerat quid in singulis momentis ei magis utile sit, sed quod est magis utile respiciendo integram eius vitam. Hinc etsi aliquando esse posset utilius hic et nunc rescindere concordata, tamen quan-

do id non est rigorose necessarium pro salute animarum, faciendum non est, quia si principes viderent haec rescindi arbitrio Ecclesiae, eadem non contraherent; hinc non haberentur tot Ecclesiae utilitates; ergo inspiciendo utilitatem generalem Ecclesiae, sunt sancte servanda.

Ex. gr. si concordatum a Pio VII. initum non esset cum Gallia, forsitan haec nobilissima natio defecisset a fide ut Anglia; hinc esto rescindendo concordatum quasdam utilitates nunc haberi posse; tamen principes si putarent concordata rescindibilia ad nutum Ecclesiae, eadem non contraherent; hinc multo maiores utilitates fuissent amissae.

Rursus vel principes seu gubernia actualia, et societas sunt imbuta amore erga Ecclesiam vel non. Si 1^{um} et exercebunt iura a concordato concessa, modo convenienti utilitati Ecclesiae et modificabunt libenter concordata in ea parte qua nimis gravarent Ecclesiam; si 2^{um}, tunc si ab Ecclesia rescinderentur, occasionem sument et ei negandi ea pauca quae servant stante concordato. Hinc Ecclesia non denuntiat concordata nisi ex rigorosa necessitate; tunc enim eadem servare peccatum esset; et quod peccatum est, neque semel admitti potest.

Item nota adversus De Bonald, aliud esse materiam capacem alienationis, aliud obligationis; ius Ecclesiae nequit alienari, sed potest Ecclesia sese obligare circa modum illud exercendi donec salus animarum aliud non exigat; hinc falsum erat suppositum quartae difficultatis, nempe ad habendum contractum bilaterale, aliquid esse alienandum.

663. Sed potest ne fieri ea quae in concordatis concessa sunt, evadere Ecclesiae noxia tractu temporis? Id fieri posse ex vitio hominum, evidens est; sed id

erit quia non eo modo adhibeantur Ecclesiae concessiones, qui ab Ecclesia intenditur; igitur ex hac defectione a pactis, poterit concordatum denuntiari; item ex mutatis circumstantiis; ex. gr. si dioeceseon circumscriptio non amplius respondeat multitudini plebis; hinc si et error facti ab initio adfuisset; secus non est possibile evadant noxia. Ex. gr. maius ius quod principibus concedatur est praesentandi episcopos; iamvero intelligitur praesentatos esse debere idoneos; si igitur idonei praesentantur, hoc ius numquam evadet noxium; et notandum est minus concedere Pontificem circa hoc in concordatis quam in iure patronatus; item tempore electionum antiquarum; etenim in his conceditur instituendum aut confirmandum praesentatum vel electum nisi ex motivo canonico sit indignus; sed id difficile probatur. E contra in concordatis sibi solet Pontifex reservare ius reiiciendi praesentatos ex qualibet gravi causa, etsi non sit a canonibus praevisa nec canonice demonstrata. Ita in concordato Nicolai V. cum Friderico III. Germaniae imperatore: « Et si ca- « nonice fuerint (electiones) eos confirmaimbus, nisi « ex rationabili et evidenti causa de dictorum fratrum « (cardinalium) consilio, de digniori et utiliori persona « duxerimus providendum ».

664. Quoad quintam rationem: formula *Concordata esse concessiones quoad materiam, et contractus bilaterales quoad formam*, inducta fuerat ut exprimeretur Ecclesiam concordatis concedere de suo, non autem principem; rursus Ecclesiam non alienare sua iura, sed concedere, ita ut remaneat iudex superior; sed ad exprimendam vim pacti quae supervenit concessioni, ex quo pacto reciproco, concordatum assimilatur contractui bilaterali, dictum est induere formam contractus bilateralis; ita in nota card. Antonelli citata num. 648

dicitur: « mentre non lasciano di essere nel loro og-« getto di disciplina ecclesiastica, assumono però la « *caratteristica* di quei che diconsi (trattati) interna-« zionali ».

Item Tarquini de concordatis cum infidelibus ait *induere speciem contractus;* sed quoniam in iure attenditur capacitas obligandi vel non, hinc et nomen formae adhibere optime possumus, eam non physice sed iuridice considerantes; forma enim iuridica, est natura contractus attento titulo obligationis.

Iamvero dictum est formam informare non posse materiam sibi repugnantem; sed hoc est nova aequivocatio; difficultas enim supponit ab auctoribus illius formulae nomen formae adhibitum esse sensu scholastico; et quamvis et sic non deficerent responsiones, tamen ne nos implicemus subtilitatibus quae non sunt ad rem, dicimus nomen formae hic adhibitum esse sensu iuridico, ad significandum concessiones factas a Pontifice, accedente mutuo pacto, aequiparari quoad plures effectus, contractibus bilateralibus, quorum vim assumunt, servatis servandis.

Haec de quaestione circa naturam concordatorum inter catholicos.

§ 2.

ERRORES REGALISTARUM.

665. Aulici in aliam devenerunt sententiam, idest 1° non posse principem alienare suam independentiam; neque, dicunt, stat comparatio inter concordata et conventiones internationales; nam in his res est de externis relationibus; in illis de internis negotiis regni, in quo princeps est independens. 2° Mutata forma regiminis, non amplius subsistere concordata, ut declaravit

minister Status De Beust, vir ceteroquin protestans, in Parlamento Austriae die 30 Iulii 1870. 3° Posse a principe rescindi arbitrio suo, si sint noxia Statui, et non posse revocari a summo Pontifice.

Respondetur.

666. Ad 1um si sermo sit de statu catholico; hic iure est dependens ab Ecclesia indirecte, seu ratione finis spiritualis. Iamvero quae Status promittit Ecclesiae in concordatis, promittuntur intuitu finis spiritualis. Ergo per concordatum non renuntiat independentiae quam non habet, sed determinat modum agendi iuxta dependentiam quam habet. Hoc notamus pro iis regalistis qui sunt vel videri adhuc volunt catholici.

2° Si sermo sit de statu seu gubernio acatholico vel saltem quod ut tale se gerit, tunc vel considerat Ecclesiam ut societatem perfectam, vel ut imperfectam. Si 1um potest cum ea contrahere sicut cum alia *potentia;* hinc sicut pro utilitate subditorum contrahit conventionem, ex. gr. commercialem cum alia natione, ita pro utilitate spirituali aliquorum saltem subditorum, contrahit cum Ecclesia. Religionem enim considerat ut utilem vel reapse, vel saltem in opinione subditorum catholicorum. *Reapse*, si admittat necessitatem alicuius religionis, etsi se incompetentem agnoscat ad eam determinandam quae exclusive vera sit. Et vidimus supra agentes de relationibus status acatholici cum Ecclesia, statum acatholicum debere admittere saltem possibilitatem veritatis catholicae religionis. Igitur cum agnoscat necessitatem alicuius religionis, et catholica nihil habeat evidenter adversans naturali honestati, et possit esse vera, aut saltem haberi ut talis ab eius sectatoribus, quibus proinde ius est ei adhaerendi, gubernium rem utilem facit si cum auctoritate religiosa catholicorum ordinat res ecclesiasticas

per concordatum, ut norma fixa, ab utraque parte approbata habeatur; iuvat enim plurimum regulas extare determinatas ob innumeras relationes societatis religiosae cum civili, et magnum influxum religionis in publicam honestatem et tranquillitatem.

667. Et notandum est in hac hypothesi ex concordato maiorem esse utilitatem pro gubernio quam pro Ecclesia; cum enim agamus de gubernio quod Ecclesiam non considerat ut infallibilem, cumque aliunde ne in tyrannidem incidat, libertatem eidem concedere debeat, tutius est gubernium si Ecclesia determinet suam agendi rationem, quam si libertate sua utatur; per concordatum enim praevidetur modus agendi Ecclesiae et basis determinata et positiva operationis habetur.

668. Si autem gubernium esset omnino incredulum et atheum, saltem admittere debet factum, nempe populos credere religioni etsi religio sit chimaera, et proinde populos indigere cultu religioso, religionemque, ut ostendit et experientia, plurimum posse ad homines in officio continendos. Igitur ex politica consideratione habere debet ut utilem rei religiosae ordinationem, quae fieri debet cum ea auctoritate quam credentes religioni habent ut competentem. Si enim ipsum ordinaret rem religiosam, in tyrannidem incideret et turbaret publicam tranquillitatem.

669. Quaeri potest quomodo gubernium acatholicum possit considerare Ecclesiam ut perfectam societatem; et profecto eam non habet ut talem obiective, sed iuxta persuasionem suorum subditorum eidem adhaerentium, quibus hoc ius agnoscit, idest participandi societati religiosae quam putant a Deo institutam ut perfectam societatem.

670. Si autem 2°, gubernium acatholicum habeat Ecclesiam ut societatem imperfectam, tunc adhuc con-

trahit cum ea non modo eam considerando ut perfectam in opinione fidelium et eis morem gerendo pro bono pacis, sed etiam quia obligatio contrahi potest a persona perfecta cum alia imperfecta (etsi habeantur quaedam differentiae in ea interpretanda et iudicanda), sicut contrahit Status cum societate, ex. gr. industriali.

671. Sed subiungebant regalistae, non posse concordata aequiparari pactis internationalibus, quia haec respiciunt relationes externas, e contra concordata respiciunt negotia et relationes internas regno, et ipsas personas subditorum.

Respondemus primo iuxta principia catholica; secundo ad hominem.

1° Iuxta rei veritatem; negotia religiosa sunt interna regno, ratione personarum conc., ratione materiae et auctoritatis nego; etenim auctoritas religiosa quae praeest negotiis ecclesiasticis, est auctoritas societatis a civili distinctae, independentis et superioris, et ea negotia afficiunt cives non prout cives sunt, saltem directe et primario, sed prout membra societatis religiosae. Ergo hoc sensu iuridico seu specifico, attendendo naturam auctoritatis civilis, negotia religiosa sunt ei externa, et externa est auctoritas religiosa. Quod si consideremus personas, utique sunt internae regno; sed sub respectu religioso dependent ab auctoritate religiosa, quae etsi moretur extra regnum, est tamen eidem interna, quia praeest tum principi tum populo; sed est superior; hinc falsum est in hoc principem esse independentem; est unice independens in negotiis internis ratione materiae et personarum; non autem in negotiis internis tantum ratione personarum, sed non materiae. Igitur verum est concordata cum principe catholico proprie aequiparari non posse contractui internationali, sed tota differentia est in favo-

rem Ecclesiae, quia conventio internationalis est inter iure pares; concordatum inter iure dispares, conveniente Ecclesiae superioritate.

2° Ad hominem; etsi status non agnoscat divinitatem Ecclesiae, tamen agnoscit negotia religiosa non esse suae competentiae, vel saltem non haberi ut suae competentiae a subditis catholicis; et ideo contrahit concordatum vel quia agnoscit catholicis ius esse considerandi negotia religiosa ut extranea Statui, vel saltem in hoc morem gerit populo pro bono pacis.

672. Transeamus ad secundam difficultatem; aiebant, mutata forma regiminis, iam deficit alterutra persona contrahens; hinc concordatum est caducum. Iamvero duplici modo id evenit; 1° et semel ex parte Ecclesiae, cum in concilio Vaticano summus Pontifex declaratus est infallibilis et praeditus suprema potestate; hinc quaedam gubernia occasionem sumpserunt hostiliter se gerendi in Ecclesiam, quia non contraxerant cum Ecclesia monarchicae formae, sed mixtae ex aristocratia et principatu. Sed saepius evenit et eveniet ex parte Status; praesertim factum est ut caderent dynastiae quibuscum contractum fuerat, vel monarchiae converterentur in gubernia repraesentativa; igitur deficit persona laica quae contraxerat, et praesertim populus non tenetur ratum habere quod factum est a principe absoluto, absque consensu repraesentantium suorum.

Respondemus conventiones afficere ipsam societatem, etsi contrahantur eius nomine ab auctoritate nunc praesidente societati; hinc iura et onera acquiruntur societati mediantibus rectoribus; et quoniam societas est persona perfecta, hinc semper de se perdurant etsi mutentur rectores et regiminis formae. Et proinde est duplex persona consideranda; ea cuius administratio

geritur, et ea quae eamdem gerit; illa est societas et permanet; haec est persona gubernans sive physica sive moralis; et quoad formam mutatur in Statu. Igitur sicut ex hac mutatione non corruunt tractatus internationales, ita nec concordata, quae his aequiparantur; imo neque corruunt per se ceterae conventiones etiam cum subditis, etsi minoris sint firmitatis. Novi autem rectores, quoniam regunt nomine eiusdem societatis et loco antecedentium, sicut haereditant ipsorum iura, ita et onera. Quod autem dicunt saltem cadere concordata quae a monarchia contracta sunt sine consensu populi, includit errorem, idest monarchiam non esse legittimam formam gubernii.

673. Et nota concordata sustineri etsi a sancta Sede contrahantur cum gubernio, ut dicitur, de facto, idest non legittimo in sua origine, sed qui nunc potitur publica suprema potestate. Etenim et gubernia de facto, etsi non habeant ius possidendi supremam auctoritatem, tamen donec eam possident, iure procurant quae tendunt ad publicam utilitatem, inter quae sunt et concordata. Imo aliquando tenentur per accidens perseverare in possessione iurium maiestaticorum, si absque gravi societatis damno non posset legittimus princeps reintegrari. Hinc et restituto legittimo principe, tenetur agnoscere validitatem tractatuum internationalium et aliorum actuum quorum finis erat recta administratio reipublicae, et tantum valet reiicere quae directe tendebant ad eum excludendum a suo throno; sed concordata sunt in prima categoria, ergo debent observari. Ad summum de quibusdam articulis respicientibus iura personalia principis, ex. gr. iuspatronatus familiare, quae fuissent abolita per praecedens concordatum, poterit abrogatio impetrari.

674. Consideravimus mutationem formae societatis

civilis; sed quid de mutatione quae per concilium Vaticanum evenit in Ecclesia?

Resp. I. Iuxta catholica principia nullam mutationem evenisse; nam concilia non condunt veritates dogmaticas, sed declarant; ergo infallibilitas et suprema potestas non sunt datae summo Pontifici a concilio Vaticano, sed a Christo Domino, et concilium tantum haec definitive declaravit.

Resp. II. Si res sit cum gubernio quod infallibilitatem concilii non admittit, et proinde putet mutatam esse formam Ecclesiae, tunc respondemus quod sicut non nocet valori concordati mutatio regiminis civilis, sic ex hypothesi neque noceret mutatio regiminis ecclesiastici; nam concordatum est inter Ecclesiam et Statum, inter supremam potestatem Ecclesiae et Status, quodcumque sit subiectum huius supremae potestatis; si enim mutantur, successor haereditat iura et onera antecessoris.

675. Quod si quaedam praecise concordata sint non cum Ecclesia, sed cum sancta Sede prout talis est, animadvertimus:

1° S. Sedem non defecisse nec ei substitutum esse subiectum, ex. gr. morale, puta synodum permanentem; 2° omnes norunt s. Sedem semper exegisse et ante concilium Vaticanum plenam obedientiam suis decretis, ex parte fidelium; 3° definitionem concilii non minuisse eius efficaciam sed confirmasse; Status autem conqueri posset si concessis seu agnitis s. Sedi quibusdam iuribus per concordatum, ea in peiorem conditionem devenisset per definitionem concilii, quia non tam efficax esset praestandis quae praestare deberet in favorem Status; sed cum efficacior facta sit, nullum detrimentum exinde Status capit.

676. III. difficultas regalistarum ait I. principem

rescindere posse iudicio suo concordata si sint noxia Statui; etenim ipse independens est in iis procurandis quae Statui necessaria sunt.

Resp. I. directa iuxta principia catholica: Status est independens directe conc., indirecte nego; idest cum bonum temporale nequeat adversari bono spirituali, Status nequit illud prosequi cum huius detrimento; sed concordata tendunt ad bonum spirituale; ergo nequeunt cassari ex motivo temporali ab auctoritate civili, sed recurrat ad Ecclesiam quae videbit an consuli possit bono spirituali per alia media; si id est possibile, modificabit concordatum; et si sermo sit de vera utilitate temporali, semper invenietur aliquod temperamentum; si e contra agatur de detrimento temporali necessario pro bono spirituali, erit sustinendum, et concordatum in sua vi perseverabit.

Resp. II. ad hominem; cum concordata ineantur ut pacta internationalia, hinc collatis consiliis sunt modificanda; et Ecclesia solet hanc clausolam apponere in concordatis. Ceterum si agatur de gubernio incredulo, si putaret adversari necessario bono Status ea quae Ecclesia non vult modificare, tunc ea resolveret ex sese, sicut fit et in quaestionibus internationalibus si iudicamus alteram partem iniuste dissentire; recurritur enim tunc ad arma.

677. Altera pars difficultatis aiebat non posse Pontificem solum modificare concordata. Hoc autem dicunt vel quia putant negotia disciplinaria Ecclesiae indigere regia approbatione tamquam suprema sanctione, vel quia putant Ecclesiam alienasse iura quae in concordatis concedit principi; sed utrumque falsum est; falsum est 1^{um}, quia Ecclesia est independens a Statu; falsum pariter 2^{um}, quia etsi Ecclesia possit limitare exercitium suorum iurium, salvo suo fine, nequit ta-

men imminuere ipsum ius consequendi finem suum per media idonea, ut supra diximus.

678. Ceterum in praxi verissimum est, gubernia esse tenacissima concessionum sibi factarum et eas de facto considerare ut irrevocabiles; hinc conclusio quae esset deducenda, in hoc consisteret, parce faciendas esse concessiones et regibus bonis, quia postea succedentibus malis, eis abutuntur, et quamvis de iure possent revocari, tamen id in praxi difficillimum est et ut plurimum mala maiora excitaret.

ARTICULUS VI.

De concordatis ineundis et dissolvendis.

Quoad primum:

679. Cum concordata sint conventiones, hinc ut rite ineantur oportet habeant conditiones requisitas pro pactis valide ineundis, idest adsit 1. potestas ex parte contrahentium; 2. voluntas; 3. materia licita obligationis.

De 1° et 3° non est difficultas, cum et Ecclesiae et societatis civilis supremae auctoritates, facultate polleant concordata ineundi; item circa materiam, cum Ecclesia possit spiritualia concedere modo supra explicato, et multo magis Status libertatem Ecclesiae tueri eique temporalia quaedam ministrare.

680. Sed posset per accidens esse error circa materiam, aut dolus, vel metus aut violentia ex parte voluntatis; iamvero haec opponuntur voluntario, aut simpliciter aut secundum quid, cum vel cognitionem ex parte mentis auferant, vel consensum aut saltem libertatem consensus. Hinc dolus et error in substantialibus opponuntur validitati contractus.

681. Item violentia. Metus autem quosdam actus facit nullos, quosdam rescindibiles; et rescissio fit a

iudice ad querelam partis, quando iudex adest; sed in statu extrasociali quaelibet pars recedit iure suo a pacto inito ex metu iniusto gravi incusso ad extorquendum actum; item si partes sint pares, idest quotiescumque iudex non adest.

682. Hinc cum Pontifex non habeat iudicem superiorem, solvit se, si ei inferatur iniuria per metum in concordato contrahendo vel quacumque facienda concessione. Et id etsi iuramento firmaverit; iuramentum enim est accessorium quod sequitur principale, et Pontifex solvit se et ab hoc iuramento, utpote pariter extorto.

Id evenit cum Paschalis II. in quaestione de investituris, ab Henrico V. imperatore captivus ductus est cum pluribus cardinalibus. Imperator enim necem minabatur et innumera mala captivis et Ecclesiae. Hinc Pontifex, non timore sui, sed cleri et Ecclesiarum, plura imperatori concessit, quae, recuperata libertate et securitate, retractata sunt in concilio Lateranensi II. causa cognita ab episcopis.

683. II. Solvitur concordatum ad denunciationem partis innocentis, si altera non stat pactis conventis.

684. III. Si ex mutatione circumstantiarum, res incidat in eum casum a quo incipere non poterat, idest materia fiat physice aut moraliter impossibilis seu illicita. Id tamen iudicio Ecclesiae, quae est iudex superior ex duobus contrahentibus, et iudicat etiam in causa propria, ut princeps si contrahat cum suo subdito; sicut Ecclesiae diximus, attento iure, spectare et interpretationem concordati, etsi in facto Ecclesia curet et generatim promittat, collatis consiliis amicaliter controversias esse finiendas. Sed si auctoritas civilis rationabilem compositionem non admittat, tunc Ecclesia, utpote iuridice superior, utitur potestate sua.

LIBER SECUNDUS

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE

1. Cum in superiori libro ostensa fuerit potestas. Ecclesiae divinitus collata, in praesenti eius subiectum determinandum est. Iamvero criterium in hac re prae oculis habendum, hoc est: cum Ecclesia non sit societas voluntaria et naturalis, sed necessaria, supernaturalis, instituta a Deo modo positivo, eius *constitutio*, idest interna organizatio essentialis, non pendet ab hominum voluntate, sed a divino Fundatore, qui potuit quod voluit; hinc potestas residet in subiecto ab eo designato. Ergo procedendum criterio *positivo*, et non mere rationali. Et quamvis certissimum sit constitutionem a Christo Domino datam Ecclesiae esse perfectissimam, attenta indole et fine eiusdem Ecclesiae, tamen quoniam multis modis constitui poterat iuxta diversam intentionem divinam, hinc cum simus in materia contingenti, male procederet qui argueret a priori; rationalistico enim vitio inficeretur.

2. Dicimus Ecclesiae constitutionem desumendam esse ex facto divino, ideoque criterio theologico; nam supposita fundamentali organizatione, poterit ab auctoritate a Christo instituta ulterior organizatio superaddi, quae accidentalem Ecclesiae constitutionem exhibet, et de ea potius agitur in iure canonico, ubi de patriarchis, primatibus, metropolitis et ipsorum conciliis.

Exponemus I. veram Ecclesiae constitutionem; II. errores praecipuos in hac re; III. eos confutabimus.

CAPUT I.

DE VERA ET ESSENTIALI ECCLESIAE CONSTITUTIONE

§ 1.

GRADUS HIERARCHICI IURE DIVINO.

3. Ex s. theologia habemus I. Ecclesiam esse societatem perfecte *inaequalem* seu *rectoriam*, ita ut dispertiatur in duas classes, clericorum et laicorum, et quidquid potestatis est in illis resideat, etsi in bonum totius Ecclesiae.

II. Et quidem hanc potestatem a Christo collatam esse iis clericis qui sunt originis divinae, seu episcopis, presbyteris et diaconis, supposita nunc communi sententia, ceteros clericos esse ecclesiasticae institutionis.

III. Tamen quamvis gradus hierarchici sint tres, notandum est presbyteratum prout seiunctus est ab episcopatu, fuisse ab apostolis positum, sed ex Redemptoris doctrina. Etenim Dominus non alios ordinavit presbyteros quam quos consecravit episcopos, idest Apostolos; nam iisdem verbis in ultima coena: « Hoc facite in meam commemorationem, » eis dedit et potestatem consecrandi, et alios ordinandi. Hinc si presbyteri dicuntur successores septuaginta duorum discipulorum, est improprie, quatenus hos utpote *adiutores* Apostolis inferiores Christus Dominus praemisit ad praedicandum ubi ipse erat cum Apostolis venturus; hinc figuram gerebant presbyterorum vel hi gerunt figuram ipsorum, quia sunt coadiutores episcoporum, sicut discipuli fuerunt coadiutores Apostolorum. De cetero missio discipulorum fuit temporanea, et ex eis

quidam assumpti videntur ad diaconatum ab Apostolis, quod ostendit eos non fuisse presbyteros.

IV. Diaconi pariter fuerunt immediate ordinati ab Apostolis, sed ex instructione habita a Domino.

V. Sed duplex est hierarchia, ordinis et iurisdictionis; prima adnexa characteri sacramentali, ideoque inamissibilis, quamvis pro licito exercitio subordinata potestati iurisdictionis; haec e contra est alligata missioni legittimae et amissibilis (in supremo pastore, tantum per *renuntiationem*). Iamvero etsi presbyteri et diaconi habeant propriam potestatem ordinis, tamen nullam habent *propriam* potestatem iurisdictionis; hinc pertinent ad hierarchiam ordinis, sed non ad hierarchiam iurisdictionis, loquendo de gradibus divinae institutionis.

VI. Potestas iurisdictionis, de qua ut ab initio monuimus, agit ius publicum, collata proinde est solis Apostolis, sed inaequaliter, idest aliter Apostolis omnibus, aliter Petro.

§ 2.

AUCTORITAS BEATI PETRI.

4. Beato Petro collata est plena, universalis, suprema, independens, ordinaria potestas; ideoque in ipsos Apostolos, et in omnes Ecclesias ab eisdem fundandas, quas instituebant ut membra illius unicae Ecclesiae Christi, cui universim vicaria potestate praeerat Petrus; ideoque baptizando fideles, eos adscribebant huic unicae Ecclesiae et Petri subditos eosdem constituebant. Fuit proinde Petrus vicarius Christi, primas iurisdictionis in universa Ecclesia, et centrum communionis atque auctoritatis ecclesiasticae, dono dogmaticae infallibilitatis praeditus tamquam charismate suo muneri ordinario adnexo, et proinde *doctor* veritatis.

§ 3.

AUCTORITAS APOSTOLORUM.

5. Quoad Apostolos consideremus eos 1. singulariter; 2. collegialiter, sic determinando ipsorum potestatem et relationem ad Petrum.

Apostoli habuerunt quidem I. a Christo missionem immediatam ad praedicandum Evangelium in universum mundum, et Ecclesias fundandas, atque ordinandas (idest leges ferendo in eis etc.); II. charisma personale infallibilitatis in docendo; utrumque ostendebant miraculis, quibus demonstrabant se legatos divinos, ideoque eis docentibus fides, imperantibus obedientia ab omnibus debita erat.

6. Sed 1° auctoritatem in universalem Ecclesiam *singulariter* non habuerunt; hinc leges pro universa Ecclesia condere non potuerunt, nisi ex divina revelatione eas promulgando; sed tunc erant leges divinae, non mere apostolicae; 2° non erant personaliter capita et centrum suarum Ecclesiarum tamquam societatum independentium, sed Petro subordinati, quem agnoscere debebant ut caput suum et Ecclesiarum a se fundatarum; hinc 3° leges si quas Petrus ut Primas tulisset, debebant observare, sicut si quae praecepta dedisset; item 4° Petrus leges ipsorum infirmare valebat.

Tamen III. charismate personali charitatis erant insigniti post acceptum Spiritum Sanctum, ex quo fiebat ut unitatem Ecclesiae rumpere non valerent, utpote in gratia in hac parte confirmati.

Ex quo charismate fiebat IV. ut nec unus perturbaret Ecclesias ab alio fundatas.

Tamen V. si eas visitaret etiam per epistolas, poterat in absentia fundatoris easdem *ordinare* vel *reor-*

dinare etiam mutando quae a fundatore fuerant statuta, prout in Domino iudicasset; hoc et de legibus Petri, quas tulisset ut apostolus, non ut primas; et ex eisdem charismatibus valebant id distinguere.

VI. Si autem duo apostoli concurrissent, ex eodem charismate charitatis vel in Domino concorditer coadministrassent, vel unus non contradixisset ei qui negotium praeoccupaverat.

7. *Collegialiter* autem legem ferebant pro universa Ecclesia, sed sub principe Petro, qui totius collegii apostolici pastor erat.

§ 4.

AUCTORITAS PETRI ORDINARIA ET AD SUCCESSORES PERTRANSIENS.

8. Iamvero *auctoritas* Petri erat in Ecclesia, ordinaria et perpetua, et pertinebat ad ipsam Ecclesiae constitutionem.

Super Petrum enim est fundata Ecclesia (Mat. XVI), et portae inferi adversus eam non praevalebunt usque in aeternum. Oportet enim stet fundamentum quousque perseverat ipsa Ecclesia.

Item claves regni coelorum semper sunt in Ecclesia; hinc et claviger.

Item Satanas (Luc. XXII) expetit semper fideles ut cribret sicut triticum; hinc semper manere debet in Ecclesia qui fratres confirmet.

Et tandem *Ovile* Christi est semper unum, ideoque semper indiget unico supremo Pastore visibili (Io. XXI). Hinc mortuo sancto Petro, eius *auctoritas* transit in successores.

9. Merito dicimus *auctoritatem;* nam apostolatus habebat praeterea adnexa alia charismata, quae de *iure*

non transeunt in successores. Sic donum linguarum, aut miraculorum; nec revelationis donum aut inspiratio Spiritus Sancti sive ad praedicandum, sive ad libros canonicos scribendos, quae Petro et reliquis Apostolis communia erant, non transeunt ad successores.

10. Haec enim spectabant ad dignitatem legati divini, immediate missi, et ad munus fundandi Ecclesiam.

Legatus enim oportet signis ostendat suam missionem, et Ecclesia semel fundata doctrinam non auget novis dogmatibus, quia est una fides et opus consummatum est ab Apostolis; ideoque ab eis suam constitutivam accepit perfectionem. Hinc tunc necesse fuit Spiritus Sanctus doceret omnia et suggereret omnia quaecumque dixerat Dominus et etiam alia quae non intellexerant et alia multa quae Dominus non dixit, quia non poterant tunc portare. Sed Apostolis mortuis, tantum depositum revelationis in Ecclesia integre custoditur et evolvitur. Hinc Paulus ad Timotheum: « O Timothee depositum custodi! Quae audisti a me « per multos testes, haec commenda fidelibus homini- « bus qui idonei sint et alios docere ». Ergo episcopi positi ab Apostolis non nova dicunt neque novas habent a Deo revelationes. Evolutio tamen traditae doctrinae habetur; evolutio enim est perfectio accidentalis in doctrina, dum nova revelatio *catholica*, esset perfectio substantialis.

11. Revelatio catholica est quae fit *praeceptive* intimanda et *exquirenda* ab omnibus hominibus; et huiusmodi non amplius datur; revelationes autem sanctorum non sunt tales, nec auctoritative ab Ecclesia proponuntur fidelibus aut praeceptive sunt ab eis inquirendae; quibus tamen innotescunt *donec persuasi sunt* de ipsarum genuinitate, tenentur eas credere fide *divina* etsi non catholica.

12. Ulterius non omnes gentes fuerunt ab Apostolis ad fidem conversae, sed paullatim Ecclesiam ingrediuntur; et tantum in fine mundi ingredientur hebraei; igitur praedicatio fidei infidelibus et fundatio novarum Ecclesiarum seu Ecclesiae dilatatio continuanda est donec fiat unum ovile et unus pastor. Petrus ergo qui universae praeest Ecclesiae, eam non modo regere sed etiam extendere debet. Et proinde eius apostolatus quoad auctoritatem praedicandi et fundandi Ecclesias seu adscribendi gentes infideles unico ovili, semper perdurat etsi charismata apostolatus supradicta, idest miraculorum et inspirationis, cessaverint remanente infallibilitate, ob divinam adsistentiam ne portae inferi praevaleant, ut fratres confirmentur et pascua sana fidelibus omnibus tribuantur. Hinc successor beati Petri dicitur *apostolicus*, et eius sedes *apostolica*, non tantum origine, sed maxime perseverante *potestate*.

§ 5.

QUIS SUCCEDAT BEATO PETRO.

13. Ex eadem sacra theologia scimus beato Petro in auctoritate primatiali (includente et apostolatum ex dictis) succedere romanum episcopum, prout agnovit universa antiquitas.

Petrus enim Romam venit eiusque episcopatum gessit, ibique stabilem sedem posuit et ibi mortuus est. Id profecto beatus Petrus praestitit quia cum eius auctoritas esset in Ecclesia duratura, oportebat certam sedem ac locum haberet, ne cum detrimento Ecclesiae incerta vagaret, ideoque voluit romanum pontificem esse verum suum successorem, idest qui integram haereditaret auctoritatem. Episcopi enim quos vivens ponebat in diversis civitatibus, et etiam Evodius quem

sibi constituit in antiochena Ecclesia successorem, proprie in eius auctoritatem non succedebant, etsi eo episcopali munere fungerentur, quo ipse antecedenter in ea ecclesia functus erat; ipse enim regebat has ecclesias applicando eis supremam potestatem sui apostolatus et primatus, ceteri e contra vi episcopatus ab apostolatu emanati, ideoque potestate inferioris gradus et naturae; hinc in Petro pascente populum romanum, non erat duplex potestas, specialis, episcopatus qua eum pasceret, et primatialis qua et ipsum et reliquos regeret populos, sed unica eaque primatialis, exclusive applicata populo romano, dum collegas et coadiutores habebat in aliis ecclesiis episcopos. Hinc qui successit non tantum in munere pascendi populum romanum, sed in ea auctoritate qua Petrus regebat Ecclesiam romanam, successit in ipsam auctoritatem primatialem, quia non alia ab ea erat.

14. Hanc autem fuisse mentem s. Petri constituentis sibi sedem fixam Romae, ex eo certo arguimus quod universa antiquitas, statim, absque ullo decreto ecclesiastico, agnovit romanum Pontificem ut successorem Petri, idest in eadem auctoritate primatiali. Ergo evidens fuit antiquitati mens beati Petri in eligenda sibi sede romana.

Haec evidentia debuit procedere I. ex declaratione Petri discipulis suis et Ecclesiis, de qua dubitare non possumus, cum res fuerit gravissima, etsi nobis desint argumenta directa et explicita.

II. Id innotescere debuit antiquis ex ipsa rei natura; cum enim auctoritas episcopalis Petri ex dictis, esset ipsa auctoritas primatialis, cumque haec esset perpetuanda in Ecclesia, ideo intelligebatur fixam sedem sibi eligere, ut vere haberet successorem, adeo ut eo mortuo, non de novo fundaretur in ea ecclesia episco-

patus par ceteris, sed perseveraret ille episcopatus qui erat in Petro, seu auctoritas primatialis qua rexerat eamdem romanam Ecclesiam; igitur *identitas* auctoritatis episcopalis et primatialis qua Petrus rexerat romanam Ecclesiam, effecit ut eius successor vere successerit in primatu, adeo ut tantum distinctione rationis, vi *termini* in quem fertur, utraque distinguatur, non autem ipsa re.

Igitur cum tota antiquitas statim, sine ulla controversia, agnoverit romanum Pontificem ut successorem beati Petri, et proinde ut primatem, id certe ostendit eos agnovisse mentem Petri, eamque collegisse vel ex ipsa rei natura, vel ex expressis declarationibus, vel melius ex utroque fonte.

Hinc neque auctoritate ecclesiastica valet Sedes mutari, cum fuerit factum transiens et fundationis.

§ 6.

DE SUCCESSIONE EPISCOPORUM APOSTOLIS, SINGULARITER ET COLLEGIALITER.

15. Videamus modo quomodo episcopi Apostolis succedant, 1° singulariter, 2° collegialiter.

I. Apostoli erant missi immediate a Domino, ideoque eius legati, (*a Christo legatione fungimur*, ait s. Paulus: legatus enim est qui *immediate* repraesentat principem et sine intermedio habet ab eo auctoritatem, eiusque loco legem dicit); huius autem legationis signa erant in miraculis quae edebant, (et sub nomine miraculi late quamvis proprie sumpti veniunt et prophetiae, idest omnia facta sensibilia supernaturalia).

Iamvero singuli episcopi non sunt immediate quoad personam electi a Domino et missi, neque sunt proinde eius legati, neque habent donum miraculorum ut adne-

xum officio, ut factum ostendit. Ergo hoc sub respectu sunt inferiores Apostolis.

II. Videamus an habeant alia charismata, idest infallibilitatis et charitatis. Act. xx. cum s. Paulus episcopis Asiae congregatis, dixisset eos esse positos a Spiritu Sancto ad regendam Ecclesiam, subdit: « ex « vobis ipsis exurgent viri loquentes perversa, ut abdu- « cant discipulos post se. Propter quod vigilate ». Ergo singuli episcopi cadere possunt in haeresim, loquendo perversa, et proinde et in schisma, abducendo discipulos post se. Igitur non habent singulariter charisma infallibilitatis aut charitatis.

III. Videamus an habeant auctoritatem fundandi novas ecclesias, seu an habeant apostolatum praecisum a charismatibus (hinc semper dependentem pro servanda unitate et sanctitate Ecclesiae).

Cum episcopi non sint missi immediate a Domino, accipiunt missionem ab Apostolis. Iamvero certum est Apostolos 1. quosdam sumpsisse episcopos in sui coadiutores, quos secum habebant in suis peregrinationibus; hinc Paulus secum habebat Timotheum, Titum, Apollo et alios; item 2. certum est quosdam ab Apostolis missos fuisse ad praedicandum gentibus; ita s. Petrus misit multos discipulos, ut s. Apollinarem et s. Maternum. Quod praestitit beatus Petrus poterat praestari et ab aliis Apostolis in regionibus ab ipsis electis ad praedicandum, vel ipsis in sortem adsignatis, salvo tamen iure aliorum Apostolorum si supervenissent. Hi ergo episcopi habebant missionem fundandi Ecclesias, sed ab Apostolis, sicut processu temporum summi Pontifices plures miserunt, ut s. Bonifacium in Germaniam, s. Augustinum monachum in Angliam.

16. Verum quaeritur an ius fundandi novas ecclesias sit connaturale ipsi episcopatui, absque speciali

missione eius cui ius est, ut erant omnes Apostoli, et ut est nunc summus Pontifex.

Iamvero respondendum est *negative*. Sicut enim ex doctrina catholica habemus eos novas ecclesias iure fundare, cum specialem ad hoc recipiunt missionem, ita habemus eos huiusmodi potestate carere vi tantum episcopatus. Et sane I. consideremus sacras Scripturas; legimus in Actis Paulum et Barnabam peragrasse Ciliciam et alias regiones constituentes per singulas civitates presbyteros, idest episcopos, Act. XIV. 22. Notum est enim in sacra Scriptura, haec nomina sumi promiscue; episcopi enim sunt vere presbyteri etsi non viceversa, postquam tempore procedente determinatus est valor horum verborum. Quod semel pro semper probamus.

17. *Presbyteri in sacris litteris Novi Testamenti idem sunt ac episcopi.*

I. Act. XX. 17: « A Mileto mittens (Paulus) Ephesum « vocavit maiores natu Ecclesiae (τους πρεσβυτέρους) « et eos alloquens ait v. 28: Attendite vobis et uni- « verso gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit epi- « scopos, regere Ecclesiam Dei ».

Neque cum protestantibus dici posset seniores esse tales aetate; etenim s. Timotheus qui erat senior, dicitur iuvenis: « Nemo spernat adolescentiam tuam ». I. ad Tim. IV. 12 et v. 14: « Noli negligere gratiam « quae est in te, quae data est tibi per prophetiam cum « impositione manuum presbyterii ».

II. I. Petri v. « Seniores ergo qui in vobis sunt « (directa est epistola ex cap. I. Electis advenis di- « spersionis Ponti, Galatiae, Cappadociae, Asiae et « Bithyniae), obsecro consenior et testis Christi pas- « sionum.... pascite qui in vobis est gregem Dei.... « πρεσβυτέρους... ὁ συμπρεσβύτερος ».

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

III. Act. xv. « Convenerunt Apostoli et seniores vi-« dere de verbo hoc ».

IV. Ad Tit. 5. « Huius rei gratia reliqui te Cretae « ut ea quae desunt corrigas et constituas per singulas « civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi » et: « si quis sine crimine est, unius uxoris vir, filios ha-« bens fideles... oportet enim episcopum sine crimine « esse ».

Ut enim notat s. Hieronymus, Comment. in cap. II. Epistolae ad Titum, « ipsum dicit episcopum quem su-« perius presbyterum nominavit ». Et tota Epist. 146 ad Evangelum, probat ex professo in Novo Testamento episcopos vocari presbyteros.

Et s. Ioannes Chrysostomus homil. II. in eamdem epistolam, n. 1. ad eadem verba, *constituas per singulas civitates presbyteros*, subdit: « episcopos hic dicit, « ut iam alibi diximus ».

Viceversa aliquando presbyteris datur nomen episcopi. Id notat idem s. Ioannes Chrysostomus homil. I. in Epist. ad Philippenses, n. 1. Cum enim retulisset verba Apostoli: « Omnibus... qui sunt Philippis cum « episcopis et diaconibus, subdit: Quid hoc? an unius « civitatis multi erant episcopi? nequaquam; sed pres-« byteros isto nomine appellavit; tunc enim nomina « adhuc erant communia atque ipse etiam episcopus « vocabatur diaconus ».

Haec significationis promiscuitas adhuc occurrit apud primos Patres, ut s. Clementem romanum, s. Irenaeum, imo et s. Cyprianum.

In libro autem cui titulus, *Doctrina duodecim apostolorum*, sermo est de episcopis, diaconis et ἀρχιερεῦς (summis sacerdotibus); idest, more nostro, de presbyteris, diaconis et episcopis.

Et s. Irenaeus (apud Eusebium lib. 5. cap. 24.) in

epistola ad Victorem papam, ait: « Verum illi qui prae-
« cesserunt presbyteri, quamvis minime observarent
« (pascha more hebraeo), Ecclesiarum presbyteris qui
« id observabant, eucharistiam transmiserunt ».

Ex his colligitur episcopos in litteris Novi Testamenti comprehendi sub nomine presbyteri, ut nunc sub nomine sacerdotis. Non tamen sequitur apostolos ordinasse tantum episcopos, sed sacerdotes, de quibus (seu de una specie sub tali genere comprehensa), verum est esse positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei.

18. His positis, ex textu Act. xv., item ex cap. xx. « in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere « Ecclesiam Dei; » item 3. ex epist. ad Titum: « ideo « reliqui te Cretae ut constituas per *singulas* civitates « presbyteros; » item 4. ex epist. I. s. Petri... « Pascite « qui *in vobis* est gregem Dei, providentes non coacte, « sed spontanee, forma facti gregis ex animo, » ex his inquam textibus colligitur episcopos de se positos esse ad *regendam* Ecclesiam iam constitutam, non mitti ad ecclesias fundandas.

Et quidem IV. non regere indifferenter quamcumque partem Ecclesiae, sed civitatem et plebem sibi adsignatam, ut evidenter resultat ex textibus allatis et etiam ex Apocalypsi quae scripta est ad septem angelos seu episcopos Asiae. Id probari posset et ex necessitate, ne oriatur confusio et conflictus, quae certo orirentur cum careant charismate charitatis, si non adsignatis limitibus quisque episcopus omnia ubique posset.

19. Cum sacrae Scripturae id edoceant nec traditio discordare potest, imo positive concordat, semper exhibendo episcopos ut addictos regimini particularis ecclesiae. Tantum aliquando legimus episcopos praedicasse fidem gentibus sibi propinquis carentibus alio

episcopo; etenim, nisi aliud expresse constituatur, commissa eis determinata civitate, intelligitur commissa et praedicatio apud populos finitimos, si tempus eis supersit aut presbyteros idoneos habeant, idest ex ea parte ipsorum dioecesis non habet fines. Sed ceteri episcopi nec ipsi praedicabant nec alios mittebant ad populos sibi non adfines. Tantum aliquando id factum est a patriarchis, qui et episcopos mittebant, qui dicebantur episcopi *gentium*, ad populos adfines suo patriarchatui, etsi non adfines suae dioecesi; ita et Panaetius philosophus missus est episcopus ad Indos a patriarcha alexandrino. Sed cum patriarchae sint ecclesiasticae institutionis, id non probat ius episcoporum commune, sed singulorum patriarcharum potestatem quibus iure ecclesiastico non modo regimen patriarchatus commissum esset, sed et participatio sollicitudinis apostolicae in gentes adfines patriarchatui, vel ad quas ex eo migrari posset, ut est India pro Ægypto.

20. Igitur III. episcoporum non est ecclesias fundare, sed fundatas regere, et quidem IV. *determinatas*. Ergo et ipsorum iurisdictio pastoralis est limitata; dum iurisdictio Apostolorum erat illimitata, seu negative universalis, quia etsi legem ferre non possent pro universa Ecclesia, sed tantum pro ecclesiis a se fundatis aut visitatis, tamen omnes poterant visitare, salva reverentia beato Petro et salva charitate.

Patrum autem et Conciliorum testimonia pro limitatione iurisdictionis episcopalis ad loca eis adsignata, invenies apud Bolgeni, in opere *L'Episcopato*, cap. 6. art. 3. num. 236 et seqq.

21. Hinc est in ss. Litteris Novi Testamenti episcopos semper apparere inferiores Apostolis et Apostolos eos ut a se dependentes ac proinde ut sibi inferiores

considerare. Eos enim constituunt per singulas civitates et eis determinant locum iurisdictionis, et super eos iudices ponunt.

Ita sancto Timotheo ait Paulus I. ad Tim. v. 19: « Adversus presbyterum noli accusationem suscipere « nisi sub duobus vel tribus testibus ». Iudicare autem superioris est; multo magis iudices constituere qui delegata auctoritate procedant, ut in casu sanctus Timotheus.

22. Hinc est in Apostolis distingui duplicem potestatem, *ordinariam* et *extraordinariam*. Ordinaria seu pastoralis erat potestas pascendi ecclesias quibus praeessent, sub dependentia beati Petri. Extraordinaria erat ipsa potestas apostolica, idest fundandi ecclesias et fundatas visitandi; illa ad successores dimanat, sed cum differentia in modo eam acquirendi. Apostoli enim ex sese, idest auctoritate immediate accepta a Christo, se praeficiebant ecclesiis, quas nempe fundaverant aut visitabant; e contra episcopi primi praefecti sunt ab Apostolis, et sequentes a summo Pontifice.

Extraordinaria autem erat *personalis* in Apostolis, ideoque ad successores non pertransiit; sed potestas apostolica erat ordinaria beato Petro, ideoque ad successores dimanat cum charismate *infallibilitatis*, sed sine charismate *miraculorum*, *revelationis* et *inspirationis;* charismate autem *charitatis* summus Pontifex non indiget, cum nemini debeat obedientiam.

23. Hinc nullus Apostolorum proprie habuit successorem, neque s. Iacobus qui tenuit sedem ierosolymitanam; etenim successor in episcopatu, successit tantum in ordinariam potestatem.

24. *Collegialiter* autem episcopi succedunt potestati collegiali Apostolorum, quia haec erat ordinaria; hinc collegialiter Apostoli habent successores.

§ 7.

DESCRIBITUR POTESTAS SUMMI PONTIFICIS ET CAUSAE MAIORES INDICANTUR.

25. Ex his sequitur potestatem summi Pontificis esse supremam, plenam, ordinariam et immediatam in omnes et singulos fideles, in omnes et singulas ecclesias. Et quoniam Ecclesia debet dilatari et iugiter propagari, hinc in eo apostolatus perseverat, et in eo tantum.

Proinde I. vi apostolatus, ipse solus mittit legittime praedicatores evangelicos et novas ecclesias fundat easque christianitates incipientes regit per vicarios apostolicos, delegatos, praefectos aut alios sive episcopos sive presbyteros quocumque nomine.

II. Quoad Ecclesiam *regendam* ipsi ex necessitate iuris divini reservantur quae supremam exigunt potestatem; hinc causae maiores ex se. Et sunt 1° quae exigunt infallibilitatem; hinc leges dogmaticae et de factis dogmaticis, ut canonizatio sanctorum.

Etsi olim episcopis permissum esset cultum publicum decretare viris in odore sanctitatis defunctis, tamen ipsorum cultus non erat *praeceptivus* neque *definitivus* pro tota Ecclesia, nisi accedente consensu summi Pontificis; hinc etsi non adhuc quoad nomen, esset distinctio inter *sanctos* et *beatos*, qui sunt quorum cultus est tantum *permissivus*, vel praeceptivus pro ecclesia particulari, et proinde non *definitivus*, tamen *res* aderat.

2° Omnia quae etsi non infallibilitatem, tamen requirunt *supremam* potestatem, utpote quae vel respiciunt statum Ecclesiae universalis, vel relationes ecclesiae particularis ad supremam potestatem, aut particularium inter se.

Differentia inter ea quae exigunt ius dogmaticum, et quae ius tantum disciplinare, est prima non posse *delegari* quia infallibilitas est personalis, secunda delegari possunt; tamen delegatus non habet eam negativam infallibilitatem quam habet delegans; infallibilitas haec negativa consistit in eo quod in usu potestatis disciplinaris legislativae nequeat contradici iuri divino; hinc si delegatus abuteretur sua potestate contradicendo dogmati, eius praeceptum esset irritum.

Sed ex his quae respiciunt statum Ecclesiae universalis, non aliud delegari solet quam praesidentia concilii, quae est actus praeparatorius.

26. Proinde causae maiores aliae sunt essentialiter tales; aliae sunt per se maiores, sed cum sint delegabiles, facta delegatione fiunt minores; dicuntur enim maiores quae supremo Principi reservantur; minores quae a ceteris pastoribus expediuntur. Sed quoniam summus Princeps potest et sibi quaedam reservare ad quae de cetero competentes essent inferiores principes, hinc fieri possunt *maiores* et quaedam causae de se minores, seu sunt maiores per accidens.

27. Hinc sequitur 1° summo Pontifici ius esse organizandi Ecclesiam (ius constituens secundarium); hinc non modo erigit novas ecclesias vi apostolatus ubi non aderant, sed *a)* existentes coniungit, dividit, dismembrat; limites enim dioecesium sunt iuris ecclesiastici et non divinae institutionis, etsi ipsa rerum natura in magna societate exigat divisionem territorialem; tamen hanc vel illam divisionem haberi, est ex facto et iure ecclesiastico;

b) ponit gradus supra episcopales, sive reales sive personales, mittendo seu designando legatos (olim dicebantur vicarii apostolici), delegatos, visitatores;

c) eximit a iurisdictione ordinariorum, sibi imme-

diate reservando monasteria, ecclesias, ordines religiosos etc. quos pro universa approbat Ecclesia;

d) episcopos nominat, aut confirmat et instituit; eos removet vel deponit; renuntiationes acceptat et transfert; dat coadiutores, aut vicarios apostolicos.

Divino enim iure, sunt duo tantum gradus iurisdictionis, seu episcopalis et pontificalis; mortuo episcopo, unus est summus Pontifex qui providere valeat ecclesiis. Utique apostoli dicendi sunt ecclesiis normas tradidisse de novis pastoribus nominandis; sed haec constituta sunt iure ecclesiastico; ideoque perseverant voluntate legislatoris, qui pro universa Ecclesia est unus summus Pontifex.

28. 2° Papa habet ius legislativum, sive pro universa Ecclesia sive pro particularibus ecclesiis, tum solus tum in concilio. Et indicit, transfert, suspendit, praesidet, claudit, confirmat solus concilia generalia. Idem *potest* quoad *particularia pastorum*, quae ab eo instituta sunt.

Item dat singulis *praecepta* (potestas *gubernativa*), et concedit privilegia.

Abrogat, derogat, dispensat in omnibus legibus ecclesiasticis, (hinc et in irregularitatibus).

29. 3° Papa habet potestatem iudicialem utriusque fori; hinc reservat sibi absolutiones a peccatis et censuris; iudicat in quocumque gradu etiam primae instantiae; hinc ius fidelium libere communicandi cum eo, sicut ipsius cum eis, ex eo quod eius potestas est immediata; et cum sit suprema, ab eius sententia non datur appellatio neque ad concilium generale.

Relationes dioecesium iure exigit ab episcopis.

30. 4° Papa infert omnes poenas ecclesiasticas, ob potestatem coactivam.

31. 5° Papa habet supremam potestatem *administra-*

tivam, omnium bonorum Ecclesiae, tum *spiritualium* (idest sacramentorum, sacramentalium et indulgentiarum; dispensationum quoque in votis et iuramentis); tum *mixtorum*, ut beneficia (hinc reservat, afficit et concurrit); tum temporalium. Hinc ius percipiendi *annatas*, pensiones imponendi et his similia.

§ 8.

NATURA POTESTATIS EPISCOPALIS.

32. Potestas iurisdictionis singulorum episcoporum, utpote pastorum secundi ordinis, est limitata et dependens. 1° Limitata tum *intrinsece*, tum *extrinsece*. Intrinsece quia non possunt quae requirunt ius dogmaticum, vel referuntur ad statum disciplinarem universalis Ecclesiae, vel ad relationes ecclesiarum particularium tum ad universalem tum inter se;

2° *extrinsece*, idest a limitibus suae dioecesis;

3° est *dependens;* hinc et in regimine suae dioecesis nequeunt contraire legibus generalibus vel *reservationibus* eis praescriptis.

Hinc I. episcoporum est legibus particularibus sive in synodo dioecesana (in qua clerus habet tantum votum consultivum), sive extra, magis promovere in dioecesi, consecutionem finis legum generalium, iuxta specialem indolem suae plebis; hinc addunt, non detrahunt legibus generalibus; sed in iis in quibus Ecclesia vult uniformitatem, ut in liturgia et matrimonialibus impedimentis, neque addunt, sed exequuntur.

II. Iudicant in prima instantia in foro externo, et sunt poenitentiarii pro tota dioecesi in foro interno, ita ut ceteri sint ipsorum delegati vel a iure vel ab homine, salvo iure Pontificis. Similiter dispensant in casibus sibi concessis.

III. Puniunt.

IV. Exequuntur omnes leges Ecclesiae seu *gubernant*.

V. Administrant bona spiritualia, mixta et temporalia ad normam canonum.

33. His resolutae sunt quaestiones I. Quis imperet in universa Ecclesia? — idest Papa vel solus vel in concilio;

II. quis in singulis partibus? — idest episcopi dependentes a Papa, qui tamen potest concurrere et tunc praeoccupato negotio excludit episcopum;

III. quaest. Quis designet dioeceses et episcopos? — Pontifex;

IV. quaest. Quanta sit in episcopis potestas et quomodo eis inhaereat? — sunt *veri* pastores et principes, sed particulares et dependentes.

§ 9.

QUAENAM SIT FORMA ECCLESIASTICI REGIMINIS.

34. Praemitto formam societatis esse eius constitutionem prout pendet a natura subiecti supremae potestatis. Hinc tres formae simplices, monarchiae, aristocratiae et democratiae, prout suprema potestas est in una physica persona, vel in paucis vel in omnibus civibus; adsunt autem formae mixtae ex duabus vel ex omnibus simplicibus et ex diversa praeponderantia unius aut alterius elementi, innumerae varietates haberi possunt.

35. I. Hoc posito in Ecclesia elementum democraticum est omnino exclusum, cum nullum ius competat populo. Neque sufficit quemlibet de populo posse elevari ad supremam usque potestatem, ex qua ratione Bellarminus (1) dixit Ecclesiae regimen esse mixtum

(1) De Rom. Pontifice, lib. I. cap. 3.

etiam ex democratia; etenim id fieri posset et in monarchia electiva; deinde quoadusque quis non sit elevatus ad Papatum vel episcopatum, nullo pollet iure. Ergo tantum improprie ac latissimo sensu expressio Bellarmini est sumenda.

II. Quaeri potest an adsit in Ecclesia elementum *aristocraticum*. Adest in episcopis quos vidimus positos a Spiritu Sancto; tamen quia non limitant potestatem summi Pontificis, sed tantum eo volente in concilio concurrunt, et extra concilium adiuvant, nequit proprie asseri in Ecclesia regiminis formam esse mixtam ex monarchia Pontificis et aristocratia pastorum; quia forma desumitur a subiecto in quo est suprema potestas independens; sed haec est tota et plena in solo Papa. Ergo regimen supremum Ecclesiae est proprie monarchicae naturae etsi coadiuvatum aristocratia; hinc et forma Ecclesiae est monarchica.

CAPUT II.

ERRORES.

ARTICULUS I.

Expositio doctrinalis.

36. Exposita genuina doctrina catholica videamus errores praecipuos qui in hac re obtinuerunt; 1. quoad potestatem ordinis; 2. iurisdictionis.

Quoad *potestatem ordinis*, 1. error est negare Ordinem esse sacramentum, ut fecit Lutherus;

2. admisso sacramento Ordinis, negare differentiam inter episcopatum et presbyteratum, ut faciunt *presbyteriani*

37. Quoad *iurisdictionem*. Omittimus errores derivantes ex indebitis concessionibus factis principibus; etenim iam sunt confutatae et pertinent ad ius publicum *externum*. Alios errores iuris publici interni reducimus ad categorias iuxta diversas *formas* regiminis. Vidimus enim genuinam formam regiminis ecclestici esse monarchicam attenta potestate suprema sed coadiuvatam aristocratia, attento gradu inferiori, seu attendendo non simpliciter subiectum supremae potestatis, sed *publicae* potestatis.

Igitur intrusio elementi democratici, vel intrusio indebitae aristocratiae, aut legittimae indebita elevatio aut exclusio, classes fundamentales errorum dabunt, in quibus tamen classibus plures gradationes esse possunt, quarum praecipuas innuemus.

§ 1.

ERRORES DEMOCRATICI.

38. 1. Primus error et maxime democraticus est, universam potestatem ecclesiasticam concedere populo, ab eo quomodolibet exercendam. Potestatem populo traditam primus asseruit Marsilius Menandrinus, Patavinus dictus, ineunte saeculo XIV. ut morem gereret Ludovico Bavaro pseudo imperatori et excommunicato a Ioanne XXII.

Docuit Marsilius summam potestatem esse in toto coetu fidelium et quidem iure naturae, in suo libro *Defensorium pacis*. Verum ut adblandiretur Ludovico, miscuit errores iuris externi, asserendo potestatem a populo transferri in principes fideles, qui eam communicant episcopis et maxime transferri in imperatorem, qui eam communicat Papae et episcopis sui imperii. Sicut lege regia, populus romanus in imperatorem

transferebat universam potestatem civilem, quam imperator communicabat deinde magistratibus. Si autem principes sint infideles, docebat Marsilius, potestatem a populo transferri in episcopos, sed exercendam cum subiectione ipsi populo et principi. Damnatus est a Ioanne XXII. in Constit. *Licet*, 23 Octob. 1327.

39. Marsilium secuti sunt *protestantes* male interpretantes illud Petri, Dominum nos fecisse *regale sacerdotium*. Ipsi quoque errori iuris *interni*, de perfecta *aequalitate* fidelium, solent miscere errores iuris externi de dependentia Ecclesiae a civili potestate, ita ut Ecclesiam non societatem perfectam sed collegium tantum faciant. More autem suo in innumeras subdivisi sunt sententias, adeo ut Pfaffius et Moshemius non minus quam decem systemata circa naturam Ecclesiae universim inspectam enumeraverint, et Schenkl ab initio huius saeculi plusquam triginta, omittendo minora. (Schenkl Instit. Iuris Eccles. Prolegom. § 46 in nota).

40. II. error est auctoritatem quidem omnem collatam fuisse populo, sed ab eo *transferendam* in Pastores, ita ut liberum populo non sit eam sibi retinere, vel pastorum gradus suo iudicio determinare, verum hi gradus sint determinati a Christo. Tunc populi ius ad duo referri potest: 1. ad *electionem* pastorum. Et hoc saltem necessarium est, ut haec sententia sit *practice* alicuius momenti; si enim pastores primi, a Domino constituti, ceteros eligerent, iam nullum esset motivum defendendi hanc sententiam, quae fieret mere speculativa et lanae caprinae.

2. Ius populi extendi etiam posset ad pastorum depositionem seu revocationem, ita ut populus et super eos vigilaret, et eos iudicaret.

Ex his facilis est transitus ad 3., nempe populum dare

normam regendi pastoribus, adeo ut pastores debeant ad populi vota respicere non modo oeconomiae causa in iis quae de cetero iusta sunt, sed ut ad normam iuridicam.

Ex quo facile esset deducere 4. officium pastorum interrogandi in difficilioribus populum et huius ius praescribendi normam agendi. Quae autem a populo essent reprobata, vigorem non haberent; imo quae a pastoribus proponerentur, firma evaderent tantum ex consensu populi; hinc sive leges dogmaticae sive disciplinares indigerent acceptatione Ecclesiae seu populi.

Ut autem ordinatim populus manifestaret sua vota, posset 5. pastorum electio fieri ad tempus, ut sic per mandati renovationem pastores solliciti essent ut responderent populi votis, et populus modum ordinatum haberet eos iudicandi et dirigendi, salva semper potestate et eos deponendi ante tempus constitutum ex gravi causa.

Vel etiam 6. posset a populo designare collegium quoddam laicorum seu *Consistorium*, qui pastori adsisterent et a quibus ipse normam sumeret, fere ut reges in systemate constitutionali.

41. Hoc praesertim apud catholicos et eos qui potestatem ordinis sacramentalem admittunt, quae proinde a sacerdote tantum exercetur, sed esset exercenda ad nutum populi seu repraesentantium eius; sicut et actus iurisdictionis, ministerialiter ponerentur a pastore, nomine populi, qui esset princeps. Sic haberi posset consilium laicum *parochiale*, *dioecesanum*, *nationale* et *internationale* seu catholicum. En systema *repraesentativum* in Ecclesia.

Notandum tamen primos qui enuntiatum principium proposuerunt, vel non vidisse omnes conclusiones derivabiles, vel ausos non esse eas deducere aut fateri,

quod et de pluribus sequentibus erroribus intelligendum est.

42. III. error. Si potestas Ecclesiae, utpote supernaturalis, dicatur quidem immediate a Christo collata pastoribus, et ab iisdem exerceri nomine proprio, seu divini Fundatoris absque iuridica dependentia a populo, sed I. a populo eligi pastores, quamvis forsitan semel legittime electi nequeant ab eo removeri; esset *concursus* quidam populi *antecedens* et *mediatus* regimini Ecclesiae; hic est error plurium recentium inter eos qui catholici-liberales magis moderati audiunt.

Vel etiam 2. *novas* leges indigere populi *acceptatione*, vel saltem ab eo reprobatas, amittere vigorem; quod et ad leges antiquas extendi posset et deberet; et esset *concursus consequens* populi in regimine Ecclesiae, adeo ut etsi populus nequiret legem dicere et pastoribus praescribere, tamen limitaret pastorum potestatem, quia non esset exercenda nisi conformiter populi voluntati.

Hic unus erat ex erroribus gallicanorum, qui aiebant leges indigere consensu Ecclesiae, quo nomine plures populum, non episcopos intelligebant.

Quod autem de legibus, et de singulis actibus externis dici posset.

Ut autem harmonia cleri et populi modo regulari habeatur, posset ut et in superiori sententia, vel directe populus interrogari, vel per suos repraesentantes, et sic in Ecclesia introduci *constitutionalismus modernus;* vel etiam a supremo pastore statui posset ut inferiores nominarentur ad tempus, aut removendos esse ad querelam populi. Ipse autem summus Pontifex cum non habeat iuridice superiorem, posset in sua assumptione iurare et sic moraliter obligari ad dimittendum pontificatum ad querelam populi. In hunc errorem inclinant plures ex catholicis *liberalibus-ultra.*

43. Nota: etsi theologice adsit differentia an potestas conferatur populo immediate et cum onere ut ab eo *debeat* transferri in pastores (ut in secundo errore), vel an, ut ait sententia haec tertia, potestas, utpote supernaturalis, collata directe sit pastoribus, sed nominandis a populo, cum onere iuridico exercendi potestatem cum eiusdem consensu; tamen socialiter non multum refert quaenam sententia adoptetur; quod enim interest est quis eligat pastores, praesertim concesso iure removendi, aut eligendi temporanea destinatione, et cuius consensus necessarius sit saltem ad novas leges statuendas (cum aliunde vis desuetudinis soleat admitti pro veteribus abrogandis). Differentia theologica adest, quia in postrema sententia populus non fuit subiectum auctoritatis supernaturalis, nec eius nomine exercetur, sed in praxi item obtinetur ut saltem potiora fiant ex voluntate populi.

44. IV. error. Potestatem collatam esse pastoribus, et eos valide quidem nominari sine consensu populi et sine eodem exerceri potestatem; sed iniuriam populo irrogari, si non consulatur sive in electionibus pastorum, sive in regimine Ecclesiae. Hinc dependentia a populo non esset *iuridica*, sed *moralis*. Hic est minimus gradus *liberalismi-catholici*.

Huiusmodi errores cum omnibus gradationibus quae ulterius fingi possent, unica propositione refutantur, idest populo in Ecclesia nullum ius proprium esse participandi eius regimini; hinc a pastoribus desideriorum eius rationem haberi tunc tantum cum id ipsi iudicaverint expedire. Distinctio autem inter obligationem pastorum iuridicam et moralem dependendi a populo vel non habet sensum, vel id tantum significat, nempe populum esse interrogandum quoties pastores iudicio suo id expedire putaverint.

§ 2.

ERRORES ARISTOCRATIAE PARVAE SEU PRESBYTERIANISMI.

45. Sicut habentur errores per excessum circa iura populi, sic et circa potestatem 1. presbyterorum; 2. episcoporum; hinc errores aristocratiae inferioris et superioris.

In hac re habemus errores tantum per excessum, comparando presbyteros episcopis; qui errores possunt coniungi et cum negatione primatus summi Pontificis; sed constito presbyteris nullum ius esse in regimine Ecclesiae, non modo salva est dependentia presbyterii ab episcopis, sed et à summo Pontifice; hinc nunc praescindimus a iuribus summi Pontificis.

Qui sub nomine presbyterianorum habentur in Anglia, non dicuntur tales quasi admittant presbyteros ut veros sacerdotes, sed quia seniores ex consessu consulunt; ideoque presbyteri dicuntur modo pagano (1).

46. Episcopos esse superiores presbyteris definitum est a Concilio Tridentino; et certum est, etsi non definitum, eos esse superiores *iure divino*, tum potestate ordinis, tum iurisdictionis.

Verum I. neoterici, qui contendunt episcopos esse iure divino aequales presbyteris, non concedunt episcopos fieri superiores iure ecclesiastico, sine consensu aliorum presbyterorum, ita ut iuxta ipsos, episcopi non modo accipiant ab aliis presbyteris potestatem, sed et ea possint expoliari, atque eam exerceant sub vigilantia aut dependentia et nomine presbyterii, modo analogo quo defensores populi, eius iura exponebant.

II. Admissa distinctione et superioritate iure divino

(1) Rohrbacher, Hist. Eccles. lib. 88.

episcoporum quoad potestatem ordinis, posset eis denegari potestas propria iurisdictionis, ita ut eam acceperint a presbyteris, ut in errore praecedenti; sed generatim qui admiserunt superioritatem episcoporum iure divino quoad ordinem, eis concesserunt iurisdictionem propriam ac principalem, sed cum iure presbyterii participandi deliberative regimini dioecesis. Dicimus deliberative, seu cum voto decisivo: etenim de consultivo voto non admodum neoterici sunt solliciti; potest enim sperni ab episcopo; hinc etsi plurimum conferat pro prudenti regimine Ecclesiae, non attenditur ab eis; imo neque eius necessitas iuridica est ex lege divina, sed tantum ecclesiastica. Ex divina lege erit episcopus obligatus ad illud exquirendum ex prudentia quoties utile iudicaverit, sed non ex necessitate iuridica.

III. error. Ponit saltem gradum parochorum esse iuris divini, ideoque eos pollere auctoritate propria in sua paroecia, et non delegata ab episcopo iure mediante.

Imo 2. plures aiebant auctoritatem episcopi in paroecias esse *extraordinariam*, idest posse intervenire tantum ad corrigendos excessus et defectus supplendos in iis quae sunt officii parochialis. Haec de parochis plures fautores habuerunt saeculo superiori inter Iansenistas, qui sicut depresserant auctoritatem summi Pontificis eam dicendo extraordinariam, ut exaltarent episcopos, postea depresserunt episcopos exaltando parochos.

§ 3.

ERRORES ARISTOCRATIAE SUPERIORIS SEU EPISCOPALIS.

447. Primus et maximus error aristocratiae propriedictae seu episcopalis, est ponere episcopos esse omnes iure divino aequales, ideoque regimen Ecclesiae esse

pure aristocraticum. Hoc est systema schismaticorum orientalium, qui negant primatum iurisdictionis summi Pontificis, ei ad summum concesso primatu honoris, et ut plurimum etiam iuris ecclesiastici.

48. II. error est, admittere primatum summi Pontificis iure divino, sed asserere episcopos limitare eiusdem potestatem sive dogmaticam sive disciplinarem adeo ut episcoporum consensus sive concursus vel praecedens, vel concomitans (in conciliis) vel subsequens sit necessarius, ita ut subiectum potestatis supremae sit mixtum ex elemento aristocratico et monarchico. Summus autem Pontifex, iuxta hanc sententiam, est superior pro singulis episcopis *distributive*, sed non collective, quia in corpus episcoporum potestatem non exercet.

Hoc est systema Gallicanorum, quorum plures et antiquiores nomine consensus Ecclesiae tantum episcopos intelligebant. Si adsit dissensus inter pontificem et episcopos, an res remaneat infecta, vel debeat praevalere episcopatus, disputari posset et inter Gallicanos. Natalis Alexander aiebat (in hist. eccles. saeculo VII. diss. 2. pag. 2): Ecclesiam docentem constitui a Papa et ab ea parte episcoporum qui cum ipso consentit, etsi sit minor, dummodo non minima.

Sed pseudo-Patres Concilii Basileensis, cum degeneravit, putabant Pontificem esse inferiorem simpliciter corpori episcoporum, quod corpus, ut reliquae personae morales, iudicat ex maioritate absoluta suffragiorum.

49. III. error est, episcopos limitare potestatem Pontificis quoad modum eam exercendi, ita ut Pontifex tantum extraordinario possit intervenire in negotiis ecclesiarum particularium, etsi permaneat centrum communionis ecclesiasticae. Est error richerianus, Febronianorum, Iansenistarum et Eybellii.

Hic error haberi potest non modo coniunctus cum

antecedenti, sicut ut plurimum est, sed etiam si admitteretur potestatem Pontificis esse supremam et absolutam pro negotiis Ecclesiae universalis, sed per iniuriam intervenire in negotiis ecclesiarum particularium ordinario. Hinc Pontifex non posset eximere regulares aut alios ab ordinaria potestate episcoporum.

Hi pariter errores refutantur unica veritate, seu ostendendo auctoritatem Pontificis esse supremam, ordinariam et immediatam in omnes et singulos fideles, in omnes et singulas ecclesias, ut definivit Concilium Vaticanum sess. 4.

§ 4.

ERRORES MONARCHIAE EXCLUSIVAE.

50. Etsi suprema potestas sit in summo Pontifice eaque ordinaria et immediata, tamen I. error esset si supponeremus episcopos quoque non habere potestatem ordinariam et propriam, sed tantum delegatam a summo Pontifice, adeo ut essent meri eius vicarii, ut sunt vicarii apostolici in locis missionum.

51. II. error esset si supponeremus potestatem episcoporum ordinariam, sed dependentem ideoque limitabilem a pontifice, ita posse restringi ut fere evanesceret, et multo magis si assereremus gradum episcopalem posse a Pontifice in Ecclesia aboleri, Ecclesiamque universam per meros vicarios (sive charactere episcopos sive presbyteros) gubernari. Etsi enim gradus episcopalis sit dependens, et Pontifex ex rationabili causa ponere possit vicarios non modo in ecclesiis constituendis (seu quae sunt in formatione), sed etiam in constitutis, tamen Ecclesia est ex divina ordinatione regulariter regenda per episcopos, qui praesideant nomine proprio ut veri pastores et principes, repraе-

sentantes non Pontificem eos delegantem, sed gradum episcopalem a Christo Domino institutum. Idem enim Dominus qui summum Pontificem constituit Vicarium suum, episcopos quoque ordinavit. Etsi autem intensitas potestatis ipsorum non sit definita, sed plus vel minus limitabilis pro temporum opportunitate, non ita limitari potest ut illusoria reddatur Christi institutio, adeo ut nomine tenus sint principes et non re. Quoniam autem haec aliquam difficultatem praeseferre possunt, hinc ad ipsorum declarationem, haec adnotamus.

52. Causa primi erroris ex recensitis, est difficultas concipiendi duas potestates proprias, ordinarias et immediatas in eodem territorio et in easdem personas, quae effecit ut quidam negarent potestatem ordinariam episcoporum et quidam Pontificis, ut vidimus in paragrapho praecedenti. Et vere repugnarent si utraque esset independens; sed cum episcoporum potestas sit subordinata, nulla est repugnantia coëxistentiae pastoris supremi et secundarii. Si Ecclesia Christi esset limitata ut synagoga Hebraeorum, unus sufficiens fuisset pontifex seu episcopus et pastor, sed cum complectatur universam terram, plures episcopi vocati sunt in participationem sollicitudinis pastoralis eius cuius est integer grex; cumque haec divisio gregis sub pluribus pastoribus subordinatis sit ex voluntate divini Fundatoris, hinc non sunt vicarii Pontificis maximi, sed repraesentant proprium gradum a Christo institutum et in ecclesiis praesident ut proprii ipsarum pastores. Quae s. Thomas contra gentes lib. 4. cap. 76. ita exhibet: « Quamvis populi distinguantur per diver-
« sas dioeceses et civitates, tamen sicut est una Ec-
« clesia, ita oportet esse unum populum christianum.
« Sicut igitur in uno speciali populo unius Ecclesiae

« requiritur unus episcopus, qui sit totius populi caput, « ita in toto populo christiano requiritur quod unus « sit totius Ecclesiae caput ».

QUAESTIO I.

AN POTESTAS IURISDICTIONIS EPISCOPORUM IN SINGULAS DIOECESES SIT IMMEDIATE A DEO VEL A PONTIFICE.

53. Causa tum primi tum secundi erroris provenire potuit et ex eo quod dicatur iurisdictio episcopi participata immediate a summo Pontifice; credi enim potuit et hanc communicationem importare meram delegationem et libere ab eo fieri, ideoque et ab ea communicanda abstinere posse; quos errores ut vitarent alii dixerunt iurisdictionem in episcopis esse immediate a Deo; et proinde propositam quaestionem, quae est ex celebrioribus, examinandam suscipimus, ostendentes in utraque hypothesi salvam consistere et episcoporum propriam potestatem, et dependentiam a summo Pontifice.

54. Et I. salva consistit dependentia episcoporum a Pontifice, etsi eis daretur iurisdictio immediate a Deo; datur enim 1° exercenda dependenter a summo Pontifice, sicut et potestas Apostolorum, quamvis immediate a Christo, erat in se dependens in suo exercitio a beato Petro, etsi ob charismata subiectiva eius directione non indigerent, quod in singulis episcopis non verificatur.

2° Daretur a Deo *indeterminata*, seu *limitabilis* a Pontifice, ita ut esset iurisdictio pastoris subordinati intra certos limites a supremo pastore designandos.

3° Acquireretur ab episcopis dependenter a Pontifice attento *subiecto;* etenim episcopi non sunt immediate

electi a Domino, sicut fuerunt Apostoli, sed eliguntur legittime a solo Pontifice.

4° Acquireretur ab episcopis dependenter a Pontifice attento *termino*, seu populo regendo; nam et divisio in dioeceses facta est iure ecclesiastico ideoque perseverat voluntate Pontificis, et designatio dioecesis vel melius designatio episcopi pro determinata dioecesi, fit a Pontifice; ideo distinguunt inter iurisdictionem et missionem. Hinc cum in hac hypothesi immediatae originis a Deo, daretur iurisdictio cum ipsa consecratione, dicendum esset si praecederet consecratio, eam conferre iurisdictionem in dioecesim designandam si quando designabitur; hinc esset interim in suspenso seu nequiret exerceri ex defectu termini, sicut potestas sacramentalis poenitentialis in presbytero confertur quidem ipsa ordinatione, sed ex defectu iurisdictionis non habet in quos exerceatur; idem esset de potestate iurisdictionis in episcopo ante designatam dioecesim, cum hac differentia quod potestas sacramentalis sine subditis intelligitur, sed iurisdictio sine subditis non intelligitur; est enim melius dicenda capacitas proxima et exigentia iurisdictionis, quam simpliciter iurisdictio.

Si autem antecederet designatio dioecesis, ut generatim fit, tunc consecratio conferret iurisdictionem pro dioecesi iam determinata. Sed obstat ius canonicum; quia iurisdictio acquiritur per confirmationem electi; aut eius praeconizationem in publico consistorio Pontificis. Hinc dicendum esset in hac sententia, interim conferri iurisdictionem episcopis confirmatis, sed non consecratis, ut delegatis seu vicariis apostolicis, quae transmutaretur in iurisdictionem episcopalem in actu consecrationis. Cuius explicationis novitas ostendit falsitatem hypothesis de immediata collatione iurisdictionis a Deo.

5° Esset dependens a Pontifice quoad *durationem:* etenim Pontifex posset semper episcopum suspendere aut removere sive ordinario ex delicto, sive extraordinario sine delicto, ita exigente publico Ecclesiae bono, ut factum est in Gallia initio huius saeculi. Concederetur enim semper a Deo hac sub conditione. Igitur tunc remaneret episcopi iurisdictio rursus in suspenso expectando designationem novae dioecesis, quae, cum remotio fuisset ex delicto, certum esset numquam verificandam esse.

Item cum quis renuntiat, rursus iurisdictio fieret indeterminata et suspensa esset.

Item cum ordinatio est illegittima ut in schismaticis, certe nulla est iurisdictio etsi ordinatio sit valida, quod et antiquissimis temporibus semper servatum est.

Ergo non tam penderet iurisdictionis acquisitio a consecratione quam a legittima consecratione; sed legittima consecratio est legittima eo modo quo eam intimat Pontifex; Pontifex autem intimat eam vel designata dioecesi, ideoque cum intentione ut actu habeat adnexam iurisdictionem determinatam, si eam non intenderet conferre in confirmatione; vel cum intentione designandi postea, et tunc vere dat actu iurisdictionem cum designat dioecesim; vel cum intentione numquam designandi, cum aliquando velit tantum esse episcopos pro exercitio potestatis ordinis, ut auxiliares, vel iurisdictionis delegatae ut nuntii, vicarii apostolici; ex quibus rursus appareret irrationabilitas huius hypothesis, quae confundit habitudinem characteris episcopalis ad iurisdictionem cum ipsa iurisdictione actuali. Qui enim ornatur charactere episcopali est in eo gradu sacramentali et in categoria earum personarum quae est ordinata ad habendam iurisdictionem et pro ea recipienda, persona est undequaque completa; sed haec

ordinatio et exigentia iurisdictionis est generica, pro ipso gradu episcopali, non pro singulis personis.

55. In alia pariter hypothesi de collatione iurisdictionis episcopis mediante Pontifice, stat semper episcopos non esse meros delegatos, sed gaudere iurisdictione propria, quia ipsorum gradus est a Christo institutus ut sint pastores ordinarii, et a Pontifice fit participatio iurisdictionis ut eos in hoc gradu constituat, ideoque habent iurisdictionem a Deo mediante Papa.

56. Si autem quaeratur quaenam sententia sit praeferenda, dicimus secundam esse nunc communem et certam.

Iam in expositione primae tria inconvenientia, subiunximus, cum eius limitationes indicaremus, idest 1. iurisdictionem sine subditis non intelligi; 2. iurisdictionem conferri non consecratione sed confirmatione, et novam esse ac inacceptabilem, conversionem in potestatem episcopalem, potestatis vicariae quae ex hypothesi danda esset a Papa per confirmationem ante consecrationem; 3. consecratio datur omnibus; sed iurisdictio determinata non datur ante designationem dioecesis, quae quibusdam (episcopis titularibus) numquam datur; hinc rursus esset iurisdictio sine subditis; item 4. consecratio non aufertur; sed aufertur iurisdictio, quae rursus remaneret indeterminata; 5. consecratio habetur et apud schismaticos, sed nulla iurisdictio neque indeterminata.

57. Non afferimus autem argumenta positiva ex sacra traditione a theologis desumpta, sed adiungimus et insistimus in sequenti argumento iuridico. Certum est requiri actum pontificium ut quis acquirat iurisdictionem episcopalem in Ecclesia, quia 1. episcopi unice assumuntur legittime a summo Pontifice et ab eo consecrantur vel ex eius commissione; 2. actus ponti-

ficius est qui determinat dioecesim regendam a singulis eique singulos adscribit; hinc ante designationem Pontificis, etsi quis sit consecratus, determinatam iurisdictionem non habet; 3. certum est iurisdictionem episcopalem exercendam esse dependenter a Pontifice; 4. iurisdictionem determinatam amissibilem esse sive ex delicto sive non, et etiam indeterminatam amitti ex delicto haeresis vel schismatis aut ex excommunicatione.

Aliunde explicandum est quomodo iurisdictio episcoporum sit ipsorum propria iure divino et ordinario. Igitur facta utriusque categoriae sunt explicanda. Iamvero ea explicatio est admittenda ex criteriis generalibus logicis, quae est vere subsistens, sufficiens et simplicior; non sunt enim multiplicanda entia sine necessitate. Sed huiusmodi est sententia de mediata derivatione iurisdictionis in episcopos a Deo.

Etenim factum pontificium 1. est *verum*, quia vere ponitur; 2. est sufficiens explicandae potestati episcoporum ordinariae et propriae; nam Pontifex iam pollet iurisdictione ordinaria in universam Ecclesiam; haec iurisdictio est de se communicabilis, non tantum per modum delegationis ut vicario nomine exerceatur, sed posita institutione gradus et officii episcopalis iure divino, communicatio fieri potest ut in subiecto recipiatur et permaneat ut respondeat huic gradui divinae institutionis. Ergo hypothesis est sufficiens. Sed est 3. etiam simplicior; nam vel ponitur unicus actus, vel divinus vel pontificius, vel uterque; sed divinus est insufficiens; requiritur enim ex dictis actus pontificius; ergo uterque admittendus esset, idest pontificius consecrans et adsignans dioecesim, et divinus conferens iurisdictionem vel determinatam in designatione dioecesis, vel saltem indeterminatam in consecratione quae

determinaretur facto pontificio designationis dioecesis; ergo semper hic actus designandi dioecesim est necessarius ex parte Pontificis. Sed ipse sufficit et sine facto divino, ad explicandam iurisdictionem ordinariam et propriam episcoporum; ergo alter admittendus non est.

58. Cum insuper plura sint inconvenientia supracitata si admitteretur, multo magis excludendus est.

Hinc dicendum consecrationem ponere personam in eo gradu episcopali, qui est perfecte idoneus ad recipiendam iurisdictionem propriam pastoralem, et cui in genere conferenda est pro regimine Ecclesiae. Hinc in episcopo consecrato est idoneitas et generica exigentia, quae est et in schismaticis attenta consecratione, sed habet obicem in schismate, quo remoto nihil obstat.

QUAESTIO II.

AN CONSECRATIONE EPISCOPUS ACQUIRAT IURISDICTIONEM COLLEGIALEM.

59. Quaeri deinde potest an episcopus vi consecrationis saltem acquirat iurisdictionem in universalem Ecclesiam, seu iurisdictionem collegialem.

Et animadvertimus I. episcopis actu, extra concilium nullam esse iurisdictionem; hinc nequeunt ex officio sese immiscere regimini universalis Ecclesiae. Id possunt tantum in concilio. Sed ad habendum concilium rursus requiritur actus Pontificis illud convocantis; et Pontifex est qui auctoritative praeest (per se vel per legatos) et acta confirmat.

Aliunde certum est episcopos in concilio esse veros iudices ac legislatores, etiam episcopos titulares (saltem si advocentur); hinc exercent in concilio iurisdictionem episcopalem in universalem Ecclesiam coniunctim et dependenter a Pontifice.

60. Ad explicandum hoc exercitium iurisdictionis, dici potest vel communicari a Pontifice, ut respondeat divinae institutioni collegii episcopalis, vel habitam esse per consecrationem, sed indigere conditione convocationis et celebrationis concilii ut exerceatur, ita ut suspenso vel clauso concilio, suspendatur rursus vel deficiat conditio. Iamvero analoga demonstratione ac superius, apparet praeferenda prima sententia, quia actus pontificius est necessarius et sufficiens; hinc inutiliter supponitur a Deo collata actu iurisdictio in Ecclesiam universalem, quae nequit exerceri. Nota etiam obicem haberi posse ut supra ex haeresi, schismate aut excommunicatione. Hinc dicendum consecrationem legittimam conferre iurisdictionem in universalem Ecclesiam habitu, seu collocare in eo gradu, qui constituit coniudices summi Pontificis ex iure divino, et non meros consultores, quando ipse summus Pontifex confert participationem sollicitudinis universalis.

61. Huic sententiae innititur opinio illorum qui docent episcopos non residentiales non esse ex necessitate vocandos ad concilium generale, quia hoc constituitur a pastoribus Ecclesiae et tales sunt tantummodo episcopi residentiales.

Tamen hoc non est necessarium, cum dici posset concilium generale esse omnium episcoporum qui legittime sunt in Ecclesia consecrati, ad participandam sollicitudinem sive in regendo, sive in aliis officiis, saltem coadiuvando per exercitium potestatis ordinis. Sed prima sententia videtur melior.

62. Hic pro meliori intelligentia, notanda est differentia inter potestatem sacramentalem absolvendi a peccatis, et potestatem iurisdictionis. Illa indiget iurisdictione quae participatur a superiore per legittimam missionem seu deputationem. Sed sola iurisdictio non

valet communicare potestatem absolvendi quia est sacramentalis specialis; hinc non sufficit quis sit homo ut pro baptismate; neque sit baptizatus, quod sufficit ut quis contrahat et sit minister sacramenti matrimonii, sed requiritur ordo presbyteralis, qui est necessarius sed insufficiens ex defectu iurisdictionis; sed iurisdictio quae actu habeatur et non modo illicite sed invalide exerceatur intelligi nequit. Est enim iurisdictio ius gubernativum personarum, seu ius imperandi seu obligandi; iamvero imperium invalidum est imperium datum sine iure obligandi, quod est contradictorium. Sed huiusmodi esset iurisdictio episcopalis universalis absque conciliari convocatione Papae, et iurisdictio particularis absque designatione dioecesis regendae.

Ergo non est dicendum episcopis competere iurisdictionem, sed eos esse in eo gradu qui completum constituit subiectum ut recipiat iurisdictionem eamque exerceat convenienter, et per personas huius gradus, Ecclesiam normaliter regi, ideoque gradui generice, esse debitam.

QUAESTIO III.

AN SUMMO PONTIFICI SIT IUS DESIGNANDI SUUM SUCCESSOREM.

63. Quoniam agimus de excessu monarchiae, quaeri incidentaliter posset an plenitudo potestatis summi Pontificis eo usque extendatur ut valeat suum designare successorem. Videamus 1. quid iuris positivi; 2. quid iuris ex principiis generalibus. Quoad I. can. I. caus. 8. q. I. ait s. Petrum designasse s. Clementem ut suum successorem. Sed hic canon non est ex genuinis, verum ex officina isidoriana.

Deinde in beato Petro fuit extraordinaria potestas, et sicut ipse potuisset alibi statuere sedem suam ac statutam mutare, ut fecit deserendo Antiochiam, ita et successorem designare, saltem ex divina revelatione, sicut ex eadem supponimus Romam petivisse; sed successores haereditant potestatem ordinariam, non extraordinariam. Ergo exemplum s. Petri esset insufficiens.

64. Sanctus autem Hilarus pontifex in concilio romano 48 episcoporum an. 461 (apud Labbaeum tom. IV. Conc. col. 1060) constituit nullum Pontificem posse sibi designare successorem. Si intendisset condere legem ecclesiasticam et non declarare legem divinam, frustra egisset, quia eius lex ab alio Pontifice solvi poterat; igitur non fuisset lex seu norma obligans, sed tantum consilium, seu norma directiva, reprehendens actum ut minus convenientem; sed tunc non absolute id improbare debuisset, sed ut regulam generalem; si enim Pontifex potestate designandi successorem polleret, aliquando in maximis rerum adiunctis posset utiliter eam exercere.

Ex qua etiam reprobatione absoluta s. Hilari, non fit multum verisimile, s. Petrum designasse s. Clementem; nam Pontifex debuisset aliquo modo ad id respicere, ne videretur reprehendere et s. Petrum, cuius factum oportebat esse notissimum romanis. Deinde Bonifacius II. ad eludendum legum gothorum arbitrium qui sese immiscebant electionibus, habito concilio romano an. 531, declaravit suum successorem Vigilium diaconum et exegit a clero iuramentum illum suscipiendi. Sed postea in alio concilio rem retractavit ut contrariam antiquis moribus.

Tandem ex actis consistorialibus Pii IV. an. 1561, Raynaldus refert:

" Sanctitas sua declaravit atque decrevit quod ro-

« manus Pontifex non possit sibi eligere successorem, « nec adsumere coadiutorem cum futura successione, « etiam de consensu omnium et singulorum cardina- « lium, sed electio spectet ad cardinales libere, cum « decreto irritante ».

Hinc tantum potest normas constituere pro recta electione.

65. II. Ratio autem iuridica haec est, 1° quia suprema potestas in Ecclesia non est haereditaria. Sed si posset Pontifex sibi designare successorem, evadere posset haereditaria.

2° Pontifex habet supremam auctoritatem pro regenda Ecclesia donec ipse est Pontifex; sed electio successoris non spectat ad regimen Ecclesiae sed providet de *rectore* pro eo tempore quo ipse non amplius Pontifex erit, pro quo tempore sollicitudo Ecclesiae non amplius ad eum pertinet, sed ad eos qui vivent, seu devolvitur ad inferiorem gradum; mors enim omnia solvit.

§ 5.

ERRORES MIXTI.

66. Sicut habentur errores circa constitutionem Ecclesiae, derivantes ex formis simplicibus, ita eos miscendo habentur alii errores, prout vel imminuatur debita potestas sive episcoporum sive Pontificis, sive detur potestas populo aut presbyteris, sive exaggeretur potestas episcoporum vel Pontificis. Hinc ex diversis combinationibus, innumera systemata oriri possunt.

Cum autem nec possibile sit, neque intersit ea omnia prosequi, et confutatis erroribus ortis ex formis simplicibus, sint confutati et errores possibiles ex formarum mixtura, hinc potius transeundum ad historicam expositionem.

ARTICULUS II.

Expositio historica praecipuorum errorum circa Ecclesiae constitutionem.

67. Cum hi errores circa subiectum potestatis Ecclesiae, coniungantur cum erroribus dependentiae Ecclesiae e statu, et aliquando et circa alias proprietates Ecclesiae, hinc eos ex integro exponimus.

Iam innuimus systema Marsilii patavini, qui specietenus potestatem concedit populo sed reapse principi.

Item diximus de protestantibus, qui partim renovantes, partim perficientes errores Hussitarum et Wicleffitarum, negant Ecclesiam esse iure divino societatem visibilem; hinc eam (saltem plures) ponunt voluntariam, et aequalem, ac imperfectam ac tandem pro exteriori politia, mancipant saeculari potestati. Sed tria alia supersunt praecipua, idest Richerii, Febronii et gallicanismus.

§ 1.

RICHERIANISMUS.

68. Edmundus Richerius sub finem saeculi XVI. et initio XVII. vixit. Fuit syndicus facultatis sorbonicae, sed deiectus ob suum systema, quod ita se habet.

1° Ait potestatem summam datam esse immediatius et essentialius populo, idest principaliter, sed ministerialiter Pontifici qui beato Petro, episcopis qui Apostolis, et presbyteris qui discipulis, succedunt, gradu diverso.

Potestas principalis seu quae a principe habetur, ea est quae alicui directe competit et in proprium; mini-

sterialis est quae principis nomine exercetur, ideoque et sub eius vigilantia; hinc usus potest ab eo infirmari, aut confirmari; hinc

2° Leges omnes dogmaticae et disciplinares tunc acquirunt vim obligandi cum populi consensus accedit, et a populo reprobatae nullius sunt valoris; hinc leges ab universo populo christiano acceptandae sunt, particulares a fidelibus respectivis.

3° Auctoritas ministerialis in hierarchiam, immediate a Christo derivat; id tum in summo Pontifice, tum in episcopis, tum in presbyteris, inter quos specialis auctoritas competit parochis.

4° Cum autem inter hos ministros Ecclesiae sit gradatio diversa, en quid ex Richerio unicuique competat.

I. Romanus Pontifex est caput ministeriale totius Ecclesiae, positus ad conservandam unitatem, et ad canonum executionem.

II. Eius ministerialis potestas est limitata a potestate ministeriali episcoporum in Ecclesia regenda; hinc

III. habet auctoritatem in singulas Ecclesias dispersas, sed

IV. non habet auctoritatem in corpus episcoporum; et quoniam Concilium nequit esse permanens, summus Pontifex est

V. executor canonum et proinde est minister et respectu ipsius Concilii; hinc non modo urget canonum observantiam, sed etiam

VI. interpretatur legem divinam, et canonicam et

VII. in lege canonica dispensat, loco Concilii non adunati, in iis casibus in quibus dispensaret ipsum Concilium, idest pro bono publico, non autem pro privato.

VIII. In casibus autem urgentibus, cum nequit Concilium adunari, initiativam iure sumit tum in re dog-

matica, tum in disciplinari; sed eius decretum non est firmum nisi accedente Ecclesiae consensu; hinc

IX. non est infallibilis.

5° Quoad episcopos, eadem docet, servata proportione; nam exercent potestatem sed ministerialem; hinc, ut diximus num. 2° , sive leges editae in conciliis sive extra, indigent populi acceptatione, quae hierarchice manifestatur relate ad episcopos per presbyteros *curatos,* qui sunt organa iudicii popularis.

Ex eo quod presbyterorum et praesertim parochorum potestas est immediate a Christo et ordinaria, facile erat deducere, ut fecerunt Iansenistae, auctoritatem episcopi in negotiis parochialibus esse extraordinariam.

6° Comparando Ecclesiam cum societate civili, ipsa neque territorium habet, neque vim coactivam temporalem; sed princeps habet utrumque et vindex est legis divinae et canonicae; et appellationes suscipit ab abusu.

Richerius damnatus est in synodo provinciali parisiensi anno 1612; a synodo provinciali aquensi eodem anno 1612; a S. C. Indicis 10 Maii 1613 sub Paulo V; 2 Dec. 1622 sub Gregorio XV; 4 Mart. 1709 sub Clemente XI; et ab Innocentio XI edito Brevi an. 1681.

Ipse Richerius bis se retractavit et tertio videtur sincere, anno 1630, anno antequam moreretur.

Eius sectatores celebriores, Du-Pin et Launoius.

§ 2.

SYSTEMA FEBRONIANUM.

69. Anno 1763 prodiit liber *De statu Ecclesiae et legittima potestate romani Pontificis*, auctore Iustino Febronio IC., sub quo pseudonimo latebat Nicolaus de Hontheim episcopus miriofitanus, auxiliaris trevi-

rensis. Eius scopus praecipuus est impugnare s. Sedis primatum. Dividi potest in tres partes, doctrinalem, historicam, practicam.

70. I. *Pars doctrinalis.*

1° Negat Ecclesiae statum, esse monarchicum, sed asserit claves fidelibus esse traditas; ita ut potestas sit principaliter et radicaliter in ipsis, usualiter et usufructualiter in praelatis.

2° Aliquem primatum necessarium esse ratione unitatis servandae; sed iure ecclesiastico, non divino, adnexum esse Sedi romanae, ideoque transferri posse.

3° Natura primatus est unitatis servandae causa; hinc merito dici posse *primatum consociationis.*

4° Sed eius iura actualia, alia esse essentialia, idest necessaria servandae unitati, alia adventitia quae removeri possunt et ut plurimum debent, cum sint invasiones romanae Sedis in detrimentum aliarum.

5° Legittimus modus curandi unitatem Ecclesiae est invigilando et monendo, seu consilio, non cogendo; hinc primatus dici potest non modo consociationis, sed etiam vigilantiae et directionis; hinc neque Pontificis excommunicatio valet ut actus iurisdictionis, et robur non habet nisi ab Ecclesiis particularibus sustineatur; sed si quis sentiat sibi immerito inflictam, toleret ut aliam quamcumque iniuriam.

6° Primatus autem est in singulas Ecclesias distributive, non collective; hinc Papa subiicitur iudicio Concilii generalis; quod non indiget convocatione romani Pontificis, neque ab eo, invitis episcopis, potest suspendi aut dissolvi, neque indiget eius confirmatione; hinc Papa nequit decreta Concilii abrogare aut immutare, et a Papa legittime appellatur ad Concilium.

7° Infallibilitas non modo non competit Papae sed neque Concilio; verum Ecclesiae.

8° Et Ecclesiae consensus necessarius est et pro valore legum conciliarium disciplinae.

9° Episcopi habent a Domino, immediate tum potestatem ordinis, tum iurisdictionis.

10° Potestas episcopi in sua dioecesi est plena; hinc numquam indiget recursu ad Papam, et Papa nihil sibi reservare potest, neque peccatorum absolutiones, aut dispensationes, aut beneficia, aut annatas, aut eximere ordines regulares a potestate episcopi et nihil potest in dioecesibus absque consensu episcopi.

11° Principes autem saeculares sunt custodes et vindices canonum etiam adversus Papam, et possunt sua auctoritate etiam Concilium generale indicere; ad ipsos quoque spectat tota externa disciplina Ecclesiae, iuxta quod docuit et Puffendorfius et alii doctores protestantes.

71. Ex quibus apparet primatum Papae vix esse primatum honoris, adeo ut quidam episcopi saeculo superiori, habita nominatione a principe, loco petendi confirmationem a summo Pontifice, contenti fuerint, transmittendi ad eumdem notitiam suae nominationis, tamquam ad centrum Ecclesiae et in signum unitatis communionis.

Quamvis in hoc systemate lateat principium democraticum, ex necessitate consensus fidelium pro valore legum dogmaticarum et disciplinarium, tamen magis sollicitus est de ministeriali aristocratica potestate episcoporum augenda, in praeiudicium ministerialis potestatis summi Pontificis.

72. II. *Pars historica.*

Explicat quomodo excreverint iura romanae Sedis; factum est ex duplici causarum genere, fortuito et inculpabili, ac doloso.

I. *Causae fortuitae aut inculpabiles.*

1° Splendor titulorum collatorum ab antiquis patribus, Sedi romanae.

2° Origo apostolica, et dignitas patriarchalis occidentis, cuius respectu dicitur mater et magistra, sed tantum Ecclesiarum occidentalium.

3° Consuetudo episcoporum referendi ad romanum Pontificem negotia graviora, et eius arbitratum invocandi, ob morem consulendi antiquiores et illustriores sedes, et etiam ob praeclaram scientiam et sanctitatem plurium summorum Pontificum.

II. *Causae dolosae.*

1° Spiritus invasionis romanae Sedis; 2° Decretales Isidori Mercatoris.

73. III. *Pars practica.*

Proponit septem remedia:

1m Est instructio populi.

2m Concilium generale liberum.

3m Conspiratio episcoporum fovenda per concilia nationalia.

4m Vis et auctoritas principum.

5m Placitum episcopale et regium pro actis pontificiis.

6m Appellatio ab abusu.

7m Aperta resistentia, quae est licita.

74. Febronius asseruit scopum suum esse, faciliorem reddere protestantium et catholicorum concordiam. Et vere protestantes eum laudavere, ut scriptores lipsienses in novis actis eruditorum an. 1764, de primatu pontificio ablato, sed asseruerunt plura alia esse a catholicis auferenda si veram concordiam cum protestantibus velint.

Damnatus est in Germania, ab archiepiscopis et episcopis Coloniensi, Maguntino, Trevirensi, Pragensi, Bambergensi, Constantiensi, Augustano, Frisingensi. Etiam Comitia cleri gallicani edixerunt hoc opus ex

parte opponi et principiis Ecclesiae gallicanae de auctoritate et reverentia iure divino debita sanctae Sedi.

Praeclare scripsit contra eum Antonius Franciscus Zaccaria, in suo opere *Antifebronius* et in alio *Antifebronius vindicatus*. Inter libros Guillelmi Audisio vidi et *Antifebronium abbreviatum* quem ceteris praeferebat. Refutaverunt etiam Ballerini Petrus, Viator de Coccaleo, Mamachius et s. Alphonsus de Ligorio.

Ex haereticis ephemerides Lottingensis, Carolus Fridericus Bahrdstius lipsiensis.

Damnatus est et a S. C. Indicis die 27 Feb. 1704, 3 Feb. 1766, 24 Mai. 1771, 3 Mart. 1773.

Item a Clemente XIII. tribus Brevibus die 14 Martii 1764 ad archiepiscopos moguntinum, trevirensem et herbipolensem.

75. Febronius reprobavit suum opus datis litteris ad summum pontificem Pium VI. plura retractando, et de ceteris promittendo ad beneplacitum Sedis apostolicae, ut videre est in allocutione eiusdem Pii VI. die 25 Dec. 1778. Sed an. 1781 edidit Commentarium in suam retractationem constans *positionibus* seu propositionibus 38, in quo plura reprehendit merito card. Gerdil in animadversionibus in idem Commentarium. Obiit catholice ut videtur, 2 Septemb. 1790. Regnante Maria Theresia, minister Kaunitz, decreto 9 Aug. 1799 directo comiti Firmian Gubernatori Ducatus Mediolanensi, proscripsit epistolam retractationis editam a Febronio (1). Eius opus fuit officina eibellianorum, ceterorumque hostium sanctae Sedis.

Practice autem hos secuti sunt Iosephus II. imperator, Leopoldus primo magnus dux Etruriae, deinde

(1) Scuola Cattolica, fasc. Decemb. 1884.

imperator; et Neapoli maxime minister Tanucci, qui praesertim in minoritate regis Ferdinandi I. fuit omnipotens.

§ 3.

GALLICANISMUS.

76. Qui honoratam originem huic systemati tribuunt, a Concilio Turonico I. repetunt vel saltem a sancto Ludovico IX; sed immerito; sanctus enim Ludovicus loquitur de exemptionibus Ecclesiae gallicanae a laicorum oppressionibus, et non ab auctoritate Pontificis.

Cum enim Raimundus comes Tolosae ad unitatem Ecclesiae rediret, et Ecclesia in Provincia opera haereticorum plurimum afflicta et oppressa fuisset, rex s. Ludovicus IX. in suo edicto statuit quod posthac gaudebit *libertatibus gallicanis*. Est prima vices quâ apparet hoc nomen (1).

Remota origo repetenda est a schismate occidentali, quo durante reges sese immiscere coeperunt rebus ecclesiasticis. Tunc ortum habuit *pragmatica sanctio*. Nam an. 1438, durante conciliabulo Basileensi et Concilio legittimo Ferrariae, Carolus VII. rex Galliarum apud Bituriges habuit assembleam episcoporum, Baronum et Doctorum, ut conciliabulum reconciliaret cum Eugenio IV. et edidit decretum 23 articulos complectens, quod nomen pragmaticae sanctionis obtinuit. Articulus I. proclamat superioritatem Concilii. Sed Pragmatica sanctio abolita est a Ludovico XI. die 27 Nov. 1461. Serius idem rex renovavit quosdam articulos, et definitive abolita est tantum per concordatum inter Leonem X. et Franciscum I. (2).

---

(1) V. Rohrbacher, Hist. Eccles. lib. 73.

(2) V. Rohrbacher, Hist. Eccles. lib. 82. et 83.

Mos regum indebite sese immiscendi negotiis ecclesiasticis postea excrevit sensim sine sensu donec Ludovicus XIV., occasione quarumdam controversiarum quas cum summo Pontifice, praepotens rex habebat, adunavit 34 episcopos (ex 164 quos Gallia habebat), qui quatuor sequentes propositiones ediderunt quae constituunt celebrem sic dictam declarationem cleri gallicani.

1ª prop.: « Papae iurisdictio complectitur tantum-« modo res spirituales, non autem res temporales, « neque directe neque indirecte ». Est desumpta ad verbum ex calviniano Pithou.

2ª prop. seu 2. articulus: « Concilia oecumenica sunt « supra Papam etiam excluso tempore schismatis ».

3ª prop.: « Papa in exercitio suae auctoritatis subia-« cet iuri communi » (seu coarctatur tum a canonibus universalibus, tum per consuetudines et instituta a regno et Ecclesia gallicana admissa).

4ª prop. « Papa in quaestionibus ad fidem spectan-« tibus habet quidem partes primas, sed eius decisiones « non sunt irreformabiles, nisi post habitam Ecclesiae « universalis consensionem et acceptationem ».

Et rex edicto suo 2 Martii 1682, lege haec intimavit ut doctrinam nationalem. Cumque Dom Carles, canonicus regularis et vicarius generalis Apamiarum (Pamiers in Aquitania), iura Ecclesiae defendisset, fuit a metropolitano Tolosate destitutus et a tribunali laico morti furcae damnatus.

77. Gallicani autem ex supradicta doctrina deducebant tria regni instituta:

1º Appellationem ab abusu.

2º Placitum regium non modo pro actis pontificiis sed etiam episcopalibus.

3º Regium Ecclesiae patronatum et custodiam canonum.

Et proinde Fenelonius archiepiscopus cameracensis vocabat gallicanas libertates, insignes servitutes Ecclesiae erga regem, et licentiam adversus Pontificem.

Quaedam Concilia provincialia et nationalia, praesertim in Hispania et Ungaria has libertates damnaverunt.

78. Quidam autem imo meliores gallicani, cum intelligerent omnes nationes et regna pari iure posse sibi vindicare easdem libertates nationales, et sic scindi unitatem Ecclesiae, aiebant ex concessione ipsius Papae, seu tolerantia saltem tacita, eius Bullas disciplinares in Gallia non habere vim nisi obtento consensu regis et episcoporum; hinc fatebantur si Pontifex aperte contradiceret, non posse ei resisti. De Marca, Concord. Sacerd. et Imperii lib. 1. cap. 1. n. 296. quoad ius regis ait: « Tuitio (regia), canonum sententiam egredi non « debet: alioquin irritum est et inane quodcumque prin- « cipis edictum in rebus ecclesiasticis latum ».

Idem De Marca in Schedula 6. in Proleg. edit. parisiensis 1663, (postremae) quae exhibet chartam ab eo Romam missam, ait: « Quidquid vero praeter ca- « nonum et decretalium mentem in Gallia circa res ec- « clesiasticas agitur, id fieri ex privilegiis apostolicis, « non autem iure mere regio, ut quidam autumabant ».

Cursus completus Theologiae, de controversiis inter catholicos agit tom. 5. col. 1172 et habet:

« Agnoscunt omnes (gallicani) 1. Romanum Ponti- « ficem posse recedere ab ordine consueto si exigat « Ecclesiae necessitas;

« 2. virtute eiusdem auctoritatis posse etiam urgente « gravi necessitate, libertates seu privilegia aut con- « suetudines Ecclesiarum mutare, tollere partim vel « ex integro abolere;

3. tandem privilegia quae eximerent a iure com-

« muni, inducta vel inducenda, fundari *tacito* consensu « Ecclesiae romanae ».

79. Coriphaei gallicanismi fuerunt saec. XIV et XV, Ioannes Gersonius, Petrus De Halliaco, Ioannes Maior et Iacobus Almainus. Tamen hi veteres admittebant: 1. Regem deponi posse a natione; 2. sed non a Papa; qui tamen potest declarare eum esse regno indignum: (sed Almainus id asserit pro causa temporali; nam ob haeresim docet a Papa deponi); 3. Concilium esse superius Papae; hinc vetus gallicanismus differt ab eo saeculi XVII (1).

80. Innocentius XI. per Breves litteras die 11 Aprilis 1682 supradictas libertates improbavit et acta in conventu cleri, et confirmationem canonicam negavit electis in episcopos qui eas iurassent. Alexander VIII. Constitut. *Inter multiplices*, 1 Aug. 1690 eadem acta declaravit inania et irrita; et Innocentius XII. obtinuit non modo a praelatis sed etiam a rege revocationem eorumdem, an. 1693. Rursus eas damnavit Pius VI. in Constit. *Auctorem fidei*, 28. Aug. 1794.

81. Sicut Gallia suis libertatibus, ita Anglia suis consuetudinibus Ecclesiam oppressit. Henricus enim II. rex sub nomine *consuetudinum regni* et *dignitatum coronae*, plura sibi usurpabat. Alexander III. papa, omissis minoribus articulis, novem damnavit, quos sanctus Thomas Cantuariensis, *pravitates*, appellabat, *quibus perturbatur et confunditur ad praesens anglicana Ecclesia* (2). Articuli autem praedicti sunt:

I. Lites super praesentationibus Ecclesiae definiantur a Curia regis.

II. Clerici quoque accusentur apud Curiam regiam.

(1) Vide Audisio, Diritto publico delle genti cristiane vol. 2.
(2) Epist. 96. lib. I.

III. Episcopi e regno ne egrediantur, absque regio assensu.

IV. Nullus aulicorum aut ministrorum regis valeat excommunicari absque regis consensu.

V. Appelletur ab archidiacono ad episcopum; ab episcopo ad archiepiscopum; ab archiepiscopo ad regem, et non appelletur extra regnum absque regis consensu.

VI. Cum quaestio est inter clericum et laicum, definiatur a iudicibus laicis.

VII. Citatus ad tribunal ecclesiasticum, si contumax, posset interdici, sed non excommunicari sine consensu regis, si de eius esset dominio.

VIII. Asseruntur iura regaliae.

IX. Contractus etiam iurati iudicentur a Curia regis.

Ex his apparet semina schismatis in Anglia satis antiqua fuisse (1).

§ 4.

ERRANTES SECTATOERS PRAECEDENTIUM.

A. Iansenistae.

82. Orti a Cornelio Iansenio episcopo iprensi, qui defunctus est anno 1683, systema proprium circa Ecclesiam non condiderunt, sed pro temporum opportunitate Ecclesiam divexaverunt adhaerendo modo uni modo alteri errori, praesertim richeriano. Toti in eo erant ne eiicerentur ab Ecclesia et ne constituerent sectam separatam ut lutherani, quia tunc minus nocere potuissent fidelibus.

In Italia iansenismus propugnatorem praesertim habuit Scipionem De Ricci episcopum pistoriensem, qui

(1) V. Fr. Ant. Zaccaria, Rendete a Cesare ciò che è di Cesare etc. n. VIII. *Defensio ecclesiasticae libertatis.*

anno 1786 famosam synodum dioecesanam celebravit, ad quam tamen vocavit et presbyteros extra-dioecesanos, ut ipsorum voto elideret vota contraria multorum de suo clero; inter alios notandus Petrus Tamburinius, antecessor ticinensis celebris iansenista, qui dictae synodi anima fuit, et mortuus est oneratus annis et censuris. Contra synodum pistoriensem, summus pontifex Pius VI. edidit constitutionem dogmaticam *Auctorem fidei*, in qua propositiones 85 diversis notantur censuris. Acceptata fuit ab omnibus episcopis, excepto Benedicto Solari episcopo Nauli in Liguria, adversus quem pariter erudite scripsit card. Gerdil, ut videre est in eius operibus.

B. Van-Espen.

83. Bernardus Sigerus Van-Espen natus Lovanii anno 1645, addictissimus fuit gallicanismo et iansenismo; suam eruditionem exscripsit ex insigni Tomassinii opere *De Nova et Veteri Ecclesiae disciplina*. Mortuus est impoenitens anno 1728.

C. Eybel.

84. Speciatim quoque mentionem meretur Eybel antecessor vindobonensis in Austria, ob suam in s. Sedem hostilitatem. Cum enim summus pontifex Pius VI. peregrinationem suscepisset ad urbem Viennensem ut schisma vitaret, quod si non formaliter, de facto tamen praevalebat opera imperatoris Iosephi II., Eybel ut minueretur pontificiae maiestatis in populis reverentia, edidit opusculum anonymum sed cum licentia revisorum imperialium, lingua vulgari, cui titulus: *Quid est Papa?*

Damnatus est ab eodem Pio VI. Brevi *Super soliditate*, in quod pariter laudabile commentarium edidit card. Sigismundus Gerdil. Imperator autem prohibuit in suis dominiis Breve pontificium (1).

CAPUT III.

FALSORUM SYSTEMATUM REFUTATIO.

85. Ut diximus, non est necesse nec expediens singulos errores persequi, sed quibusdam constitutis fundamentalibus veritatibus, sponte sua ruent.

Iamvero excludemus 1° errores democraticos, ostendendo Ecclesiam esse societatem perfecte inaequalem, et nullum populo ius esse proprium participandi Ecclesiae regimini;

2° excludemus errores presbyterianismi, ostendendo presbyteris nullam potestatem propriam iurisdictionis competere;

3° excludemus aristocratiam episcopalem, demonstrando primatum collatum beato Petro;

4° demonstrabimus Ecclesiae formam esse monarchicam, ex plenitudine potestatis summi Pontificis.

Iam ostendimus supra esse in Ecclesia elementum aristocraticum subordinatum, et episcopos esse veros pastores, ideoque de hoc non amplius loquemur.

Haec autem omnia ostendemus non theologice, sed more nostro iuridico, ut pluries declaravimus.

(1) V. Audisio, Storia dei Papi. Vita di Pio VI.

ARTICULUS I.

Excluditur democraticum elementum.

PROP. — *Auctoritas ecclesiastici regiminis a Christo Domino collata est immediate beato Petro et Apostolis eorumque successoribus, nullo autem modo populo.*

86. Prob. I. ex ss. Litteris immediate esse collatam beato Petro et Apostolis. Ne infiniti simus, eligimus ex sacra Scriptura aliquos textus iuxta sensum quem habent in catholica Ecclesia.

I. Io. xx. 21. « Sicut misit me Pater, et ego mitto « vos » et

II. Matt. xxviii. 18. « Data est mihi omnis potestas « in coelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gen- « tes, baptizantes eos... docentes eos servare omnia « quaecumque mandavi vobis ».

Ex I. textu mittuntur Apostoli a Christo sicut ipse missus fuerat a Patre; sed ipse missus est cum plenitudine potestatis, absque ulla dependentia a populo. Ergo et Apostoli.

Ex 2. textu, Apostoli mittuntur pariter ex plenitudine potestatis Christi, ad populum ipsi generandum et generatum regendum « docentes eos servare omnia ». Ergo nullus populus mediat inter Christum et Apostolos; imo hi erant plenitudine potestatis donati antecedenter existentiae populi.

III. Matt. xvi. Petrus constituitur fundamentum Ecclesiae. Sed si auctoritatem reciperet dependenter a populo exercendam, non Ecclesia inniteretur Petro, sed Petrus Ecclesiae.

IV. Ibidem promittuntur Petro claves regni coelorum et dicitur Dominus soluturus aut ligaturus in coelis quod ipse Petrus solvisset aut ligasset in terris; eadem

Matt. XVIII. promittuntur Apostolis. Sed si Petrus et Apostoli penderent a populo in exercitio suae auctoritatis, non statim Deus ratam haberet in coelis ipsorum sententiam, sed expectaret populi confirmationem aut irritationem.

V. Luc. XXII. Petrus iubetur confirmare fratres; sed in contraria sententia, fratres confirmarent Petrum. Item

VI. Io. XXI. Petrus iubetur pascere agnos et oves; sed potius agni pascerent Petrum.

VII. Item s. Paulus in epist. ad Galatas ait: « Paulus apostolus non ab hominibns, neque per hominem, « sed per Iesum Christum et Deum Patrem ».

Ergo Apostoli receperunt plenitudinem potestatis immediate a Christo et exercendam independenter a populo.

Iamvero cum Ecclesia sit perpetua, hinc et fundamentum, ne praevaleant portae inferi; et proinde Dominus promisit Matt. ultimo, se futurum cum Apostolis usque ad finem mundi.

Ergo auctoritas quae erat in ipsis transit in successores, ut et supra declaravimus distinguentes auctoritatem et charismata extraordinaria ab ordinariis. Hinc ipsi miserunt suos successores cum eadem plenitudine et independentia potestatis a populo.

87. Circa constitutionem episcoporum notandum est Apostolos eos ex sese nominasse, non autem populum. Hinc legimus in Actis Apostolorum, XIV. 22. ut vidimus supra, Paulum et Barnabam constituisse per singulas civitates presbyteros seu episcopos; et in epist. ad Titum I. 5. eamdem auctoritatem contulisse Tito ut Cretae constitueret per singulas civitates presbyteros.

88. II. Prob. ex traditione et ex innumeris definitionibus Ecclesiae, quarum quaedam afferentur in pro-

cessu. Sufficiat cap. III. de Constit. quod est Innoc. III.: « Laicis quantumvis religiosis in Ecclesia nulla est « attributa potestas, quos obsequendi manet necessitas, « non auctoritas imperandi ».

Item in sacris canonibus saepe repetitur regula: « Populus est docendus, non sequendus ».

Et Ioan. XXII. damnavit ut haereticam doctrinam Marsilii patavini in Constit. *Licet;* item Pius VI. Const. *Auctorem fidei*, doctrinam pistoriensem.

89. Obiiciunt I. potestatem Apostolorum fuisse ministerialem, quia in bonum Ecclesiae; non autem principalem, idest in bonum personale ipsorum.

Resp. potestatem ministerialem in iure non eam dici quae est in bonum aliorum et praecise populi, sed eam quae non habetur titulo proprio, sed nomine et communicatione vel delegatione alterius, cui competit ex officio proprio.

Item potestas principalis seu principis, non ea est quae directe sit in utilitatem eiusdem principis; haec enim est potestas dominii; sed quae habetur titulo proprio, exercenda independenter ab alia auctoritate humana eiusdem ordinis. Princeps autem uti debet potestate sua ad bonum populi; hinc ministrat utique populo, sed iure principali; item inservit populo, sed ut imperans, sicut pater utitur potestate sua in bonum filiorum, sed a filiis non accepit neque ab eis dependenter exercet. Iamvero hoc sensu Apostoli seu pastores Ecclesiae, *principes* sunt, etsi exemplo Filii hominis qui venit ministrare et non ministrari, oporteat eos curare non bonum suum sed fidelium, sicut boni pastores.

Haec confusio potestatis quae habetur in bonum aliorum, et quae exerceatur dependenter ab aliis et ipsorum nomine atque auctoritate, est totum fundamentum Richeriani systematis et errorum affinium.

90. Obiic. II. Potestatem a Christo Domino collatam fuisse Ecclesiae.

Resp. Ecclesiae docenti conc., ipsi corpori Ecclesiae negamus. Sicut homo est qui videt, non tamen virtus visiva est in toto corpore, sed tantum in oculis et per eos competit homini, ita in Ecclesia potestas residet in parte docente, et non in integro corpore.

Obiic. III. Saltem ad populum spectare electionem ministrorum et pastorum, adeo ut non alii sint investiendi spirituali ministerio et iurisdictione quam praesentati a populo.

Ob materiae praestantiam, proponimus proinde de hac re specialem quaestionem.

QUAESTIO DE ELECTIONIBUS

§ 1.

QUAESTIO IURIDICA.

91. Ius populi probant I. ex sacra Scriptura, Act. 1. in quo electio sancti Matthiae exhibetur facta ab omnibus; item Act. VI. electio diaconorum.

II. ex facto priorum saeculorum, in quibus electiones episcoporum fiebant interveniente populo; postea autem directe a principe, ut obtinet ut plurimum et nunc, praesertim cum quammaxime expediat concordia inter Ecclesiam et principem.

Resp. negando ex his evinci ius aliquod proprie dictum competere populo vel principibus sive excludendi quosdam ut indignos, sive praesentandi quosdam ut dignos.

92. Et I. quoad facta sacrae Scripturae, ea nihil aliud ostendunt quam Apostolos in his duobus casibus prudens reputasse, interrogare fideles ex specialibus rationibus; etenim in primo casu ille ex sapientissima

voluntate Petri eligendus erat qui fuisset cum Domino a baptismate Ioannis usque ad ascensionem, ut testimonium reddere posset. (I. 21). « Oportet ergo ex his « viris, qui nobiscum sunt congregati in omni tem« pore, quo intravit et exivit inter nos Dominus Iesus, « incipiens a baptismate Ioannis usque in diem qua « assumptus est a nobis, testem resurrectionis eius no« biscum fieri unum ex istis. Et statuerunt duos etc. » Agebatur ergo de quaestione facti, quae nullo meliori modo poterat resolvi quam testimonio fidelium.

Item in secundo casu diaconorum, ad murmur sedandum, Apostoli sapienter remiserunt electionem ipsis fidelibus, ut eos eligerent qui ipsorum fiducia erant digni. Non omnia autem quae egerunt Apostoli sunt iuris divini, et onus probandi incumberet adversariis utpote affirmantibus. Ceterum apparet non fuisse in re nostra ius divinum, quia in reliquis casibus semper per se ordinaverunt et elegerunt episcopos per omnes civitates. Hinc duobus factis exceptionalibus opponitur factum constans Apostolorum. Si autem fuisset ius, semper eamdem normam sectati essent.

93. Act. XIV. legimus Paulum et Barnabam constituisse per singulas civitates presbyteros; item ad Tit. I. Paulus eum reliquit Cretae ut pariter constitueret per singulas civitates presbyteros, quod nomen genericum complectitur et specificum episcoporum ut demonstravimus. Ex Eusebio hist. eccles. lib. III. cap. IV. n. 15. scimus sanctum Paulum ordinasse sanctum Dionysium episcopum Corinthi; Timotheus ab eodem constitutus est episcopus ephesinus; et sanctus Petrus ordinavit Evodium antiochenum et Ignatium, Linum, Cletum Romae et Marcum alexandrinae Ecclesiae.

Sanctus Ioannes evang. ordinavit sanctum Policarpum episcopum smyrnensem ex sancto Hieronymo de

viris illustribus cap. XVII. tom. II. operum, pag. 843, edit. Vallens. Ex eodem Eusebio cit. cap. IV. num. 5, et ex sancto Hieronymo commentario in cap. 25. Matt. (tom. VII. operum) scimus Apostolos ordinasse prope innumeros episcopos per Pontum, Galatiam, Cappadociam, Asiam atque Bityniam; in quibus omnibus habetur merum factum Apostolorum absque ullo populi interventu.

94. Verum sanctus Paulus I. ad Tim. IV., describens qualitates ordinandi in episcopum, v. 7. ait: « Oportet « autem illum et *testimonium* habere bonum ab iis qui « foris sunt, ut non in opprobrium incidat et in la- « queum diaboli ». En unica mentio populi; sed hic nihil aliud indicatur nisi qualitas moralis ordinandi, eum integrae famae esse oportere, et quidem non modo apud fideles, sed et infideles. Hinc sicut nullum ius, per citatum textum, datur infidelibus interveniendi electionibus ministrorum Ecclesiae, sic nec populo. Forma tamen magis obvia cognoscendi famam ordinandi, est interrogatio ipsius populi ut testimonium ferat. Tamen haec interrogatio non est absolute necessaria, cum episcopis ordinantibus possit aliter constare.

95. Insuper cum sermo sit de integritate famae, oportet attendere testimonium sanum populi. Ergo praelatus ecclesiasticus expendit et iudicat ipsum iudicium populi. Sed si votum populi esset auctoritativum, tunc esset semper ei deferendum.

Tamen Ecclesia regulariter interrogat populum pro ministris et presbyteris; id fit per denunciationes; olim fiebat et pro episcopis.

Ex hoc textu paulino evidens est nullum esse populo ius, sed ordinationes fieri a praelato legittimo, iudicio suo.

96. Ex quibus explicatur et consuetudo primae Ec-

clesiae, nempe interrogandi populum, eiusque desiderium exquirendi; verum si ex participatione populi ad electiones turbae nascantur, vel si ex depravatione morum non fiant secundum Dominum, sed ex secundariis finibus, tunc Ecclesia excludit sapienter populum a quacumque participatione, et aliter assumit informationes de dignitate eligendi.

97. Item expedit ut sit concordia inter Ecclesiam et rempublicam; hinc Ecclesia potest morem gerere principibus eis concedendo aliquam participationem; sed est concessio, quae facta est vel cum principes zelo suo valde commendabantur, adeo ut nullum ex hoc immineret Ecclesiae damnum, vel ad maiora mala praecavenda; sed tunc non ostendit ius in principibus, sed potius iniuriam, et in Ecclesia patientiam et prudentiam.

98. Hisce generice praenotatis, en textus speciales qui in hac re obiici possunt, ex quorum examine apparebit veritas nostrae assertionis.

I. Sanctus Clemens I. in epist. I. ad Cor. num. 44: « Apostoli nostri per Iesum Christum D. N. cognove- « runt contentionem de nomine episcoporum futuram. « Propter hanc itaque causam, perfecta praescientia « praediti constituerunt praedictos (episcopos) et dein- « ceps formam dederunt ut iis defunctis, probati alii « viri in eorum ministerium succederent.... ab illis vel « deinceps ab aliis viris celebribus constituti *universa* « *Ecclesia gratum sibi esse testante* ».

II. In Constitutionibus ss. Apostolorum lib. VIII. c. IV. « Primus igitur ego Petrus aio ordinandum esse epi- « scopum... inculpatum in omnibus, *electum a cuncto* « *populo* ut praestantissimum. Quo nominato et *pla-* « *cente*, congregatus populus una cum presbyterio et « episcopis qui praesentes erunt in die dominica, *con-* « *sentiat*. Qui vero inter reliquos praecipuus est (exar-

« cha vel metropolitanus) interroget presbyterium et « plebem, an ipse est quem in praesidem postulant; « et illis annuentibus, iterum roget an ab omnibus « testimonium habeat, quod dignus sit magna hac et « illustri praelatura ».

III. Tertullianus scriptor ecclesiasticus saeculi II. in apologetico, quod adhuc catholicus scripsit: « Prae- « sideant probati quique seniores, honorem istum non « pretio, sed testimonio adepti ».

IV. Sanctus Cyprianus epist. 68, alias 67. « Ipsa « maxime plebs habet potestatem vel eligendi dignos « sacerdotes, vel indignos recusandi; quod et ipsum « vidimus *de divina auctoritate descendere*, ut sacerdos « plebe praesente, sub omnium oculis deligatur, atque « idoneus publico iudicio ac testimonio comprobetur... « Coram omni Synagoga (adduxit enim factum Elea- « zari filii Aaronis) iubet Deus constitui sacerdotem, « idest instruit et ostendit ordinationes sacerdotales « nonnisi sub populi adsistentis conscientia fieri opor- « tere, ut plebe praesente vel detegantur malorum « crimina, vel bonorum merita praedicentur, et sit « ordinatio *iusta et legittima*, quae omnium suffragio « et iudicio fuerit examinata ».

V. Et sanctus Coelestinus I., ut refert Gratianus can. 13. dist. 61. « Nullus invitis detur episcopus; cleri, « plebis et ordinis *consensus* et desiderium requiratur ».

VI. Hinc sanctus Leo Magnus epist. ad episcopos prov. Viennensis in Gallia, describit legittimum modum: « Teneatur subscriptio clericorum, honoratorum « testimonium, *ordinis consensus et plebis*. Nullus in- « vitis et non petentibus ordinetur, ne civitas episco- « pum non optatum aut contemnat aut oderit, et fiat « minus religiosa quam convenit, cui non licuit habere « quem voluit ».

VII. Et Concilium Cartag. IV. can. XXII. « Ut epi-« scopus sine concilio clericorum suorum clericos non « ordinet, ita ut civium conniventiam et testimonium « quaerat ». Et notandum haec Concilia africana ex sancto Leone IV. esse suscepta ab universa Ecclesia.

99. Verum obiectae auctoritates et aliae similes quae adduci possunt, probant tantum in prima Ecclesia hunc morem obtinuisse ex voluntate ipsius Ecclesiae; nam unicus textus qui asserat haec ex iure divino facta esse, est textus sancti Cypriani; iamvero ex uno sancto Patre profecto per se non eruitur ius divinum; deinde hic textus proprie non tribuit populo ius *eligendi*, sed *consentiendi;* etsi enim dicat plebem *eligere*, sequentibus verbis explicat in quo consistat haec electio, ut nempe sacerdos eligatur coram omnibus, ut quisque possit ei testimonium dare de bonis et malis meritis, et hic habeat omnium consensum; sicut enim et in ceteris materiis, ita et in hac, veteres non ita exacte loquebantur, ut nunc facimns, determinato valore vocabulorum; hinc nomen electionis late sumebant et pro postulatione, expetitione, voto, desiderio.

100. Ceterum plebis consensum non esse rigorose necessarium probatur ex eodem sancto Cypriano. Etenim epist. 2. lib. 2. ait: « In ordinandis clericis, fratres « carissimi, *solemus* vos ante consulere, et mores ac « merita singulorum communi consilio ponderare ». Et ibidem: « ..... Sed expectanda non sunt testimonia « humana, cum praecedunt divina suffragia ». Igitur admittit casus extraordinarios; ibi enim loquitur de Aurelio a se ordinato in lectorem, cuius virtus perspicua erat.

Ceterum quoad sanctum Cyprianum notandum est, ipsum electum fuisse in episcopum cum recens presbyter esset; ad declinandam invidiam sibi proposuit

(et servavit) in omnibus procedere de consensu aut consilio cleri et populi.

101. Concilium autem Cartag. III. can. XXVIII. ait: « Nullus ordinetur clericus nisi probatus *vel episcoporum* examine, *vel populi* testimonio, » quamvis constet in Africa tenaciorem fuisse consuetudinem populum interrogandi. Imo idem s. Cyprianus asserens praesentiam plebis adhiberi, ait: « Quod apud nos « quoque et *fere* per provincias universas tenetur ». Igitur quae dixit de divina auctoritate descendere, lato sensu sumenda sunt; idest sumit auctoritatem pro exemplo; et sane sententiam suam ibi probat exemplis Veteris Testamenti in consecratione Eleazari Aaronis filii (Num. xx.); sed latissimo sensu populus intervenerat, quia tantum Eleazar a Moyse indutus est vestimentis patris sui, quem omnis flevit multitudo per dies triginta; item probat exemplis Novi Testamenti, idest Matthiae et septem diaconorum, quae iam examinavimus.

102. Eodem exemplo Eleazari utitur Origenes, homil. VI. in Levit.: « Licet Dominus de constituendo « pontifice praecepisset et Dominus elegisset, tamen « convocatur et Synagoga. Requiritur enim in ordi- « nando sacerdote et praesentia populi, ut sciant omnes « et certi, quia qui praestantior est ex omni populo, « qui doctior est, qui in omni virtute eminentior, ille « eligitur ad sacerdotium. Et hoc adstante populo, ne « qua postmodum retractatio cuiquam, ne quis scru- « pulus resideret. Hoc est autem quod et Apostolus « peragit in ordinatione sacerdotis. Oportet autem illum « et testimonium habere bonum ab iis qui foris sunt ».

103. Iamvero scopus praesentiae populi ex ipso sancto Cypriano est ut agnoscatur idoneitas; sed id per alia media, magis pacifica et ordinata obtineri potest. Hinc

et nunc fiunt proclamationes promovendorum ad ordines sacros, et in ipso ritu interpellatur populus, in memoriam antiquae verae interpellationis.

Hinc est sanctum Leonem Magnum, ep. 10., alias 89. ad episcopos prov. Viennensis, velle attendatur testimonium et eorum qui foris sunt.

Hinc ob tumultus populi, idem sanctus Leo Magnus epist. 85., alias 87. ad episcopos africanos (can. 5. dist. 61.), eos reprehendit quod indignos ordinent ex plebis petitione. Ergo aliquis ordinandus est, etsi populus alium expetat.

Item sanctus Coelestinus papa ad episcopos Apuliae et Calabriae, can. 2. dist. 62. « Docendus est populus, « non sequendus ». Et nota hos pontifices esse quorum auctoritas nobis obiecta est.

Item Stephanus papa archiep. Ravennati, can. 12. dist. 63. « Docendus est populus, non sequendus ».

Item can. 16. causae 8. quaest. 1. in quo affertur textus sancti Hieronymi reprobantis electiones ex clamoribus plebis aut ad gratiam partium.

Hinc est iam in Concilio Sardicensi, ut habet cap. 2. *de electione et electi potestate*, reprobari et privari etiam communione laica, qui exigit ordinari ex litteris a populo habitis, cum plures potuerint de populo corrumpi.

Numquam autem admissa est plebs ruralis; sed si esset ex iure divino, et ipsa debuisset admitti, cum aeque christiani sint rurales et urbani.

104. Sed quod magis est, habemus Concilii Nicaeni canones et aliorum Conciliorum, qui nullam de populo mentionem faciunt. Et ex dicendis horum occasione, patet et modus et ratio antiquarum electionum.

Can. IV. nicaenus iuxta versionem Dionysii exigui: « Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui « sunt in provincia ordinari. Si autem hoc difficile

« fuerit aut propter instantem necessitatem, aut propter « itineris longitudinem, tribus tamen omnimodis in « ipsum convenientibus, et absentibus quoque pari mo- « do decernentibus et per scripta consentientibus, tunc « ordinatio celebretur. *Firmitas autem eorum quae ge- « runtur per unamquamque provinciam, metropolitano « tribuatur episcopo* ». En ius confirmandi; ille autem qui confirmat, et consecrat, seu consecrare facit.

Et can. VI. iuxta lectionem Labbaei: « Antiqui mo- « res serventur; qui sunt in Ægypto, Lybia et Pen- « tapoli, ut Alexandrinus episcopus horum omnium ha- « beat potestatem (erant provinciae X), quandoquidem « et episcopo Romano hoc est consuetum. Similiter et « in Antiochia et in aliis provinciis sua privilegia ac « suae dignitates et auctoritates Ecclesiis serventur ». (Ex sancto Hieronymo, antiocheno episcopo suberant regiones XV).

Per canonem VI. limitatur canon IV., quod nempe metropolitae pendeant a patriarchis vel exarchis, si eis subiecti, sicut in occidente, ordinatio episcoporum pendebat a sancta Sede.

Canon VI. ita concludit: « Si quis praeter sententiam « metropolitani factus fuerit episcopus, hunc magna « Synodus definiit episcopum esse non oportere. Sin « autem communi cunctorum decreto rationabili et se- « cundum ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut « tres (episcopi) propter contentiones proprias contra- « dicunt, obtineat sententia plurimorum ». Ex quo patet ius confirmandi metropolitae tributum can. IV. non fuisse absolutum, sed constitisse in vigilantia et inspectione ad normam canonum.

105. Verum quidem est ex Theodoreto hist. eccles. lib. I. cap. 9. in epistola synodica Concilii Nicaeni I. post primam conditionem « *ut digni videantur*, » addi:

« και ὁ λαος αιροιτο » « et (quos) populus *elegerit* ». Sed graeca vox verti etiam potest « et populus optaverit; » et sic valere patet ex eo quod episcopis et metropolitano tribuitur. Sed ex eo quod haec conditio non ponitur in canonibus, ostenditur esse tantum oeconomicam praescriptionem pro eligentibus episcopis.

106. Iuxta Eusebium tres sedes exarchales, Ephesina, Caesareensis in dioecesi Ponti et Eracleensis in Thracia iam a tempore Apostolorum habuerunt praeeminentiam, et forsitan a sancto Petro.

Origo divisionis Ecclesiae in provincias est ignota, sed fuit ex rerum natura, et dicendum est fuisse ex apostolica institutione, ut affirmatur et in constitutionibus Apostolorum; impossibile est enim Apostolos criterium non dedisse ad providendum sedibus vacantibus saltem genericum, quatenus vicini episcopi essent vocandi, quos consuetudo esse comprovinciales determinavit, dando praevalentiam metropolitano.

Imo id obtinuisse ex apostolica institutione, innuitur et ex eo quod in Novo Testamento Ecclesiae designentur per provincias, ut Iudeae, Samariae, Syriae, Ciliciae, Asiae, Ponti, Galatiae, Cappadociae, Bityniae, Macedoniae, Acaiae.

Canon autem Apost. 33. habet: « Uniuscuiusque pro-
« vinciae episcopi agnoscere debent eum qui inter illos
« primus existit, ipsumque existimare ut caput, et nihil
« magnum sine illius sententia facere ».

107. Constitutis tamen provinciis ecclesiasticis, non est admissum eas variare ex variatione civili: hinc interrogatus sanctus Innocentius I. respondit epist. 24. ad Patriarcham antiochenum: « Non esse e re visum
« est, ad mobilitatem necessitatum mundanarum, Dei
« Ecclesiam commutari, honoresque aut divisiones per-
« peti, quas pro suis causis faciendas duxerit impera-

« tor. Ergo secundum pristinum provinciarum morem, « metropolitanos episcopos convenit numerari ».

Et Gelasius papa ad episcopos Dardaniae: « Risimus « quod praerogativam volunt Acacio comparari, quia « episcopus fuerit regiae civitatis ».

108. De ordinatione episcopi eadem habet et Concilium Laodicenum (unum ex quinque particularibus ab orientalibus omnibus susceptis) can. XII. « Ut episcopi « metropolitanorum et eorum episcoporum qui circum- « circa sunt, provehantur ad ecclesiasticam potesta- « tem: hi videlicet qui plurimo tempore probantur tam « verbo fidei, quam rectae conversationis exemplo ».

109. Sed aliquando populus omnino reiicitur.

Ita can. XIII. laodicenus relatus can. VI. dist. 63. « Non est permittendum turbis electionem eorum fa- « cere qui sunt ad sacerdotium promovendi ».

Concordat can. XIX. Concilii Antiocheni (ex quinque ut Laodicenum). Canon XVII. Concilii Sardicensis statuit, si in provincia non sint episcopi, metropolita eos advocet ex vicinis provinciis.

Et Conc. Romanum sub Martino, ut refertur can. VIII. dist. 63. habet: « Non licet populo electionem facere « eorum qui ad sacerdotium promoventur ».

Tamen ex can. VI. Nicaeno, cum ordinatio non fieret a metropolita, ubi aderat ius patriarchicum vel exarchale, cumque in occidente patriarcha esset summus Pontifex, hinc *regulariter* ordinationes fiebant ab ipso; hinc in vitis summorum pontificum legimus eos ordinasse per diversa loca; vel ex ipsorum commissione ordinabantur, nisi distantia, praesertim persecutionis tempore, aliud suaderet.

110. In occidente patriarcha erat Pontifex, quia sedes omnes fundatae fuerant, ut habemus ex sancto Innocentio I., vel a sancto Petro (sive per se, sive per suos

discipulos), vel ab eius successoribus; hinc habebantur ut filiales et specialiter dependentes a sancta Sede.

Item sedes patriarchales erant Alexandria in Ægypto et Antiochia in honorem sancti Petri.

Sanctus Leo Magnus epistola 84: » Inter beatissimos « Apostolos in similitudine honoris, fuit quaedam dis- « cretio potestatis, et cum omnium par esset electio, « uni tamen dictum est, ut ceteris praeemineret. *De* « *qua forma* episcoporum quoque orta est distinctio et « magna dispositione provisum est, ne omnes omnia « sibi vindicarent, sed essent in singulis provinciis sin- « guli quorum inter fratres haberetur prima sententia, « et rursus quidam in maioribus urbibus constituti, « sollicitudinem susciperent ampliorem, per quos ad « unam Petri sedem universalis Ecclesiae cura conflue- « ret et nihil umquam a suo capite dissideret «.

111. In occidente conveniebant comprovinciales episcopi; sed in Africa omnibus provinciis praesidebat archiepiscopus carthaginensis. In reliquis provinciis videtur primis saeculis praesedisse seniorem ex coëpiscopis, et non metropolitam, vel cum qui specialiter designatus esset a sancta Sede. Tamen medio saeculi IV. mediolanensis et aquileiensis Ecclesiae factae sunt metropoles sensu ecclesiastico, quamvis non desint saec. II. et III. quidam actus iurisdictionis metropoliticae exercitae ab episcopo mediolanensi. (Trigintatres dioeceses erant subiectae mediolanensi) (1).

Pelagius I. testatur suo tempore (anno 556) episcopos mediolanensem et aquileiensem sese ordinasse ad

---

(1) Vide articulos insertos de hac materia in optima Ephemeride Mediolanensi, *La Scuola Cattolica*, fasc. II. et seqq., auctore clarissimo Petro Prada, cuius elucubrationibus in hac materia plurimum usus sum.

invicem « quia pro longinquitate itineris ab Apostolico « onerosum illis fuerit ordinari ».

Saeculo V. etiam ravennatensis Ecclesia erecta est in metropolim, sed salvo iure patriarchico summi Pontificis. Institutis autem vicariis apostolicis, ab ipsis etiam dabatur nomine Papae confirmatio. Aliquando tamen aderant anomaliae, vel quod episcopus iam iam moriturus designaret suum successorem, quem postea clerus et populus suscipiebant, et metropolita confirmabat, et relatione facta sanctae Sedi, ordinabatur; vel quod metropolita aut Papa mitteret episcopos visitatores, aut vicarios apostolicos, aut rescinderet acta concilii provincialis et de plenitudine suae potestatis provideret. Dein etiam metropolitae coeperunt confirmare, habita pro ipsis confirmatione a Papa.

112. Sanctus Basilius epistola 194, anno 370, habito synodo provinciali elegit Euphronium in episcopum Nicopolitanum, deinde scripsit Senatui huius urbis ut eum susciperet, dicens: « Dispensationes ecclesiasticae « fiunt certe ab iis quibus ipsorum commissa fuit prae- « fectura, sed confirmantur a populis. Nam quod ad « dilectissimos spectabat episcopos, adimpletum est; « quod superest vestrum est ut dignum putetis bono « animo suscipere episcopum vobis datum et fortiter « reiicere extraneorum conatus (1) ». Reposuit Senatus Nicopolitanus: « Vos iudicastis dignum; nos con- « sensum dedimus ».

Ex hoc loco s. Basilii apparet non amplius servatum, saltem in ea regione, antiquum morem ut episcopi convenirent in urbe, cuius sedes vacans erat, sed apud metropolim. Ex alio autem textu sancti Basilii ad Neo-Caesareenses, apparet alias expectatam fuisse pe-

(1) Apud Bianchi, *Della Polizia*, pag. 504, edit. romanae.

titionem factam a clero et populo, antequam episcopi et metropolitani procederent ad electionem.

Cum autem incommodum esset episcopis, singulis vicibus convenire, factum est ut obtineret petitiones cleri et populi in oriente, ad metropolitam transmitterentur, qui, re cognita, eas confirmabat aut reprobabat, ut deducitur ex actis Concilii Chalcedonensis.

Metropolitani tamen eligebantur in synodo provinciali.

In occidente autem obtinuit ut metropolita vel Papa mitteret episcopum visitatorem ad exquirendum votum cleri et populi.

Si populus non suscepisset episcopum nominatum a synodo provinciali et a metropolita, episcopus hic erat adhuc particeps honoris et ministerii ex can. XVIII. Concilii Antiocheni: « Si quis episcopus ordinatus, ad « parochiam cui est electus minime accesserit, non suo « vitio, sed quod eum aut populus vitet, aut propter « aliam causam, non tamen eius vitio perpetratam, hic « et honoris sit et ministerii particeps.

Sed can. XVI. « Si quis episcopus vacans in Ecclesiam « vacantem prosiliat, sedemque pervadat absque « integro perfectoque concilio, hic abiiciatur necesse « est, etsi *cunctus populus* quem diripuit, eum habere « delegerit. Perfectum vero concilium illud est, ubi « interfuerit metropolitanus episcopus ».

113. Igitur vera electio fiebat ab episcopis et confirmatio a metropolita vel exarcha aut patriarcha; quamvis episcopi rationem haberent voti plebis et cleri, sed non ex necessitate iuris divini, cum citati canones de eo nullam faciant mentionem, sed ex iure ecclesiastico et quidem non semper. Ratio autem fuit, quod primis tribus saeculis electi in episcopos erant candidati ad martyrium, ideoque neque ex parte eligendi praesume-

batur ambitio, neque ex parte eligentium malus spiritus, cum fideles essent valde religiosi; etenim si qui sanctitate vitae non praestabant, discedebant tempore persecutionis; deinde tempore persecutionis fortius est vinculum charitatis inter clerum et plebem, cum et ille studeat plebi providere et haec custodire suos sacerdotes, et omnes ferventius Deo servire.

Hinc can. 2. dist. 79. qui tribuitur papae Anacleto, ait: « Licet electionem eorum (episcoporum) Dominus « bonis sacerdotibus et spiritualibus populis conces- « sisset ».

Sed data pace Ecclesiae, plura vitia in electionibus irrepserunt, ita ut s. Io. Chrysostomus lib. 3. de Sacerdotio, queratur opera populi in episcopos adsumi pessimos et optimos praetermitti.

Etiam adnotandum est quod tunc temporis solebat dari episcopus de clero Ecclesiae viduatae; hinc melius cognosci poterat a populo, et non expediebat dare invitis personam iam cognitam.

Igitur concludamus nullum populo ius esse.

114. Sed Rosmini (1) explicans art. 3. sui schematis constitutionis iuxta socialem iustitiam, in cuius commentario electiones episcoporum a clero et populo iure divino faciendas esse dixerat, docet ius populi quamvis divinum, non tamen esse constitutivum, sed morale tantummodo, adeo ut actus contrarius sit adhuc validus: verum hoc ius morale, vel est verum ius, vel mera congruentia; si primum, vel est ex lege naturae, vel ex iure positivo; atqui non est ex iure naturae, secus potestas oriretur a populo; neque ex iure positivo, ut vidimus; ergo restat mera congruentia; sed haec est diversa pro diversis temporibus et iudicatur

(1) Lettera a D. Giuseppe Gatti.

ab iis qui in Ecclesia legittime praesunt. Ergo admitti nequit ius morale in populo.

115. Idem auctor mala Ecclesiae praesentis repetit etiam ab hac causa. Verum numquam episcopatus fuit melior ac nunc; et in genere post Concilium Tridentinum clerus factus est melior; qui historiam ecclesiasticam salutaverit, scit in antiquitate quot haereses ab episcopis et schismata creata; et etiam omittemus inquirere an populus christianus melior fuerit olim ac nunc; et certe si est peior, non est ex electionum popularium defectu.

§ 2.

ADUMBRATIO HISTORICA ELECTIONUM IN ECCLESIA.

116. Modus eligendi numquam fuit omnino identicus in universa Ecclesia; hinc adnotamus tantum modum *praevalentem* in singulis epochis.

Et I. de episcopis; II. de parochis; III. de summis pontificibus.

A. Vicissitudines electionum episcoporum.

117. Primis tribus saeculis obtinuit mos descriptus, electiones fieri ab episcopis vicinis, requisito consensu cleri et expetito voto populi. Sed cum saec. IV. haeresis Arianorum grassaretur, et haeretici confisi imperiali auctoritati eiicerent catholicos, Ecclesia in occidente magis inculcavit praesentiam plebis et consensum eius, ut tenacius adhaereret episcopo a se electo, eumque magis defenderet. E contra in oriente imminutus est plebis interventus, et ex Nov. Iust. 123 et 127 apparet « vilem plebeculam ad arcendas turbas « exclusam ».

118. Item coepit maior ratio haberi optimatum et municipum; hinc dum Tertullianus et s. Cyprianus memorant tantum consensum cleri et plebis, sanctus Leo Magnus et alii, ordinis (seu municipum) et honoratorum (qui publica munia sustinuerant), mentionem speciatim faciunt; hinc evenit ut horum votum exquireretur, et populus tantum per acclamationes consensum suum daret.

Priorum imperatorum christianorum agendi ratio.

119. Sed consideremus imperatorum agendi rationem per id temporis.

Constantinus noluit sese immiscere electionibus ecclesiasticis; cumque inter Caecilianum et Maiorinum quaestio esset pro Ecclesia carthaginensi, ipse adhuc catechumenus, voluit rem remitti iudicio Papae Melchiadis.

Sed deceptus ab arianis anno 329, in exilium egit s. Eustatium antiochenum; tamen pro nova electione scripsit populo et episcopis Antiochiam adunatis.

120. Constantino Magno successerunt tres filii, Constantinus II., Constans et Constantius; et primis cito mortuis, remansit unus Constantius, qui ab Eusebio nicomediensi et Eusebio eunucho magistro officiorum circumventus est in favorem arianorum.

Cessatis persecutionibus iam multi ad nomen christianum conversi erant sed male, ideoque in Ecclesia turbas facile excitabant, unde Salvianus De Gubernat. Dei aiebat: « Quam dissimilis est nunc a se ipso popu-« lus christianus, idest ab eo quod fuit quondam! Quid « est aliud pene omnis coetus christianorum quam sen-« tina vitiorum! » Hinc sanctissini episcopi in exilium acti vel relegati, et inter hos ipse summus Pontifex Liberius; his proinde sufficiebantur alii ex facto arianorum.

Hinc s. Athanasius in epist. ad Solitarios ait: « Quisquis « ipsis charus est et eiusdem impietatis socius, etiam- « si aliis delictis infinitisque sceleribus obnoxius sit, « etiamsi habeat argumenta scelerum suorum et de- « monstrationes evidentissimas, probus tamen apud eos « et in pretio habetur; quin imo statim imperatoris ami- « cus efficitur, commendabilis solum sua impietate; et « qui nundinatur et pleraque quaestui habet, liberta- « tem quidvis agendi a iudicibus impetrat ».

Hinc Ariani ad imperatorem recurrebant ut ordinaret novas electiones, vel factas irritaret, aut confirmaret. Hinc Concilia debuerunt has appellationes ad imperatorem prohibere. Conc. Sardicense can. XII. « Si mo- « lesti fuerint *(nota verbum)* imperatori, hos nulla venia « dignos esse ». Et Cartag. III. (an. 391) « Si relicto « ecclesiastico iudicio (episcopus, sacerdos etc.) publicis « iudiciis purgari voluerit.... locum suum amittat ».

Et Milevitanum can. X. « Placuit ut quicumque ab « imperatore cognitionem publicorum iudiciorum petie- « rit, honore privetur ». Igitur opera arianorum electiones fiebant ab episcopis et populo sed protectione imperatoris.

121. Constantio successit Iulianus qui Ecclesiam Dei persecutus est, sed electionibus sese non immiscuit.

Iuliano successit Iovianus, qui tantum regnavit mensibus sex.

Ei successit Valentinianus I., quoad rem nostram optimus, sed assumpsit ut collegam Valentem fratrem, Constantii imitatorem.

Sub regno Valentiniani I., mortuo Auxentio ariano episcopo mediolanensi, cum episcopi comprovinciales timerent arianorum vim, scripserunt Valentiniano qui tunc Augustae Trevirorum erat, ut ipse daret episcopum (Theodoretus lib. IV. 1. 6.). Rescripsit imperator:

« Maior est haec provincia quam quae viribus nostris « sustineri queat. Proinde divina repleti gratia et illius « splendore illuminati, multo melius hoc episcopi de- « ligendi transigetis negotium ». Ambrosius electus est, et pro eius ordinatione requisitus est consensus imperatoris, quia eiusdem Vatentiniani I. lex (Leg. III. et IX. de episcopis et clericis Cod. Theod.) vetabat ordinari decuriones et magistratus imperii ut erat sanctus Ambrosius. Factum electionis sancti Ambrosii est primum factum certum in historia quo ad imperatorem recurritur ab orthodoxis pro electione.

122. Cum sub Valente vacasset sedes constantinopolitana, catholici elegerunt s. Evagrium; sed Valens eum eiecit, substituto Demophilo ariano.

Valens an. 378 a Gothis interfectus est, et ex tunc arianismus se confugit apud barbaros.

123. Valentiniano I. successerunt filii Gratianus optimus et Valentinianus II. Gratianus sibi adsociavit Theodosium Magnum an. 379; Gratianus interfectus est ab usurpatore Maximo, qui a Theodosio devictus est; Valentinianus II. circumventus est a matre Iustina ariana; hinc cum devictus a Maximo tyranno ad Theodosium confugisset, hic eum admonuit imperia non durare cum Christo adversantur. Mortuo Valentiniano II. an. 394, solus Theodosius imperat; distinctim agamus primo de oriente, deinde de occidente.

Electiones in oriente.

124. Anno 381 convocatus est concilium constantinopolitanum I. (oecum. II.); inter alia agebatur et de electione episcopi constantinopolitani; Episcopi divisi erant in duas partes; antiochenam et alexandrinam, neque poterant conciliari.

Theodosius Magnus imperator qui ante concilium redarguerat quosdam episcopos aegyptios qui in favorem Maximi cinici plura conati fuerant, iussit singulos episcopos scribere nomen eius cui favebant; et in quadam schedula invenit nomen Nectarii adhuc catechumeni; hunc designavit Theodosius: ita rem narrat Sozomenus, etsi aliter habeat Theodoretus et aliter Socrates. Acta concilii aiunt: « Nectarius electus est « ex unanimi consensu a concilio, clero et populo, « praesente imperatore ». Id indicat episcopos accessisse libere, cum et inter eos plures etiam sancti fuerint. Theodosius tamen legationem misit ad Papam Damasum, teste Bonifacio Papa, ut electionem sanaret (1).

Theodosio Magno successerunt eius filii, Honorius in occidente, et Arcadius in oriente; ille optimus fuit ut privatus, sed ineptus ut imperator; hic etiam bonus, sed circumventus ab uxore Eudoxia et a patriarcha Alexandrino Theophilo.

125. Mortuo Nectario, cum plures ambirent, populus, ut narrat Palladius, rogavit imperatorem Arcadium ut ipse provideret; et imperator advocavit s. Ioannem Chrysostomum qui a clero et populo electus est, ideoque eius electio fuit canonica, quamvis postea Theophilus Alexandrinus ei opponeret originem imperialem (2).

Ceterum, cum saec. IV. obtineret iure ecclesiastico potiores partes populi dari honoratis, consequens fuit in imperiali civitate, imperatoris fuisse partes praecipuas laicorum.

126. Arcadio successit Theodosius II. auctor codicis, pius sed ab eunuchis et haereticis circumventus, ita

(1) Rohrbacher, lib. 36. vol. 4. pag. 128.
(2) Rohrbacher, lib. 37.

ut s. Pulcheria soror coacta fuerit sese in solitudinem recipere. Sub eo habitum est Concilium ephesinum anno 431, in quo Nestorius damnatus est et depositus a sede constantinopolitana; quod cum imperator recte factum agnovisset, quosdam catholicos episcopos ad novam electionem vocavit, et clero populoque consentiente electus est post quatuor menses, Martinianus presbyter et monachus.

127. Sub eodem Theodosio II., cum esset episcopus constantinopolitanus s. Flavianus, Eutyches suam haeresim docuit; hinc intimatum concilium ephesinum II., sed opera Dioscori patriarchae Alexandrini evasit conciliabulum. Imperator illud protexit; et s. Flavianus episcopus constantinopolitanus ex percussionibus in eo habitis, post triduum cum in exilium adduceretur, mortuus est. Anatolius ei suffectus est. Sed Valentinianus III. imperator occidentis, litteras dedit Theodosio II. consobrino suo; item Galla Placidia et Eudoxia Augusta; et tandem sancta Pulcheria e sua solitudine egressa est et fratrem ad meliorem frugem reduxit, et statim, ei mortuo in imperio successit, et Marcianum sibi in coniugem elegit.

Tunc habitum est Concilium chalcedonense et Eutyches damnatus atque Dioscorus depositus; cum autem Patres scirent apud Alexandriam plurimum posse Eutychianos, non antea mandaverunt novam fieri electionem, quam imperatoris voluntatem sibi exploratam haberent.

Hinc concludamus saec. IV. et V., exceptis arianis, imperatores sese non immiscuisse ecclesiasticis electionibus, nisi Ecclesiae necessitate exigente et ex eiusdem voluntate aut expressa aut praesumpta, et ratihabitione confirmata.

128. Postea sequuntur pauci boni imperatores et

multi mali; qui etiam sese immiscebant episcopis deponendis et nominandis. Et summi Pontifices cum in occidente undique circumdarentur a barbaris, haereticis vel paganis, prudenter sese gesserunt, sanando electiones episcoporum orientis, si de cetero personae essent dignae.

129. Imperatori Marciano optimo, successit Leo I. thracius etiam bonus. Cum Timotheus invasisset sedem alexandrinam, s. Leo rogavit imperatorem, ut tueretur libertatem electionis ecclesiasticae; et imperator eiecit Timotheum et liberam electionem protexit; sed favit Zenoni qui paulo post eius mortem, eidem successit et fuit auctor Enotici, atque morem gerendo Acacio constantinopolitano, primum schisma constantinopolitanum fovit; item eiecit e sedibus alexandrina et antiochena episcopos orthodoxos, suffectis usurpatoribus haereticis.

130. Ei successit Anastasius I. an. 491, peior fautor haereticorum.

Sequitur Iustinus I. (518) bonus; cum autem eiecto Severo eutychiano, a tribus mensibus vacaret sedes antiochena, et partes nullo modo conciliarentur, Iustinus I. nominavit Paulum presbyterum optimum; erat tamen contra canones; sed papa Hormisdas epist. 76. sanavit.

131. Iustino successit Iustinianus I. (527-565) qui indebite sese immiscuit negotiis ecclesiasticis, praesertim in causa trium capitulorum et episcopis eligendis aut deponendis et etiam legem tulit pro episcopis Italiae ne consecrarentur ante imperatoris confirmationem. Quod in Italia graeca ex prudentia servatum fuit, donec graecorum in ea stetit imperium.

132. Sequitur Iustinus II. an. 565, eius nepos, ignarus, qui et vendebat episcopatus; et deinde Tiberius

Constantinus, anno 578, optimus sed brevi imperavit. Succedit anno 582 Mauritius; Phoca anno 602. Hinc imminuebatur saeculo VI. libertas ecclesiastica electionum.

133. Saec. autem VII. coepit imperator sibi vindicare etiam ius confirmandi patriarchas, quod erat schismatis praeludium; et summi Pontifices ex prudentia tolerabant si de cetero personae electae essent dignae.

Tamen indignos reiiciebant; ita cum tempore sancti Gregorii Magni (590-604) electus esset in episcopum thessalonicensem quidam Maximus, significavit hic Pontifici suam electionem factam a clero et populo, et *praecepto* imperiali. Respondit Pontifex epist. 20. lib. 3. se nimis agnoscere religiositatem imperatoris; praesumere proinde eum sese non immiscuisse in re indebita et velle negotium cognoscere; et cum eum indignum reperisset, reiecit.

E contra cum Ioannes electus esset ad sedem Iustinianopolis, consensu episcoporum provinciae et voluntate *serenissimi principis*, cum hunc invenisset dignum, confirmavit, addendo tamen esse *assensum* Pontificis qui firmabat eius electionem (epist. 78. lib. 4.)

134. Sequitur saec. VII. Eraclius (610-641), et dein eius filius Constans II. qui appellatur Nero baptizatus, et uterque favit haeresi monothelitarum cum episcopis Sergio, Pirro, Paulo et denuo Sergio, dum summus Pontifex sanctus Martinus I. ex toleratis malis martyr occubuit.

Cum autem saec. VIII. imperium occupaverunt imperatores iconoclastae, tunc et apparentiae legalitatis ecclesiasticae in electionibus omissae sunt; nam imperator cum suis ministris omnia disponebat. Incipiunt Iconoclastae cum Leone III. isaurico anno 726 usque ad Constantinum V. anno 780.

Imperator Constantinus Copronymus 741-775 coronavit manu sua pseudo-patriarcham Constantinum, et paulo post, eum flagellavit et capite minuit in circo, ei suffecto Niceta eunucho.

135. Imperatrix Irenes adhuc vivente filio Constantino V. curat convocationem Concilii nicaeni II. oecumenici VII. an. 787, in quo iconoclastae damnantur; Irenes designavit in patriarcham constantinopolitanum, Tarasium laicum, consentiente clero et populo. Papa Adrianus non dissimulavit hanc irregularitatem, sed ratam habuit electionem et permisit haberi synodum VII. Canon III. huius Concilii habet: « Omnis electio a prin- « cipibus facta episcopi aut presbyteri aut diaconi ir- « rita maneat, secundum regulam (canon. 29. Apost.) « quae dicit: si quis episcopus saecularibus potestati- « bus usus, Ecclesiam per ipsos obtineat, deponatur, « et segregentur omnes qui illi communicant. Oportet « enim ut qui provehendus est in episcopum, ab episco- « pis eligatur, quemadmodum a sanctis Patribus, qui « apud Nicaeam convenerunt, in regula definitum est ».

Hinc successor Tarasii electus est libere; sed eiecta Irene, denuo praevalent Iconoclastae, donec Concilium constantinopolitanum anni 842 finem huic haeresi imponit.

136. In Concilio autem oecumenico VIII., constantinopolitano IV. anno 869, exclusum est quodcumque ius laicorum in electionibus ecclesiasticis. Nam actione X. reg. 22. ait: « Concilium oecumenicum definit, « statuit atque iure promulgat, neminem laicorum prin- « cipum vel potentum semet inserere electioni vel pro- « motioni patriarchae vel metropolitae aut cuiuslibet « episcopi, ne videlicet inordinata hinc et incongrua « confusio fiat vel contentio, praesertim cum nullam « in talibus potestatem quemquam potentum vel cete-

« rorum laicorum habere conveniat, sed potius silere « et attendere sibi, usque quo regulariter a Collegio » Ecclesiae suscipiat finem electio futura Pontificis ».

137. Quamvis de iure a Concilio VIII. elementum populare exclusum sit a sacris electionibus, tamen in occidente, hoc statim universaliter vigorem non habuit, usque ad initium saeculi XII. cum ob concordata wormatiensia, tantum clero cathedralis Ecclesiae, reservata est episcoporum electio.

Electiones in occidente, saec. VI. et sequentibus.

138. Libertas canonica in hac epocha, numquam fuit theorice negata, bene vero saepe saepius factis. Etenim populus imperii romani erat legalitatis amans et quando moribus corruptus; e contra barbari omnia per vim apertam gerebant.

139. Inter omnes crudelissimi fuerunt Vandali in Africa, ariani. Unericus sub finem saecuil V. crudelior patre suo Genserico, clausit omnia templa catholicorum et ex episcopis plures occidit, ceteris fugientibus; ex his aliqui redierunt regnante Guntamundo; sed Trasamundus prohibuit novos episcopos eligi; verum ex populi voluntate superstites episcopi alios 250 ordinaverunt; et rex eos in Sardiniam relegavit, inter quos fuit sanctus Fulgentius. Paucis post annis, Ildericus rex eos revocavit.

140. Visigothi in Hispania et in Gallia meridionali, non imitaverunt Vandalos, sed plures sedes ab ipsorum episcopis arianis occupatae sunt, donec sub Reccaredo rege ad fidem catholicam conversi sunt.

141. Franci autem sub Clodovaeo ad fidem conversi sunt; et magna apud eos fuit in religionem observantia; hinc episcopi inter magnates regni adscripti; verum

saepe episcopos sibi non benevisos, reges curabant damnari in conciliis provincialibus et alios ordinari sibi acceptos; imo saepius rex eos in exilium agebat et alios ordinari mandabat aliquibus episcopis sibi devotis; hinc in episcopos electi viri ignari, et aliquando militares, et sancti episcopi saepe electi.

142. Ut his violentiis occurreret Ecclesia magis confirmavit et auxit auctoritatem *defensorum* seu *advocatorum* Ecclesiae, qui iam a saeculo VI. obtinuerant, eisque commissum ut electiones episcoporum statim canonice fieri curarent.

Item extensa sunt in occidente patronis, ea iura quae iam a saeculo V. in oriente obtinuerant, praecedentiae, et etiam occurrunt plura exempla *praesentationis* factae pro minoribus Ecclesiis, et maxime monasteriis, praecipue a regibus.

143. Sed defensores Ecclesiae brevi disparuerunt; patroni autem facile versi sunt in dominos Ecclesiarum et bonorum earumdem; unde plura concilia provincialia eos compellunt ad liberam concedendam Ecclesiis, rerum suarum administrationem.

Item simoniace a regibus episcopatus et beneficia conferebantur veluti si antiquo iure belli omnia regis facta fuissent. Coepit ex s. Gregorio Turonensi Theodoricus filius Clodovaei, quemdam Apollinarem promovere ad episcopatum, donis acceptis.

Hinc et concubinatus insinuatus est in clero.

144. Concilia provincialia coeperunt opponi his intrusionibus regum. Aurelianense anno 549 vult electionem fieri a clero et populo, consecrante metropolita; verum concedit fieri *cum voluntate regis*. E contra Parisiense III. can. VIII. anno 557 excludit regem. Ita in Concilio Aurelianensi III. can. 3.; in Arvernensi can. 2.; in Aurelianensi V. can. 11.; in Parisiensi V.

anno 614 vel 615, can. 1.; in Rhemensi can. 15. et in Cabillonensi can. 10. (Bianchi, Polizia, p.. I. lib. III. cap. III. § 2.).

Similes canones saepius renovantur; quod ostendit observatos non fuisse.

Citatum Concilium Parisiense V. fuit nationale totius Franciae, quam sub sua ditione coniunxerat Clotarius II. et quamvis Concilium praecepisset electiones faciendas more canonico a metropolita et comprovincialibus, clero et populo, et gratuito, tamen rex confirmans edicto suo Concilium, addidit electum ordinandum esse iussu regis, si dignus inveniatur; quod si electus sit officialis palatinus, statim ordinari possit quia habetur argumentum meriti eius (1).

145. Maior libertas fuit in Hispania post conversionem Visigothorum anno 588; sed in Concilio Toletano XII. (can. 6.) statuitur Toletanum episcopum examinaturum electionem factam a rege; ex quo apparet sub ultimis regibus gothicis per saeculum et amplius id obtinuisse.

146. In Italia Eruli, Gothi et Longobardi, generatim liberas reliquerunt electiones: diximus generatim; nam ex. gr. mortuo Constantio episcopo Mediolanensi, Agilulphus volebat acceptaretur vir sibi benevisus et a se designatus; secus retinebat bona Ecclesiae Mediolanensis seu *temporalitates;* populus et clerus renuebant; scribit eis sanctus Gregorius lib. VIII. ap. 65. « Illud « autem quod vobis ab Agilulpho indicatis scriptum « dilectionem vestram non moveat. Nam nos in ho- « minem, qui non a catholicis et maxime a longobardis « eligitur, nulla praebemus ratione consensum. Nec si « alicuius praesumptionis usurpatione factus fuerit, in

(1) Rohrbacher, Hist. Eccles. lib. 48.

« locum vel ordinem sacerdotii illum suscipimus quia « vicarius s. Ambrosii indignus evidenter ostenditur ».

147. In Anglia et Hibernia item; et Legati s. Sedis vel Pontifex directe episcopos ut plurimum eligebant.

148. In Scotia etiam liberae fuerunt electiones, exceptis paucis casibus in quibus reges adversati sunt electis episcopis, ut fautoribus Britannorum.

149. In Germania cum adhuc idololatria dominaret, fuerunt de reliquo liberae electiones.

150. S. Gregorius Magnus, ut melius tueretur libertatem electionum, confirmavit et restauravit ius antiquum, metropolitanorum electiones esse a Papa confirmandas; hinc luctae cum episcopis Ravennate, Calaritano et Salonitano.

151. Electis Mauris a Gallia, Pipinus filius Caroli Martelli, una cum s. Bonifacio martyre, Legato Papae, scripserunt Zachariae Pontifici, ut narrat epistola fere coëva apud Christianum Lupum, Synodorum generalium vol. 4. pag. 125, qui haec habet:

« Pipinus... exposita necessitate huius Regni Zacha- « riae Romano Papae, in Synodo cui martyr Bonifacius « interfuit, eius accepit consensum, ut acerbitati tem- « poris, industria sibi probatissimorum decedentibus « episcopis mederetur... Sic Wenilo Senonensis Metro- « polita et Gerardus comes scribunt ad Amulum lug- « dunensem archiepiscopum apud Lupum abbatem Fer- « rarensem ».

Sed fuit privilegium personale, quo Pipinus usus est in synodo, una cum beato Bonifacio episcopo et martyre.

152. Saeculo IX. per Concilium constantinopolitanum IV. laici de iure exclusi sunt, ut vidimus, sed de facto potestas saecularis saepius intervenit; unde nata quaestio de investituris, quae medio saeculo IX.

coeperunt vigere; quam quaestionem alias innuimus, lib. I. n. 623; hinc s. Gregorius VII. in Concilio romano anno 1080 volens ecclesiasticam restaurare disciplinam, statuit:

« Quoties defuncto Pastore alicuius Ecclesiae, alius » est ei canonice subrogandus, instantia visitatoris epis- « copi qui ei ab apostolica vel metropolitana sede di- « rectus est, *Clerus et Populus* remota omni saeculari « ambitione, timore atque gratia, apostolicae Sedis vel « Metropolitani sui consensu pastorem sibi secundum « Deum eligat. Quod si corruptus aliquo vitio aliter « opere praesumpserit, electionis perperam factae omni « fructu carebit et de cetero nullam electionis pote- « statem habebit; electionis vero potestas omnis in « deliberatione Sedis apostolicae, sive Metropolitani « sui consistat ».

153. Ut brevius subsequentem historiam occidentis recolamus, totam rem in quinque epochas de iure licet distinguere.

Prima est a morte Apostolorum qui ipsi eligebant ad Concilium VIII. anno 869; electio fiebat ab episcopis provincialibus, exquisito voto cleri et populi, confirmante Metropolita vel Exarcha aut Patriarcha.

II[a] a Conc. VIII. ad Comitia Wormatiensia an. 1122. Pacta Wormatiensia an. 1123 confirmata sunt in Concilio Lateranensi I. generali. Exclusus est populus de iure communi sed in occidente non semper de *facto*, neque semper de *iure*, quia Decretum Concilii VIII. in occidente non statim et universaliter applicatum fuit.

Ipsa autem Comitia Wormatiensia erant tractatus inter Ecclesiam et imperium; et proinde extra huius fines non obligabant. Hinc anno 1149 electo in episcopum bellovacensem, Henrico monaco fratre regis Ludovici VII., cum humilitatis causa nollet acceptare, ei

respondit s. Bernardus: « Si electio facta est unanimi « consensu cleri et populi, et approbata a metropolita « et suffraganeis... nihil aliud superest quam subiicere « se voluntati Dei (1) ».

Imo et in ipso imperio anno 1153 deposito Henrico archiepiscopo moguntino in consilio imperii habito sub Friderico I., ei suffectus est Arnoldus cancellarius imperatoris, electus a paucis deputatis cleri et populi (2).

III^a^ a Comitiis Wormatiensibus ad initium saec. XIV. Exclusus est et clerus inferior, reservata electione Capitulo cathedrali et confirmatione Metropolitano. Sed neque hoc decretum excludens populum et clerum inferiorem, ubique applicatum fuit.

IV^a^ incipit a saeculo XIV., idest a Benedicto XI., Clemente V. et successoribus qui electionem episcoporum reservant summo Pontifici.

Benedictus XI. anno 1304, sibi reservat sedes quatuor Patriarcharum, quia erant illae urbes occupatae vel ab infidelibus vel ab haereticis et schismaticis, *cap. 3. de Electione inter comm.*

Clemens V. *cap. 8. de praeb. inter communes*, sibi reservavit Ecclesias et beneficia vacatura apud s. Sedem toto sui pontificatus tempore.

Idem praestitit Ioannes XXII. et Benedictus XII. per Regulas Cancellariae.

Verum aderant anomaliae; praesertim in epocha II. et III. adfuit Episcopus visitator: Febroniani et alii dixerunt haec fuisse *usurpationes* sanctae Sedis.

Mitiores dixerunt fuisse *devolutiones*, utiles Ecclesiae ex abusibus; sed fuit simpliciter *ius* nativum sanctae Sedis quae revocavit concessiones factas.

---

(1) Rohrbacher, lib. 68.

(2) Rohrbacher, lib. 69.

Neque opponi potest praesumendum esse Apostolos statuisse methodum quae in Concilio Nicaena dicitur antiqua can. 6. et de qua loquuntur et constitutiones apostolicae. Etenim hoc factum, fuit ius disciplinare, ut in ceteris, sine praeiudicio iurium Petri et eius successorum. Verum sequitur

V^a^ epocha a saeculo XV. in quo principibus factae sunt plures concessiones, praesertim per concordata, ut a Germanico anno 1447, in quo tamen conceditur electio Capitulis cathedralibus, sed cum Papae confirmatione, et est epocha *Principum*, cum anomaliis tamen.

B. De electionibus parochorum.

154. Nunc de Parochis. Hi non fuerunt ante saeculum IV. et V., etsi officium parochiale sit iuris divini; ergo in prima Ecclesia de ipsorum electione agi non potuit.

Si autem populo non competit ius eligendi episcopos, multo minus parochos, qui sunt vicarii episcoporum, sed positi a iure ecclesiastico. In prima Ecclesia vidimus tantum in more fuisse ut populus interrogaretur de clericis ordinandis, ut daret bonum testimonium. Ergo minor erat influxus populi pro clericis constituendis quam pro episcopis designandis, quia quoad episcopos, requirebatur aliquando et *desiderium;* sed quoad clericos merum testimonium. Id servatur et nunc in publicationibus quae praeponuntur ordinibus sacris. Sed et aliunde Ecclesia posset cognitionem idoneitatis sibi procurare.

Quoad parochos qui nunc a populo eliguntur in pluribus locis superioris Italiae, id procedit *ex iure communi*, quia populus fundavit, aedificavit et dotavit Ecclesiam, ideoque est patronus; unica differentia est

in modo praesentandi, quia praecedit examen episcopi de idoneitate et populus deinde eligit, inter approbatos, et episcopus instituit canonice.

C. De electione Summi Pontificis.

155. Primum schisma in Ecclesia Romana fuit Novatiani, qui electo Cornelio an. 254-55, a tribus Episcopis rusticis ordinatus est per fraudem.

Data autem pace Ecclesiae, turbae frequentiores fuerunt, et haec historia potius notabilis est ob imperatorum interventum. Videamus:

I. *Sub Romanis et Graecis Imperatoribus.*

I. Mortuo Liberio et s. Felice II. qui prius fuit Liberii vicarius et deinde Pontifex, clerus et populus elegit iuxta consuetam formam, s. Damasum (an. 366): sed quidam otiosi in Basilica Sicini, elegerunt Ursicinum; et pugnatum est ita ut 137 interfecti fuerint; hinc milites advocati sunt. Imperator erat Valentinianus I. in occidente, qui cognita re ab Episcopis Italiae, Ursicinum eiecit. En primus interventus imperialis in electione summi Pontificis.

II. Anno 418, mortuo s. Zosimo, electus est a paucis de clero et plebe Eulalius, archidiaconus in Ecclesia Lateranensi; sed a novem episcopis et parte maiori et saniori cleri (70 presbyteris) et populi, electus est s. Bonifacius I. in Basilica sanctae Mariae Maioris. Symmachus praefectus urbis favebat Eulalio; Honorius imperator iussit eiici Bonifacium; sed clerus et optimates ei scripserunt; qui episcopos Italiae convocavit, ex quorum decreto interim prohibuit utrique ingredi urbem, donec maior numerus episcoporum conveniret post Pascha ad definitivum iudicium, sub poena amittendi quodlibet ius si quis contraveniret; quod uterque

contendens scripto approbavit. Sed Eulalius armis occupavit Basilicam Lateranensem; hinc eiectus est, et Bonifacius liber remansit. En secundus et maior interventus imperatoris.

Timens autem s. Bonifacius I. ne post suam mortem Eulalius schisma renovaret, die 1. Iulii an. 419 scripsit ad Honorium imperatorem, a quo accepit responsum relatum a Gratiano can. 8. dist. 79., idest duobus ex temeritate contendentibus, novam esse faciendam electionem.

III. Anno 483 moritur s. Simplicius Papa, Odoacre rege Italiae ariano, qui anno 476 finem posuerat romano imperio occidentali; cum electores convenissent, en Basilius praefectus praetorii, asserens se a defuncto Pontifice in mandatis accepisse ne nova fieret electio inaudito rege et se eius ministro. Forsitan Simplicius timens tumultos cum IV. et V. regio, et iuxta aliquos et I. esset ab Erulis occupata, commendaverat praefecto tutelam publicae tranquillitatis. Sed populus non acquievit et elegit s. Felicem III.

IV. Anno autem 502 Concilium Romanum IV. sub s. Symmacho, declaravit nullam praedictam concessionem, ut contrariam ss. canonibus et a Pontifice non subscriptam.

V. Cum anno 498 electus esset idem s. Symmachus, Festus senator promovit Laurentium cardinalem archipresbyterum, cum sanguinis effusione. Ad novam effusionem vitandam, duae partes convenerunt ut rem remitterent Theodorico regi Ostrogothorum (ariano); qui favore s. Symmachi pronuntiavit.

Habitum est Concilium Romanum in quo damnati ad degradationem qui vivente Pontifice, de eius agerent successore, vel qui venderent suum votum. Laurentius quoque subscripsit et factus est episcopus nucerinus;

sed postea circumvenit regem, Symmachum de multis criminibus accusando, qui rex episcopum misit visitatorem Romanae Urbis; restitit Symmachus, quia Ecclesia a Christo, non a principibus suam tenebat auctoritatem. Tamen voluit iudicium episcoporum, quos advocavit Theodoricus; sed episcopi superioris Italiae Ravennam venientes, protestati sunt se non posse convenire ad concilium absque mandato Pontificis, quod rex in scriptis protulit.

Episcopi etiam Galliae, s. Avito episcopo viennensi mandatum dederunt ut ad Senatum Romanum pro defensione summi Pontificis scriberet, quod et praestitit, eloquentissima epistola. (Gio. Antonio Bianchi, *Della Potestà indiretta*, vol. 2. pag. 542, ediz. rom., idest lib. VI. § VII. n. XIV.).

VI. Cum sub finem regni sui Theodoricus saevisset, et papam s. Ioannem I. carceri tradidisset ubi mortuus est, proprio marte elegit s. Felicem IV., anno 526. Clerus autem et populus primo per dies 50 protestati sunt; deinde illum nomine proprio elegerunt, ad quamlibet finiendam controversiam. Rex autem promisit in futurum electionem fore liberam sed cum assensu principis et tributo. Cum enim magna esset summi Pontificis auctoritas apud cives, reges hi et subsequentes graeci imperatores, maxime solliciti erant habendi Pontificem sibi benevolum.

VII. Anno 532 Amalasunta regina, gubernans pro filio Athalarico, statuit tributum pro regia approbatione fore tria millia aureorum. Ita enim habet edictum Athalarici apud Cassiodorum Varior. lib. 9. epist. 15: « Et quia omnia decet sub ratione moderari, nec pos- « sunt dici iusta quae nimia sunt, cum de apostolici « consecratione Pontificis *intentio fortasse* pervenerit, « et ad palatium nostrum producta fuerit *altercatio*

« populorum suggerentes nobis, intra tria millia solido-« rum cum collectione chartarum censemus accipere ». Bianchi, lib. IV. cap. III. § 2. ex verbis allatis putat tributum solvendum fuisse tantum cum *altercatio afferebatur ad tribunal regis.*

VIII. Cum vero Belisarius Urbem obsidione stringeret, Theodatus rex, misit Constantinopolim Legatum, Papam s. Agapitum I. qui mortuus est re infecta; ei suffectus Sylverius (an. 536) a rege, poena capitali intimata contradicentibus.

Populus autem et clerus accessit.

IX. Sed capta Urbe a Belisario, Sylverius in exilium eiicitur quasi in Gothos propensus; re autem vera quia invisus Theodorae Augustae, quae Vigilium diaconum ei sufficere cupiebat, ut praestitit. Mortuo autem s. Sylverio agnitus est Vigilius a clero et populo.

X. Sed maxime Ecclesiae nocuit lex Iustiniani, qui anno 552 destruxit Ostrogothos, et praecepit electiones episcoporum Italiae, idest provinciarum imperii, et summi Pontificis esse ab imperatore confirmandas; hinc sequuntur 24 Pontifices (per an. 131) creati vigente hac lege. Ecclesia id toleravit, tum ne alienaret a communione sua orientis Ecclesias, iam multum ab haereticis exagitatas, tum quia in occidente aderant reges non modo barbari, sed adhuc ariani aut pagani, ideoque inter hostes undique erat constituta.

Pontifex eligebatur a Clero, et salutabatur a Senatu, populo, militibus, et interim expetebatur confirmatio imperatoris. Clerus sua concordia curavit vitare schismata, et imperatores ne Italos averterent, facile sese praebebant. Tamen Pelagius II. anno 578, cum Urbs a Longobardis obsessa esset, consecratus est, non expectato imperatoris consensu. (Rohrbacher, Hist. Eccl. lib. 46). Item Bonifacius V. an. 618, ex Rohrb. lib. 48.

Durante vita et exilio s. Martini, clerus elegit vicarium, Eugenium, quem s. Martinus agnovit; Eugenius ei successit et paucos post menses mortuus est (656).

XI. Constantinus autem IV. Pogonatus, filius Constantis ad preces papae Agathonis (678) renunciavit tributo, et facta electione Benedicti II. (684) etiam abrogavit legem confirmationis imperialis.

XII. Sic electus est libere Ioannes V.; sed postea imperator rem remisit exarchis ravennatibus, quibus electo Conone, nuntium authenticum datum est (1).

XIII. Sub Iustiniano II. (685) rursus imposita est necessitas confirmationis, remissa taxa.

XIV. Id perduravit usque ad Leonem Isauricum anno 717; cum enim hic formaliter factus esset haereticus, summi Pontifices abruperunt quodvis dependentiae vinculum, dum generatim ceteri imperatores praecedentes, etiam faventes haeresi, ex. gr. monothelismo, curabant videri catholici. Imo ex eo tempore (sub Gregorio II. 715-731), Pontifices, Italos separaverunt ab imperio graeco, et Roma libera evasit, et ipsi Pontifici sponte adhaesit ut regi suo. Hinc Vecchiotti ait (Institutionum Can. vol. I. pag. 357), primum qui ordinatus est absque assensu imperiali, fuisse s. Zachariam post Gregorium III. anno 741, qui ordinatus est quatuor diebus post mortem antecessoris.

II. *Electio summi Pontificis sub Imperatoribus francis et germanicis.*

156. Cum anno 799 s. Leo III. perageret processionem Litaniarum maiorum, fuit percussus et semivivus in carcerem tractus, a quo liberatus est iussu Caroli

(1) Audisio, Storia dei Papi, vol. 2. pag. 315 e segg.

Magni patritii, qui eum invitavit ad castrum paderbonense, ubi ei occurrit Pipinus Caroli filius et cum 100 millibus militum eum veneratus est, sicut cum alio exercitu fecit ter ipse Carolus cum ad urbem paderbonensem adventasset.

In Natali Domini anno 800 s. Leo IV. restaurabat vel melius instaurabat dignitatem Imperatoris occidentis.

157. Carolus Magnus in suo testamento (quod anno 806 lectum est in diaeta imperii adhuc eo vivente, qui tantum an. 813 mortuus est), praecepit suis tribus filiis ut defensionem susciperent S. R. E. in omnibus. Sed apocrypha est bulla producta in Germania tempore Friderici I., in qua dicebatur Adrianum I. (anno 771-795) concessisse Carolo ius sese immiscendi in electione summi Pontificis. Haec bulla est can. Adrianus 22. dist. 63. quem invocavit et Philippus pulcher. Stephanus IV. (anno 816) et Paschalis I. (anno 817) nuncium dederunt imperatori Ludovico Pio de sua electione. Rescribebat Ludovicus confirmans donationes factas Ecclesiae et privilegia, et libertatem electionis, subiungendo, electus daret nuntium imperatori pro renovatione antiquae amicitiae. Vide can. 30. dist. 63. Sed mortuo Paschali I. tumultus habiti sunt, ita ut electio Eugenii II. fuerit difficilis (824-827), cum ei oppositus esset Zizimus antipapa. Imperator autem Ludovicus misit filium regem Lotharium ad eam protegendam.

158. Hinc Eugenius II. cogitans de futura electione, iussit populo et clero fideles esse Pontifici et Imperatori, salvis iuribus utriusque, et novum Papam ante consecrationem, renovare promissionem coram Legatis imperialibus; tamen Lotharius confirmavit libertatem electionis suo decreto (apud Baronium ad annum 824): « Volumus ut ad electionem Pontificis nemo audeat « venire neque liber neque servus, qui aliquod impe-

« dimentum inferat, exceptis illis tantum Romanis, « quibus antiqua fuit consuetudo concessa per consti- « tutiones sanctorum Patrum eligendi Pontificem ».

159. Sed mortuo Eugenio, Romani nominaverunt Valentinum (827), qui consecratus est quin nuncium daretur Imperatori et absque eius Legatis. Sed eodem anno eo mortuo, electo Gregorio IV., Legati per duos menses expectati sunt; hinc populus voluit novam electionem Sergii II. (anno 844), et consecrationem statim haberi. Ioannes diaconus eius electionem impugnavit, et Lotharius imperator Romam misit Ludovicum filium regem Italiae, et in Concilio romano 23 episcoporum, Sergii electio agnita est ut legittima (1).

160. Sed post Sergium II. electus est an. 847 sanctus Leo IV. qui voluit expectare Legatos per duos menses cum dimidio, sed inutiliter; hinc consecratus est sine eis, cum protestatione per hoc non imminui reverentiam imperatoris (2). Providit tamen cum Lothario et Ludovico electionem fieri libere et canonice, sed inutiliter; nam Benedictus III. electus canonice et libere (855) impugnatus est a Legatis imperialibus qui volebant eligi Anastasium cardinalem; sed clerus et populus obstiterunt, et ipse prius transmisit ad ostendendam suam legittimitatem, decretum suae electionis ad imperatorem.

161. Adrianus III. (anno 884) decrevit ut Pontifex consecrari sine praesentia regis aut legatorum possit. (Moroni, verbo « elezione » pag. 184).

162. Sed cum a factionibus valde perturbaretur electio summorum pontificum, Ioanni IX. minus malum visum est revocare Legatos imperiales pro tutela or-

(1) V. Berault Bercastel, lib. 25. num. 143.

(2) Rohrbacher, lib. 56.

dinis externi, ad fraenandam plebem et nobilitatem. Hinc in Concilio romano anno 901 decrevit, ut refert Gratianus dist. 63. can. 28: « Quia sancta Romana Ec- « clesia plurimas patitur violentias, Pontifice obeunte, « quae ob hoc inferuntur quia absque imperiali notitia, « Pontificis fit electio et consecratio, nec canonico ritu « et consuetudine ab imperatore directi intersunt nun- « tii, qui scandala fieri vetent, volumus ut constituen- « dus Pontifex, convenientibus episcopis et universo « clero, eligatur praesente senatu et populo qui ordi- « nandus est, et sic ab omnibus electus, praesentibus « legatis imperialibus, consecretur ».

163. Sed inutiliter; cum reges Italiae interim plures inter se contenderent et instabile haberent dominium, idest Ludovicus III., Rodulphus Burgundiae superioris, Ugo comes arelatensis, Lotharius II., Berengarius II. et Adalbertus usque ad annum 961, in quo Otto I. Germaniae ex domo saxonica regnavit, et anno 962 coronatus est Romae imperator et iussit electionem fieri iuste et canonice, et tantum postea consecrationem fieri coram legatis imperialibus ut sponte promiserat Papa Leo IV. (Labbaeus, tom. IX. col. 643).

164. Secuti sunt duo alii Ottones, et s. Henricus II. deinde Conradus salicus.

S. Henricus renovavit cum Benedicto VIII. (1014) pacta Eugenii II., sancti Leonis IV. et Ioannis IX. promittens denuo iuxta formulam Ottonis I. libertatem electionis.

165. Sed Henricus III., sede vacante, nominavit in Pontificem, Suidgerum, qui fuit Clemens II. assentientibus electoribus.

Igitur iam imperatores non erant contenti confirmatione, sed et propositionem Papae sibi vindicabant.

Hinc et eius successor Damasus II. qui vocabatur

Poppo, et erat episcopus brixinonensis; item sanctus Leo IX., antea Bruno, episcopus tullensis, an. 1048, designatus est ab imperatore Henrico III. in diaeta Wormatiae, coram legatis romanorum, qui acceptavit « ea conditione (ait Vibertus eius archidiaconus in ec- « clesia tullensi), si audiret totius cleri et populi ro- « mani communem esse sine dissidio consensum (1) ».

166. Nicolaus II. (gallus, anno 1059-61) in Concilio lateranensi seu romano non oecumenico, anno 1059 coram 113 episcopis hoc decretum tulit: « Decernimus « et statuimus ut obeunte huius Romanae Ecclesiae « universalis Pontifice, in primis Cardinales Episcopi « diligentissime de electione tractantes, mox Christi « Clericos Cardinales adhibeant, sicque reliquus Clerus « et populus ad consensum novae electionis accedant, « nimirum praecaventes ne venalitatis morbus aliqua « occasione surrepat, et ideo religiosissimi viri (Cardi- « nales) praeduces sint in promovenda Pontificis elec- « tione, reliqui autem sequaces..... Sed quia Sedes « Apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur Ec- « clesiis, atque ideo super se metropolitanum habere « non potest, Cardinales Episcopi procul dubio metro- « politani vice funguntur, qui videlicet electum an- « tistitem, ad apostolici culminis apicem provehant « consecrandum. Eligatur autem de ipsius Ecclesiae « gremio, si reperiatur idoneus vel si de ipsa non in- « veniatur, ex alia sumatur, salvo debito honore et « reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui in prae- « sentiarum Rex habetur, et futurus Imperator, Deo « concedente, speratur et iam sibi concessimus sicut « successoribus illius, *qui ab hac Apostolica Sede per-*

(1) Audisio, Storia dei Papi, vol. 3. pag. 105.

« *sonaliter hoc ius impetraverint*... Quod si pravorum « atque inimicorum hominum ita perversitas invalue- « rit, ut pura, sincera atque gratuita fieri in urbe non « possit electio, Cardinales Episcopi cum religiosis « clericis, catholicisque laicis, licet paucis, ius pote- « statis obtineant eligere apostolicae Sedis Pontificem « ubi congruere viderint (1) ».

Hoc decretum etsi ab aliquibus habeatur ut spurium, tamen nihil officit; imo ex eo quod vult imperatores impetrent personale privilegium, magnam exhibet prudentiam.

167. Mortuo Nicolao II., Alexander II. (an. 1061) electus est et consecratus inscio imperatore Henrico IV., qui elegit antipapam Cadolaum. Est primum factum electionis imperialis.

S. Gregorius VII. (anno 1073) ad omnes querelas auferendas voluit habere confirmationem Henrici IV. et eum monebat si confirmationem concessisset, se iura apostolicae Sedis intrepide in omnibus defensurum. Et habita confirmatione, quod promiserat servavit, abrogans quamcumque necessitatem assensus imperialis.

Henricus autem imperator in quodam conciliabulo deposuit s. Gregorium VII. et ei subrogavit antipapam Clementem III. Sed in Concilio quinimburgensi anno 1085 damnata est haeresis Henricianorum, docentium imperatorem habere summam auctoritatem in electione Papae et episcoporum.

168. Innocentius autem II. (anno 1130) « populum « pontificiorum iure conciliorum, cuius a primis usque « temporibus ad eum usque diem particeps fuerat, ex- « poliavit, » ut ait Panvinius adnot. ad Platinam, ut

(1) Camarda, Constit. Apost. de pertinentibus ad electionem summi Pontificis, synopsis Romae 1732.

omnem tumultuum occasionem auferret; et proinde pro Pontificis electione, non fuerat usque ad id temporis applicatum decretum concilii VIII. excludens laicos ab episcoporum electione.

Hinc Coelestinus II. (1143) electus et consecratus est absque ullo populi interventu; sed pars Arnaldi brixiensis arma coepit. Hinc Eugenius IV. (1145) electus rursus est a clero et populo. Alexander III. in Lateranensi III. (oecumenico) anno 1179 Papae electionem exclusive reservavit cardinalibus et statuit duas tertias partes votorum requiri.

Unica exceptio facta est in Concilio Constantiensi. Cum enim tres contendissent de summo Pontificatu et incerta esset ipsorum legittimitas, per consequens incerta quoque erat legittimitas cardinalium qui ab eis, vel a suis antecessoribus dubiae auctoritatis fuerant creati. Hinc conventum est ut conclave ingrederentur tot cardinales et tot episcopi a Concilio deputati, et sic communi consilio electus est Papa Martinus V.

169. Hodie nationes quaedam, idest Austria, Gallia et Hispania sibi tribuunt ius *exclusivae*, idest excludendi aliquem cardinalem a summo pontificatu; sed exclusiva non est ius; quamvis enim saepius attendatur, oeconomiae causa, tamen aliquando attenta non fuit, ut in electione Pauli IV. Et haec de electionibus satis.

ARTICULUS II.

Excluditur aristocratia presbyteralis.

170. Excluso quocumque iure populi, excludenda est secundo, aristocratia presbyteralis. Etsi nostra intersit tantum de potestate iurisdictionis, tamen I. de potestate ordinis breviter. Episcopos esse iure divino superiores presbyteris quoad potestatem ordinis, ostendunt

theologi ex eo quod episcopus confert quaedam sacramenta quae invalide conferre attentaret presbyter. Huiusmodi est ordo. Neque ex delegatione Ecclesiae, seu summi Pontificis potest superioritas haec episcoporum explicari; etenim 1. etsi aliquando fuerit presbyteris concessa facultas conferendi diaconatum, quamvis plures falso id negent, tamen numquam suspicatum est posse eis concedi facultatem conferendi presbyteratum et episcopatum; hinc semper obtinuit effatum, episcopos tantum, non modo sibi inferiores sed et pares generare posse.

2. Etsi presbytero ex delegatione summi Pontificis competere posset collatio infimi ordinis hierarchici seu diaconatus, et competat collatio confirmationis, tamen retractata ab Ecclesia facultate, invalide attentaret conferre haec sacramenta. E contra episcopus nequit expoliari facultate haec valide conferendi. Ergo iure divino episcopus est superior presbytero quoad potestatem ordinis.

II. Quoad potestatem iurisdictionis.

171. In sacra Scriptura non invenimus presbyteros distinctos ab episcopis, sed nomen presbyteri designat episcopos vel saltem utrumque complectitur gradum, ut nunc nomen genericum sacerdotis comprehendit sub se duas species; hinc et cum presbyteri dicuntur Act. xx. episcopi positi a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei, si non sumantur haec nomina ut identica, dicitur de genere, quod competit alicui ex eius speciebus; quod de aliis locis Novi Testamenti dicendum est, si supponatur aliquando non esse identica, sed nomen presbyteri esse genericum.

Iamvero omnis potestas iurisdictionis a Domino collata est Apostolis, qui ex potestate ordinis erant certe episcopi et non tantum presbyteri (sensu specifico).

Ipsis enim traditae claves regni coelorum et missi ad pascendum; episcopi pariter Act. xx. sunt positi a Spiritu sancto ad regendam Ecclesiam Dei quam acquisivit sanguine suo.

Sed distinctio duplicis gradus sacerdotalis, apparet postea ex traditione et historia ecclesiastica; iamvero ille gradus succedit in iurisdictione qui est sacerdotium episcopale, non autem ille qui est sacerdotium mere presbyterale, cum de eo in sacra Scriptura sermo non sit, quando de potestate iurisdictionis agitur.

172. Apostoli profecto vel ipsi fecerunt hanc divisionem sacerdotii, vel certe docuerunt eam iure divino fieri posse; sed promissiones divinae de iurisdictione, factae fuerant episcopis, et proinde eis qui in episcopatu successissent successione plena. Ut igitur videamus an presbyteris, praeter potestatem ordinis limitatam, competat et iurisdictionis participatio, ad traditionem recurrendum est, quae nobis ostendet an Apostoli utentes doctrina et potestate divina, scindendo sacerdotium in duos gradus, adsignaverint iure divino propriam iurisdictionem et gradui inferiori, vel illum tantum in adiutorium episcoporum instituerint, a quibus et quorum nomine omnem iurisdictionem acciperet et exerceret.

173. Iamvero antiqua traditio est omnino concordans in neganda presbyteris qualibet iurisdictione propria, ut ex sequentibus testimoniis patet.

1. S. Ignatius martyr, cap. v. epist. ad s. Policarpum ait nuptias benedici ab episcopo: « Sponsi et sponsae, « de sententia episcopi faciunt coniugium, ut nuptiae « secundum Dominum sint, non secundum concupi- « scentiam ».

2. Can. xxxviii. apost. « Presbyteri et Diaconi sine

« sententia Episcopi nihil perficiant: ipse enim est cu-
« ius fidei populus est creditus ».

3. S. Cyprianus epist. 27. num. 1. « Ecclesiae ratio
« decurrit, ut Ecclesia, super episcopos constituatur
« et omnis actus Ecclesiae super eosdem praepositos
« gubernetur ».

4. S. Epiphanius haeres. 75. n. 5. ait in aliquibus Ecclesiis parvis presbyteros non fuisse, sed tantum episcopum et diaconos: « Cum haud magna multitudo
« foret, reperiri nulli potuerunt qui Presbyteri crea-
« rentur, unde solo Episcopo contenti fuerunt. Sine
« diacono vero Episcopus esse non potest ».

5. S. Ambrosius lib. De sacr. cap. I. v. 4. alloquens baptizatos: « Succinctus summus Sacerdos, licet enim
« et presbyteri fuerint, tamen exordium ministerii a
« summo est Sacerdote ».

6. Concilium Ancyranum (anno 314) can. XII. « Non
« licere presbyteris civitatis sine praecepto Episcopi
« vel litteris in unaquaque Parochia (Dioecesi) aliquid
« imperare ».

7. Concilium Laodicenum can. 57. « Presbyteros nihil
« agere debere sine mente Episcopi ».

8. Toletanum I. anno 400: « Sine conscientia epis-
« copi, presbyteri nihil agere praesumant ».

174. Accedit Patres agnovisse in discipulis 72 figuram presbyterorum, sicut in episcopis, successores Apostolorum. Sed discipuli habuerunt in sua transeunti missione, officium inferius Apostolis; debebant enim praecedere et praedicare ubi ipse Dominus erat venturus; utique cum Apostolis. In qua missione ipsum officium ac proinde non tantum ordinis potestas figuratur.

175. Accedit ratio unitatis Ecclesiae. Nam cum iurisdictio episcopis participetur ab Ecclesia, quamvis

ex voluntate Christi, cumque ad unitatem singularum Ecclesiarum necessarius sit unus Pastor, ipsa rerum natura fert illum qui praeeminet ordine, esse et iurisdictione investitum; secus si presbyteri essent ei pares, deficeret principium unitatis. Neque supponi potest postea ex facto Ecclesiae auferri iurisdictionem presbyteris, quae eis esset par cum Episcopo ex ordine; nam cum iurisdictio non conferatur ordinatione sed missione, frustra prius daretur omnibus, ut postea ab omnibus auferretur et in unum concentraretur.

176. Igitur dicendum iurisdictionem conferri ab Ecclesia seu a Papa; esse autem divinae institutionis ut alii sint ordine episcopi, alii presbyteri; et illi designati ut habeant ordinariam iurisdictionem pastoralem; hi e contra sint Pastorum coadiutores, vel aliquando extraordinario stent loco Pastorum, vicaria potestate summi Pastoris, idest non repraesentando tunc proprium gradum sed summum Pastorem.

177. Et ratio horum breviter est: Episcopatus est gradus unicus cui a Deo collata iurisdictio perpetuanda, in Ecclesia; presbyteratum invenimus constitutum ut ordine inferiorem; ergo non est ille gradus cui ex divina institutione competit propria iurisdictio. Quid ei competat edicit traditio, et est ut sit coadiutor episcoporum; item cum non sit ille gradus cui competit ordinaria propria iurisdictio, sequitur iurisdictionem ei competere posse tantum vicario nomine vel episcopi, et est infra episcopalis, vel Papae et tunc esse potest quasi episcopalis, imo et supra episcopalis. Ceterum iurisdictio non confertur ordinatione seu consecratione, sed missione; sed est divina intentio ut normaliter mittantur tamquam pastores ordinarii, Episcopi, et ille polleat iurisdictione qui et ordine superior est, et centrum unitatis.

ARTICULUS III.

Excluditur aristocratia episcopalis.

178. Id fit ostendendo in Ecclesia fuisse a Domino institutum primatum non modo honoris sed etiam iurisdictionis, adeo ut regimen Ecclesiae non sit vere aristocraticum. Sit propositio:

« *Christus Dominus primatum iurisdictionis in Ec-*
« *clesiam contulit beato Petro, in eius successoribus*
« *perpetuandum.*

Propositio habet duas partes; 1. de primatu Petri; 2. de eius perpetuitate. I. partem probamus ex sacris litteris.

179. I. Dominus huius rei indicium dedit cum beato Petro nomen mutavit; vocabatur enim Simon, et Dominus eum appellavit Cepham seu Petram.

II. Matt. XVI. constituit eum fundamentum Ecclesiae; et tam solidum ut portae inferi nequeant adversus eam umquam praevalere; sed in societate fundamentum ille est qui principatur in ea.

III. Ibidem promittit ei claves regni coelorum; quae promissio facta est ei singulariter, dum Matt. XVIII. fit omnibus Apostolis simul; hinc Apostoli iuridice clavibus uti non poterant singuli, nisi dependenter a toto collegio aut a persona beati Petri, ne confusio fieret, et unus solveret quod alter ligaret (in facto tamen charisma charitatis efficiebat neque unitatem Ecclesiae neque iuridicam dependentiam eos offendere); est enim de necessitate iuridica potestatis pluribus simul collatae, non posse exerceri nisi subordinate ad integrum collegium, aut ad eum qui iam praecellat. E contra beatus Petrus claves habuit solus; hinc independenter exercendas.

IV. Luc. XXII. 31. 32. datur ei munus singulare confirmandi fratres in fide.

V. Ioan. XXI. committuntur ei agni et oves, seu, fit Pastor Ecclesiae, vicaria Christi potestate, Pastoris invisibilis.

VI. Et beatus Petrus exercuit hunc primatum:

1° Actor. I. 15. quando proposuit eligendum qui Iudae locum teneret.

2° Actor. II. primus praedicavit Hebraeis in die Pentecostes eosque Ecclesiae per baptisma adscripsit.

3° Primus admisit gentiles in Ecclesia. Act. X.

4° Primus sententiam dixit in Concilio ierosolymitano. Act. XV.

180. Prob. II. pars, nempe auctoritatem primatus esse perpetuam et ordinariam, ut supra vidimus; quia semper stabit petra supra quam fundata est Ecclesia, et Claviger, ac confirmator in fide et Pastor ovilis Christi.

Item vidimus successorem beati Petri esse romanum Pontificem.

Et has veritates semper recognovit Ecclesia et universa antiquitas.

ARTICULUS IV.

Excluditur forma mixta ex monarchia et aristocratia in supremo regimine.

181. Remanet quarto loco ostendendum, supremam potestatem residere in summo Pontifice, adeo ut non modo sit primus, sed habeat plenitudinem potestatis in omnes et singulas Ecclesias, non limitatam a corpore episcoporum, ideoque formam supremi regiminis ecclesiastici non esse mixtam ex monarchia et aristocratia, sed mere monarchicam; hinc summo Pontifici

non modo competere potiores partes, sed sententiam definitivam.

Propositio I. — *Potestas primatialis summi Pontificis est iure divino suprema, plena et independens, in universam Ecclesiam tum distributive, tum collective.*

182. Prob. I. ex eo quod ipse sit fundamentum; etenim 1. a fundamento pendet in omnibus quod stet universa domus, ipsum autem est independens a domo. Ergo et a potestate Pontificis pendet in omnibus Ecclesia, ipse autem a nemine.

Id 2. ostendit eius potestatem aeque porrigi ad Ecclesiam universalem collective; fundamentum enim sustentat ipsum aedificium quatenus unum est, et non modo singulos lapides distributive.

Prob. II. ex metaphora *clavium;* dixit Dominus: « Quodcumque ligaveris, quodcumque solveris; » sed haec verba sunt omnino illimitata, tum quoad obiectum, tum quoad personas; hinc respiciunt Ecclesiam tum distributive, tum collective.

Verum quidem est eadem verba (Matt. XVIII.) directa fuisse ad universos Apostolos; sed quia ad omnes simul directa, nequeunt in singulis importare supremam potestatem, sed eam exprimunt collatam collegio, servata natura ipsius collegii; idest si nullus sit in eo praeses, omnes aequaliter concurrent ad votum collegii constituendum, ut in senatu mere aristocratico; si iam sit in eo qui praevalet potestate, indicaret ceteros vocatos ad participandam eius sollicitudinem, adeo ut sit in Primatis potestate exercere plenitudinem iuris, vel solus, ut est persona physica, vel ut est caput personae moralis, seu collegii sibi cooperantis et adhaerentis. Iamvero cum claves promissae sunt Apostolis (Matt. c. XVIII.), iam singulariter fuerunt promissae b. Petro.

Prob. III. ex Luc. XXII. « Ecce Satanas expetivit vos « ut cribraret sicut triticum. Ego autem rogavi pro te « ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus « confirma fratres tuos ». Sed Satanas expetit omnes simul; hinc et Petro commissa cura confirmandi omnes simul; et quidem potestate suprema, cum eius fides non deficiat.

Prob. IV. ex Io. XXI. « Pasce agnos, pasce oves; » sed pastor pascit auctoritate suprema, plena et independenti, et quidem integrum ovile collective sumptum.

Propositio II. — *Potestas primatialis est suprema etiam dogmatice, seu infallibilis*

183. Prob. I. ex citatis textibus; nam 1. praevalerent portae inferi adversus Ecclesiam, si fundamentum erraret in fide, quia et aedificium careret fundamento;

2. quando Petrus ligaret dogmatice in terris, non semper ligaret Deus in coelis, ideoque verba generalissima « quodcumque ligaveris » non essent amplius vera;

3. textus Luc. XXII. est expresse de iure dogmatico;

4. textus quoque Io. XXI. probat ius dogmaticum, quia pascua spiritualia in recta fide consistunt et moribus; sed si pastor supremus non esset infallibilis, iam ad pascua venenata duceret ovile.

Prob. II. ex traditione a theologis.

Prob. III. ex ipsa rei natura. Etenim potestas magisterii includitur in potestate iurisdictionis, ut vidimus ab initio iuris publici lib. I. n. 48. Et sane cum agamus de societate religiosa, gubernatio personarum, in qua consistit iurisdictio, maxime et fundamentaliter versatur in rectae fidei institutione; igitur vel huiusmodi societas non est infallibilis, ideoque imperfecta in genere suo, vel infallibilitas competere debet ei qui pollet

suprema iurisdictione, ut in ea comprehensa. Accedit, si in alio resideat subiecto, hoc aliquando corrigeret supremum pastorem, idest si hic praescribendo leges disciplinares erraret in fide. Ergo eius potestas iurisdictionalis non modo limites haberet in obiecto, sed et in modo in ipsa materia disciplinari.

184. Suprema potestas summi Pontificis non excluditur a suprema potestate concilii generalis; etenim hoc non est legittimum sine Pontifice; neque in eadem societate repugnat duplex subiectum supremae potestatis, physicum et morale, quia non est adaequate distinctum. Neque ex necessitate confirmationis Pontificis sequitur episcopos non esse in concilio iudices, sed tantum non esse iudices supremos. Ceterum sunt iudices, quia ibi sedent tamquam potestas ad quam simul cum Pontifice et sub eo spectat pascere populum Dei; hinc sicut auctoritate propria pascunt, ita et iudicant. Est proinde in facultate Pontificis exercere supremam potestatem vel ut persona physica, vel ut caput personae moralis seu collegii pastoralis.

185. Facilius intelligitur episcopos esse iudices cum Pontifex nondum pandit sententiam suam; sed quid cum iam manifestavit? ipsi iam liberi non sunt. Sed character examinis iudicialis non constituitur ex libertate sententiae proferendae hoc vel illo sensu; secus quicumque certo cognoscit veritatem antecedenter, nequiret iudicare; sed in eo est ut quis examinet auctoritative seu ex officio et non tantum doctrinaliter; hinc est et in conciliis posterioribus aliquando rursus examinari quaestiones dogmaticas iam definitas in anterioribus, ut in concilio Vaticano sess. III.; et tamen hoc Patrum examen nequit esse dubitativum, vel in sua sententia contradicere antecedentibus. Ergo a pari episcopi possunt tamquam iudices examinare quae Pon-

tifex iam edixit, ut in concilio Chalcedonensi. Iudicis enim officium est ius ferendi veram sententiam causa auctoritative cognita.

186. *Scholion.* Ad omnes errores circa constitutionem Ecclesiae refutandos, sufficeret haec veritas, de plenitudine potestatis collata summo Pontifici. Etenim excluditur I. ius populi; secus vel summus Pontifex non haberet immediate a Deo suam auctoritatem, vel cum limitatione si penderet a populo in eius exercitio, vel si populo spectaret electio pastorum. Hinc refutati remanent tum protestantes, tum richeriani.

II. Item excluditur elementum aristocraticum limitans potestatem Pontificis; hinc et electiones non modo ad populum non spectant, sed neque ad clerum aut ad episcopatum; secus eius potestas non esset plena et independens.

III. Item refutantur febroniani, qui ius primatus attenuant; est enim plena potestas regendi, et non tantum consociationis, ordinis, inspectionis, et centrum communionis et unitatis.

IV. Refutantur iidem febroniani et gallicani, quatenus summi Pontificis potestas fertur in Ecclesiam collective et non modo distributive. Obiectio quae ex sess. IV. et V. concilii Constantiensis desumitur, solvitur in locis theologicis.

V. Item summi Pontificis potestas est immediata, quia quodcumque ligat et solvit; item immediate confirmat in fide, et pascit omnes qui sunt agni Christi; hinc est et ordinaria, cum ei cura de singulis confirmandis et pascendis data sit, cum potestate singulos ligandi aut solvendi.

VI. Item nequit admitti distinctio inter iura primatus essentialia et accidentalia eo sensu quo a Febronio asseritur. Etenim in eo qui habet plenitudinem ordi-

nariae potestatis, nullum in suo ordine augmentum accidentale potest supervenire. Tamen poterit haec distinctio admitti alio sensu, quatenus quorumdam iurium exercitium sit necessario reservatum summo Pontifici, et quaedam sint delegabilia aut reservabilia, in quibus proinde diversa disciplina obtinere potest pro temporum diversitate, ut vidimus distinguendo diversas species causarum maiorum.

VII. Relate ad id quod gallicani et postea iansenistae asseruerunt de limitatione apposita Pontifici a canonibus veteris Ecclesiae et a consuetudinibus nationis gallicanae, animadvertimus quoad canonum mutabilitatem in genere: 1° Canones aliquos esse iuris divini, ideoque ipsorum dispositionem non esse ab Ecclesia conditam, sed tantum auctoritative propositam. Hinc hi canones ligant et summum Pontificem; tamen

2° potest eos interpretari, ut quando agitur de iure positivo, declarando eos in nonnullis circumstantiis non obligare, utpote qui ad hos casus non respiciunt.

3° Nonnulli canones sunt de iure divino quoad substantiam, sed non quoad modum; ex. gr. clericos ius habere ad alimenta, est iuris divini; modus ecclesiastici; hinc decimae sunt iuris divini quoad substantiam, quamvis non quoad modum; et proinde hos Papa et interpretatur et modificat, seu mutat modum.

4° Alia est ratio potestatis, alia honestatis; hinc Papa sine rationabili causa, valide quidem sed illicite, aboleret canones etiam mere ecclesiasticos.

Hinc merito Facultas parisiensis damnavit assertionem, Papam posse universum ius canonicum abolere; etenim 1. nequit abolere canones iuris divini; 2. licite neque ceteros sine rationabili causa.

5° Et quoniam in nonnullis canonibus numquam aderit rationabilis causa, utpote quorum utilitas non pendet

a mutabilibus circumstantiis sed ab ipsa humana indole, hinc numquam mutabuntur.

6° E contra si fiant noxii aut inutiles, sunt abolendi; neque enim inutiliter est gravanda plebs christiana.

7° Tamen iudex competens rationabilitatis huius abrogationis est ipse summus Pontifex.

8° In dubio autem aut si parva sit utilitas, res mutandae non sunt donec in moribus vivunt, quia, ut aiebat sanctus Augustinus, « mutatio disciplinae quae « utilitate iuvat, novitate nocet ». Igitur vel ex necessitate, vel ex notabili utilitate.

9° Quo antiquiores canones, minus immutandi, cum repraesentent unitatem communionis cum antiquis Patribus et ostendant sensibiliter perpetuitatem et identitatem Ecclesiae, et habeant suffragium saeculorum.

Hinc institutiones apostolicae difficilius immutantur, etsi de reliquo non sint fundatae in magna permanente utilitate.

10° In specie mutatio disciplinae non est admittenda, quando novitas videatur postulari ex principio haeretico. Ita non fuit usus calicis concessus novatoribus saeculi XVI. quia videbatur peti ex defectu fidei in praesentiam totius Christi sub specie panis.

Fuerat autem saeculo XV. concessus Bohemis, dummodo antecedenter ederent professionem fidei idoneam, quod cum non praestarent, retractatum est.

11° Item si principes aliquam concessionem petant ut sibi debitam regio iure, eis adhaerendum non est.

187. II. Quoad consuetudines speciales alicuius Ecclesiae, puta Gallicanae:

Ipsae 1° nequeunt limitare auctoritatem summi Pontificis; et omnes nationes pollent pari iure; hinc rex Angliae producebat suas *consuetudines* regni, adversus ecclesiasticam libertatem; secus non una esset Ecclesia

universalis, sed multae nationales. Hinc privilegia specialia, si quae sint, perdurant donec Pontifex consentit; quod si expresse dissentiat, cessant.

2° Per se magis expedit uniformitas disciplinae inter omnes Ecclesias particulares.

ARTICULUS V.

Specialis animadversio in Decretales Isidori Mercatoris.

188. Febronius repetens quae protestantes iam obiecerant, asserit falsas Isidori Decretales causam fuisse ampliandis iuribus sanctae Sedis in detrimentum praesertim metropolitarum.

Verum quoad has Decretales distinguenda est quaestio critica a quaestione iuridica;

I. est an Decretales ante Siricium, allatae ab Isidoro, idest quatuor priorum saeculorum, sint genuinae vel non;

II. est an doctrina et disciplina quam exhibent sit genuina, idest admissa ab Ecclesia eo tempore quo collectio isidoriana prodiit, vel conficta ab ipso Isidoro.

Iamvero prima quaestio a criticis iam a plurimo tempore resolvitur unanimiter negative, et rationes exponuntur in institutionibus iuris canonici. Pro re nostra haec in memoriam revocamus; 1. de historia; 2. de critica; 3. iuridice.

§ 1.

QUAESTIO HISTORICA.

189. Haec collectio prodiit in Germania, videtur Maguntiae, tamquam ex Hispania allata, sub titulo Isidori Mercatoris, vel iuxta alios codices, Peccatoris, quod nomen tunc a pluribus humilitatis causa assumebatur.

In codice vaticano habetur: « Incipit praefatio sancti « Isidori episcopi; Isidorus Mercator servus I. C. lectori « conservo suo et parenti in Domino fidei, salutem ». Phillips (1) ait, impossibile esse determinare an collectio hispanica quae ibi erat in usu et cui innititur collectio pseudo Mercatoris, iam haberet nomen a sancto Isidoro hispalensi, cuius tempore formata est, quamvis postea aucta praesertim apocryphis decretalibus. Collectio hispanica habet duas partes; isidoriana tres, quia addit decretales ante Siricium papam.

190. Collectio Mercatoris edita est circa medium saeculum IX. cum referat canones Concilii parisiensis anni 829; item loca ex litteris Gregorii IV. anni 832; item loca quae videntur Concilii aquisgranensis an. 836; sed an. 857 citatur in diaeta imperii. Ergo ante hoc tempus fuit composita (2).

191. In prima parte continet epistolas romanorum Pontificum a s. Clemente I. ad Sylvestrum; in secunda canones conciliorum tum generalium tum particularium; in tertia epistolas a sancto Sylvestro ad sanctum Gregorium Magnum.

192. Auctor incertus; sed manifestat se virum francum. Vide Bernardi Iungmann, *Dissertationes selectas historiae ecclesiasticae, tom. 3.*

193. Romae toto saeculo IX. fuit in usu tantum collectio dionysiana; etenim sanctus Leo IV. anno 849 ad consulta episcoporum Britanniae respondens (3) testatur Sedem apostolicam in iudiciis ecclesiasticis sequi tantum canones et decretalium regulas, et ea recenset

(1) Des principes du droit, vol. 4. pag. 44.

(2) Walter, Manuale di diritto can. vol. I. pag. 175.

(3) In epist. quae extat apud Sirmondum tom. 3. concil. Galliae, unde haustus est canon *de Libellis*, dist. 20.

quae sunt in collectione Dionysii Exigui, nulla facta mentione decretalium ante Siricium. In aliquibus tamen codicibus adduntur acta sancti Sylvestri, sed inter acta conciliorum, non epistolarum pontificum, et haberi possunt ut addita postea (1).

Etiam Nicolaus I. (anno 863) scribens ad Hincmarum archiepiscopum rhemensem eis non utitur; sed tantum Nicolaus II. eas citat sub finem saeculi XI. quando ab omnibus susceptae fuerant.

194. Etenim vix publicata haec collectio, pacifice fuit ubique suscepta, exceptis nonnullis capitibus, reiectis ab Hincmaro rhemensi et nonnullis aliis Galliae episcopis cum eo et sub eo.

Quae non fuerant reiecta ex motivis criticis sed iuridicis. Etenim Isidorus Mercator statuit inter causas maiores ferendas ad sanctam Sedem, esse criminalia iudicia episcoporum; item celebrationem conciliorum provincialium indigere eiusdem sanctae Sedis permissione; hinc favebat episcopis prae metropolitis.

Hincmarus autem rhemensis causam habebat cum nepote suo Hincmaro episcopo laudonensi, quem in synodo provinciali deposuit et in carcerem posuit eo ad Papam appellante.

Item Rotaldus episcopus suessionensis, depositus in synodo provinciali silvanectensi ab eodem Hincmaro rhemensi anno circiter 863, appellavit ad eumdem papam Nicolaum I. qui utriusque appellationem suscepit.

Hincmarus autem lib. 55. capitulor. c. 25. et 34. se tuetur auctoritate Gelasii papae, dicendo: « Sacra con-
« cilia eorumque canones inviolabiliter servandos; has
« autem epistolas (Decretales ante Siricium) pro con-
« solatione quorumdam directas, venerabiliter ad in-

(1) Douiat, Praenotiones iuris canonici, pag. 316.

« structionem suscipiendas ». E contra constituit inter recepta, epistolas Innocentii, Leonis, Gelasii etc. (1).

Igitur reiicit ipsarum auctoritatem, non genuinitatem.

195. Nicolaus autem papa I. in responsione ad episcopos Galliae, idest synodi cui Hincmarus praefuerat, respondit causas omnium episcoporum esse maiores, et non tantum metropolitarum, ut contendebat Hincmarus; sed ius pontificium eas iudicandi non vindicat ex decretalibus Isidori, sed ex ipsa natura primatus pontificii (2).

196. Primus qui dubitavit de genuinitate decretalium Isidori, fuit Petrus Comestor canonicus parisiensis, anno 1160.

Card. Cusanus eas aperte reiecit anno 1450.

Dubitavit Bellarminus, Baronius et Du Perronius: ante omnes autem Antonius Augustinus episcopus tarraconensis, initio saeculi XVII. etiam fontes ostendit ex quibus Isidorus deprompsit merces suas.

Inter protestantes autem David Blondellus an. 1640 plene tractavit de suppositione decretalium ante Siricium.

§ 2.

QUAESTIO CRITICA.

197. Argumenta quibus critici excludunt genuinitatem primae partis collectionis Isidorianae, de qua tantum est quaestio, sunt sequentia:

I. argumentum negativum.

Decretales ante-siricianae ignoratae sunt ab universa

---

(1) Douiat, op. cit. pag. 316.

(2) Phillips, op. cit. vol. 4. pag. 56.

antiquitate; exceptis enim duabus epistolis sancti Clementis I. ad Corinthios et nonnullis fragmentis, ceterae ignotae fuerunt; hinc Dionysius Exiguus Romae commorans sub finem saeculi V. non alias potuit invenire quam a Siricio sub finem saeculi IV.; non quod Pontifices decretales non scripsissent, sed quod temporum iniuria perierant, seu conservatae non fuerant. Non est autem verisimile saeculo IX. mediante in Germania potuisse tot inveniri, non unam vel alteram. Et etsi inventae fuissent, cum ignotus sit collector et ignoti fontes unde derivatae, non essent attendendae.

Sed 2° accedunt argumenta intrinseca.

I. Stylus harum decretalium est omnino barbarus; sed id de omnibus Pontificibus credi non potest.

Obiicitur multa documenta graece esse conscripta, ideoque interpreti latino id vitii imputari posse.

Sed inverisimile est omnes Pontifices priorum quatuor saeculorum graece semper scripsisse et cum decretales dirigerent ad occidentales, gallos, hispanos etc., apud quos nullus fuit graecae linguae usus.

II. Idem est stylus pro omnibus Pontificibus; quod pariter inverisimile, neque interpreti ex dictis aptari potest.

III. Citant sacram Scripturam iuxta versionem sancti Hieronymi et in monumentis I. II. et III. saeculi et IV. ante ipsum Hieronymum.

Hinc oporteret supponere, propagata hieronymiana versione, citationes omnes ad eius normam in antiquis decretalibus fuisse correctas,; quod non est credibile, cum in aliis antiquis monumentis factum non sit.

IV. Plura sunt ad verbum ex Patribus saec. IV. V. et VI., vel ex legibus et scholiis Aniani quae extant in codice theodosiano, post eas decretales publicato; et non est verisimile subsequentes Patres et legislatores

haec ad verbum desumpsisse ex antiquis decretalibus absque ulla citatione.

Tandem V. plura facta historica ibidem relata non concordant cum certis monumentis aliunde notis.

§ 3.

QUAESTIO IURIDICA.

198. Ex his apparet I. huius suppositionis in culpa non fuisse romanos Pontifices, cum et in Germania publicata sit collectio Isidori, et a romanis Pontificibus non citata nisi duobus saeculis postquam ubique recepta erat, ideoque centuriatores magdeburgenses et iansenistas calumniari romanam Ecclesiam cum ex eius fraude confectam dicunt.

II. Etsi documenta primae partis huius collectionis sint critice apocrypha, tamen, generatim loquendo, sunt iuridice vera; etenim 1° collector dat formam decretalis, sententiis Patrum, ut diximus, vel aliis antiquis documentis, inter alia eis quae continentur in libro pontificali, in quo sunt biographiae pontificum, vel in historia Rufini et Cassiodori.

2° Ideo sine contradictione, exceptis nonnullis capitulis impugnatis ab Hincmaro, collectio isidoriana fuit ubique suscepta, quia exprimebat vigentem disciplinam Ecclesiae; et id tam verum est ut ipse Blondellus expresse fateatur.

3° Omnia iura romanae Sedis demonstrantur antiquioribus genuinis documentis. Ita ius suscipiendi appellationes iam fuerat non modo exercitum pluries, sed aperte constitutum in Concilio sardicensi saec. IV.

Ergo falso Febronius repetit acquisitionem plurium iurium romanae Sedis a falsa collectione Isidori Mercatoris.

APPENDIX

IURIS PUBLICI ECCLESIARUM ACATHOLICARUM

§ 1.

ECCLESIAE ORIENTALES SCHISMATICAE

199. 1° Ecclesia constantinopolitana iam ab antiquis temporibus indolem suam schismati proclivem ostendit, cum dignitatem patriarchalem et quidem honore prae ceteris Orientis patriarchis in Concilio constantinopolitano I. can. III. et in chalcedonensi can. XXVIII. indebite sibi vindicaverit; restitit ab initio Sedes Romana; deinde pro bono pacis toleravit, et tandem Innocentius III. agnovit. Pariter non modo subiecit sibi Ecclesias trium exarcharum, eracleensis in Thracia, ephesini in Asia et caesariensis in dioecesi Ponti, sed et provincias plures occidentales quae a Romano patriarchatu pendebant, ut Macedoniam, Epirum, Prevali et alias praefecturae Illirii, adiuvante auctoritate imperiali, etiam artis politicae causa, ut orientale imperium roboraretur.

200. Saeculo VI. anno 587 Ioannes ieiunator titulum suscepit patriarchae oecumenici, etsi id mitius explicaretur, restrictive ad Orientem; restitit s. Gregorius Magnus.

Schismatica autem facta est sub Photio anno 858, et sub imperatore Michaële III.; sed unitas restituta est sub Basilio imperatore anno 867, qui s. Ignatium reintegravit. Mortuo sancto Ignatio, Photius revocatus est anno 878, et rursus eiectus anno 886.

Saeculo XI. anno 1053 Michaël Cerularius patriarcha schisma renovavit.

Unio restaurata est in Concilio lugdunensi II. sub

beato Gregorio X. anno 1274; sed post decem annos rursus in schisma ruerunt.

Anno 1369 imperator Ioannes V. Paleologus Romam venit et iuravit unionem, sed sectatores non habuit.

In Concilio florentino anno 1438 restaurata unio; sed monachorum suasione fere omnes in schismate remanserunt.

Suprema potestas theorice est in synodo episcoporum.

2° Ecclesia Russiae, cuius metropolita Kiovviae pendebat a patriarcha constantinopolitano, in schisma quoque pertracta est anno 1297. Sedes metropolitana Wladimirum translata est, et anno 1328 Moscoviam.

Basilius III. anno 1447 elegit ipse metropolitam, qui antea a patriarcha constantinopolitano dabatur, et anno 1589 dignitate patriarchali insignitus est, et an. 1593 a ceteris quatuor patriarchis Orientis agnitus.

Petrus I. imperator, mortuo patriarcha anno 1700, alium non suffecit, sed per exarcham et synodum regebat, et anno 1721 sacram synodum instituit, idest quoddam collegium ecclesiasticum ab imperatore nominatum et sub eius directione; hinc suprema potestas Ecclesiae Russiae est ipsa auctoritas civilis.

En formula iuramenti quod a membris s. Synodi praestandum est: « Confiteor porro et iureiurando as- « severo, supremum huius collegii iudicem esse ipsum « totius Russiae monarcham dominum nostrum cle- « mentissimum ». Ita habet Statutum canonicum Petri magni, Petropoli 1785.

3° Ecclesia regni Graeciae ex lege 23 Iulii, idest 4 Augusti, iuxta correctionem gregorianam, anno 1833, subtracta est a patriarcha constantinopolitano, et regitur a sancta synodo Graeciæ sub primatia regis et ministri ad id instituti. Hinc in ultima analysi, pendet ab auctoritate civili.

4° Principatus minores, idest regna Rumeniae et Serviae et principatus Bulgariae, pariter reguntur ut regnum Graeciae; in principatu Montisnigri, et maior est auctoritas civilis in re religiosa.

§ 2.

DE PROTESTANTIBUS.

201. Apud ipsos obtinent tria systemata; episcopale, territoriale, collegiale. Systema episcopale obtinuit in sola Germania. Cum anno 1555 diaeta Augustae suspendisset et de *iure* (politico) omnem auctoritatem episcoporum pro adhaerentibus confessioni augustanae, deduxerunt auctoritatem episcopalem disciplinarem provisorie devolutam esse principibus.

202. Eodem fere tempore in Hollandia praevalebat principium: Principis esse moderari disciplinam exteriorem, quatenus princeps est. En systema territoriale ab Hugone Grotio defensum, quod et in Anglia obtinuit, et proinde effatum: illius est religio, cuius est regio.

203. Systema collegiale considerat Ecclesiam ut collegium distinctum a statu et autonomum; sed statui competit ius maiestaticum erga Ecclesiam, ut erga omnia alia collegia; insuper facto populi in principem translatum est et ius quo Ecclesia pollebat regendi se ipsam, etsi sub vigilantia principis. Id defendit Voet in Hollandia (anno 1676), Pfaff in Germania et plures alii.

Ex quibus omnibus patet solam Ecclesiam catholicam profiteri et defendere suam naturam societatis perfectae a civili distinctae et independentis, in hoc quoque explicando robur suum divinum.

INDEX ET SUMMARIUM

LECTORI BENEVOLO

Pag.

I. Praesentes institutiones iuris publici ecclesiastici supponunt sacrae theologiae partes plures, praesertim locos theologicos et plures historiae ecclesiasticae notiones. III

II. Ratio qua traditur ius ecclesiasticum in scholis Pontificii Seminarii Romani VI

III. Differentia inter institutionum et textus canonici scholam . . . . . »

IV. Diversa ratio institutionum tradendarum. . . VII

V. Recentioris bibliographiae specimen. . . . VIII

PRAEFATIO

§ 1.

Ius Ecclesiae in hominem.

VI. Essentialis hominis dependentia a Deo, qui est proprius eius finis, et hominis recessus a Deo per peccatum XVII

VII. Omnia restaurantur in Christo . . . . . »

VIII. Missio Christi visibiliter perpetuatur per Ecclesiam XVIII

IX. Ius Ecclesiae in hominem et in societatem . . »

Pag.

§ 2.

Hominis recessus a Deo, logica gradatione.

X. Atheismus, Deismus XVIII
XI. Protestantes XIX
XII. Schismatici . . . . . »
XIII. Regalistae, Iansenistae, Richeriani, Gallicani, Febroniani . . . . . »
XIV. Praescindentes. XX

§ 3.

Hominis recessus a Deo, ordine historico.

XV. Pagani XXI
XVI. Plures romani imperatores christiani . . . XXII
XVII. Imperatores romano-germanici, et alii reges occidentis. . . . . »
XVIII. Protestantismus . . . . . »
XIX. Rationalistae, theistae, et athei . . . . »
XX. Praescindentes inter catholicos XXIV

PROLEGOMENA

§ 1.

Notio iuris publici ecclesiastici

I. Quid sit ius.

1. Ius praecipue sumitur subiective seu formaliter, et efficienter 1
2. Quid sit facultas moralis. 3
3. Ius proxime refertur ad actiones, remote ad obiecta. »
4. Ius sumptum efficienter . . . . . »
5. Lex Dei aeterna . . . . . »
6. Ius in sensu legali 4

II. Quid sit ius publicum.

7. Ius residet in persona. . . . . »
8. Officium seu obligatio. . . . . »

Pag.

9. Ut ius nostrum ceteros obliget, oportet eis innotescat 4
10. Deficiente convenienti probatione, ius est extrinsece imperfectum 5
11. Iura perfecta et imperfecta intrinsece. . . . »
12. Officia iuridica et mere moralia . . . . . »
13. Subiectum et terminus obligationis est persona, cuius intuitu tantum cetera aliquando dicuntur terminus obligationis 6
14. Quid sit persona metaphysice et iuridice . . . 7
15. Persona physica et moralis . . . . . »
16. Societas; amicalis et iuridica. . . . . »
17. Corpus morale et persona collectiva . . . . »
18. Persona fictitia, seu ens morale . . . . . »
19. Persona perfecta et imperfecta 8
20. Omnis persona physica est de se imperfecta . . »
21. In societate persona sumitur restrictive . . . »
22. Ius personarum imperfectarum est privatum . . 9
23. Ius publicum subiective sumptum, est ius societatum perfectarum . . . . . »
24. Ius publicum sumptum efficienter. . . . . »

III. Quid sit ius publicum ecclesiasticum, eiusque divisiones.

25. Ius publicum ecclesiasticum, subiective . . . 10
26. Ius publicum ecclesiasticum divinum et humanum. »
27. Definitio scientiae iuris publici ecclesiastici divini. 11
28. Eius fons est revelatio; qua ratione principia naturalia in eo adhibeantur . . . . . »
29. Ius publicum ecclesiasticum efficienter. . . . 12
30. Ius privatum ecclesiasticum. . . . . »
31. Iuris publici divini disciplina, ostendit quomodo legittime oriri possit et ius publicum Ecclesiae humanum . . . . . »
32. Sententia statuens ius publicum tradere officia ma-

Pag.

gistratuum et ius privatum officia plebis, non est exacta. 13

33. Neque exacta est sententia adsignans iuri privato iura et officia generica christiani, et iuri publico, iura et officia specialia pastorum et subditorum. 14

34. Laudatur sententia Iustiniani. 15

35. Sententia Francisci Schmier appellantis ius publicum quod Ecclesiam constituit, vera est si de iure publico divino intelligatur. . . . . »

36. Immerito Phillips reiicit distinctionem iuris ecclesiastici in privatum et publicum . . . . . »

37. Ius publicum et privatum etsi distincta, maxime connectuntur 16

38. Differentia inter ius publicum et privatum est duplex, ex parte obiecti et fontis. 17

§ 2.

Divisio iuris publici ecclesiastici divini.

39. Dividitur in internum et externum . . . . . »

§ 3.

Differentia iuris publici ecclesiastici cum affinibus disciplinis.

40. 41. Non differt ratione fontis, neque obiecti partialis, sed respectus cum dogmatica, quia haec considerat veritates de Ecclesia, speculative . . 18

42. Moralis eas considerat practice, sed pro foro interno; ius canonicum pro foro externo, sed prout referuntur ad regimen fidelium; ius publicum prout referuntur ad operationem politicam Ecclesiae. 20

43. Ius canonicum subordinatur iuri publico, et hoc theologiae, et theologia moralis dogmaticae . . »

44. Ecclesiae definitiones atque interpretationes in iure

Pag.

sumuntur ut principia; in theologia dogmatica ut conclusiones 20

45. Cum reiicientibus revelationem, defenditur ius Ecclesiae ad hominem. 21

§ 4.

Ordo tractationis.

46. Pars generalis determinat fundamentalia principia iuris publici ecclesiastici; pars specialis ex iisdem evolvit plures quaestiones; liber I. primae partis loquitur de ipsa potestate Ecclesiae; liber II. de subiecto potestatis Ecclesiae 22

PARS PRIMA GENERALIS

LIBER I.

DE ECCLESIAE POTESTATE IN SE SPECTATA

§ 1.

Finis Ecclesiae, remotus et proximus.

47. Finis Ecclesiae remotus est hominum salus aeterna; proximus, eorumdem sanctificatio 23

§ 2.

Potestas ordinis, iurisdictionis et magisterii.

48. Potestas ordinis est potestas conficiendi et administrandi Sacramenta et sacramentalia; potestas iurisdictionis est ius regendi fideles in fide et moribus. Magisterium aliud est doctrinale, aliud auctoritativum; hoc spectat ad potestatem iurisdictionis . . . . . »

49. Differentiae praecipuae inter potestatem ordinis et iurisdictionis; illius exercitium cadit sub iurisdictione, de qua directe et proprie agit ius publicum. 24

50. Divisio libri primi 25

Pag.

CAPUT I.

DE POTESTATE SOCIETATIS PERFECTAE IN GENERE

ART. I.

Societatis humanae analysis et divisiones

51. Definitio societatis humanae 26
52. Societas iuridice voluntaria et necessaria . . . 27
53. Societas exigit quatuor, idest 1. multitudinem; 2. unitatem; 3. finem; 4. media . . . . . »
54. Unitas finis potest esse collectiva. 28
55. Societas amicalis et iuridica . . . . . »
56. Multitudo est materia, finis est forma extrinseca societatis, et ab eo fluit natura conspirationis et mediorum 29
57-59. Societas completa et incompleta, idem est ac perfecta et imperfecta . . . . . »
60. Explicatur notio societatis perfectae 31
61. Societatum subordinatio ratione finis et ratione materiae, seu subalternatio 32
62. Finis praestat ceteris elementis societatis . . . 33
63. Ex natura finis pendet unicitas vel pluralitas societatis. 34
64. Ex fine pendet status iuridicus societatis . . . »
65. Ex fine pendet aliqualiter et interna societatis constitutio; societas aequalis et inaequalis. . . 35
66. Societas organica et inorganica 36
67. Organizatio per synthesim vel per analysim . . 37
68. Societas civilis est organica et inaequalis; familia est inaequalis et secundum quid organica . . 38
69. Ius patrum-familias in prima formatione societatis civilis . . . . . »
70. Societas supernaturalis non exigit aequalitatem . »
71. Ex fine oritur ius societatis ad operandum . . »
72. Regulae servandae in conflictu legum. . . . 40
73. Ius dominii et quidem stabilis cuilibet societati per-

Pag.

fectae competit. Iurisdictionem autem exercet in territorio sibi respondente 40

74. Perfectio realis societatis ex perfectione quatuor elementorum, quae est maxima in Ecclesia . . 41

Societas perficit individuos . . . . . »

ART. II.

De potestate societatis perfectae in suos

Divisio articuli . . . . . »

SECTIO I.

Generatim, de potestate societatis perfectae in suos

§ 1.

Societas iuridica est persona moralis.

75. Definitio societatis iuridicae 42

§ 2.

De quantitate iuris socialis in se inspecti.

76. Status quaestionis. 43

77. In societate necessaria, ius sociale praevalet summae iurium singulorum 44

78. Societas coniugalis est libera in individuo, necessaria in genere 45

79. In societate plene voluntaria, ius sociale est summa iurium singulorum sociorum . . . . . »

80. Tamen ius societatis voluntariae est per accidens melius ac ius singulorum 46

§ 3.

Quae et quanta sit potestas societatis perfectae relate ad suos.

Propositio: 1. *Quae sunt necessaria vel utilia ad finem plene consequendum, societas perfecta a sociis exigere iure potest;*

2. *Quae non sunt necessaria vel utilia ad finem, exigere non potest;*

Pag.

3. *Quae sunt necessaria sed pertinent ad ordinem quemdam superiorem, ea per se ordinare et determinare non valet; sed*
4. *determinata a competente auctoritate, iure, per se loquendo, urgere potest.* 47
81. Probatur prima pars . . . . . »
82. Societas ducit socios ad perfectionem relative, non absolute, inspectam . . . . . »
83. Societas I. iure eligit inter plura media idonea . 48
II. auctoritative declarat cum unica sunt . . . 49
84. Si putet esse unica, cum plura sunt, standum est eius determinationi . . . . . »
85. Probatur secunda pars . . . . . »
86. Cum societas praecipit nociva, sed non inhonesta, etsi per se non obligentur socii, obligari possunt per accidens 50
87. Probatur tertia pars . . . . . »
88. Probatur quarta pars. . . . . »
89. Qui ius habet ad finem, ius habet ad media, servato ordine finium, et servata subordinatione . 51
90. In societate I. necessaria est auctoritas, seu ius socios obligandi in ordine ad consecutionem finis socialis . . . . . »
II. auctoritas requirit subiectum 52
91. Subiectum auctoritatis nequeunt esse singuli socii distributive. . . . . »
92. Ratio qua determinatur subiectum auctoritatis, est forma regiminis socialis 53
93. Subiectum auctoritatis est unum physice vel moraliter. . . . . »
94. Multitudo est materia, auctoritas concreta est forma societatis in concreto 54

§ 4.

De origine potestatis socialis in se inspectae.

95. Origo iuridica et historica societatis . . . . »

Pag.

96. In societate necessaria, potestas in se inspecta emanat a iure praevalente; in societate libera, a iure sociorum 55

§ 5.

De origine potestatis socialis in subiecto.

97. Formae regiminis simplices, et mixtae . . . »
98. In societate voluntaria, subiectum potestatis sunt ipsi socii, qui tamen eam delegare valent . . »
In societate necessaria, si subiectum potestatis non fuerit determinatum a lege divina, determinatur factis humanis. 56
99. Hinc neoterici deducunt subiectum essentiale potestatis civilis esse populum . . . . . »
100. Doctores scholastici docebant potestatem civilem immediate a Deo conferri populo, et ab eo transferri in principem, vel optimates. . . . »
101. Imo Bellarminus hanc translationem habet ut obligatoriam; sed immerito 57
102. Sed verius populus designat tantum subiectum civilis potestatis . . . . . »
103. Neque praesumitur designasse semetipsum quando formam regiminis democraticam non elegit . 58
104. Hinc potestas socialis est in societate, sed non necessario est in multitudine. Tamen in bonum populi constituta est 59

§ 6.

Divisio potestatis societatis perfectae in suos.

105. Dividitur in legislativam, iudicialem, executivam. »
Iudicium aliud civile, aliud criminale. . . . 60
106. Potestas executiva complectitur gubernativam, administrativam, coactivam . . . . . »

Pag.

SECTIO II.

De potestate legislativa speciatim

§ 1.

Notio et divisiones legis.

107. Notio et qualitates legis. 61
108. Divisiones: lex affirmativa et negativa; naturalis et positiva; irritans et prohibens . . . . . »
109. Lex permissiva, per se et per accidens . . . »

§ 2.

De legis promulgatione.

110. Requiritur 1. propositio facta a legislatore; 2. communitati; 3. ut obligatoria. 62
111. I. Non requiritur intimatio personalis . . . 63
II. Obligat et successores, etiam ex eo quod societas est persona perpetua . . . . . »
III. Sufficit publicatio in eo loco facta, ex quo notitia dimanare possit ad integram societatem. 64
IV. Obligat ante subditorum acceptationem, iisdemque invitis . . . . . »

§ 3.

De materia legis in genere.

112. Oportet sit honesta et utilis; admittit collisionem cum iure inferiori; item abrogationem aut derogationem, nec non dispensationem . . . »
113. Ex fine societatis desumitur legum utilitas . . »
114. *Scholion.* Societatibus imperfectis, sed aliqualiter autonomis, competit aliqualis legislativa potestas 65

Pag.

SECTIO III.

Speciatim de potestate iudiciali

§ 1.

Enucleatur natura potestatis iudicialis.

115. Potestas iudicialis est ius declarandi conformitatem vel difformitatem actionum sociorum legi, et legittimos relativos effectus 65
116. 117. Differt a potestate arbitrorum; 1. quia exercetur et in invitos; 2. coactive . . . 66
118. Nemo iudex in causa propria . . . . . »
119. Excipitur princeps 67
120. In societate imperfecta sed aliqualiter autonoma, est aliqualis potestas iudicialis . . . . . »

§ 2.

Adnotanda pro recto exercitio potestatis iudicialis.

121. I. Iudicia ita instituantur ut iustitia facile appareat iudicibus 68
II. Populo facile appareat iudicum iustitia . . »
III. Ius suum prosequenti minimum relativum incommodum inferatur 70
IV. Societatis numerositas importat institutionem iudicum inferiorum graduum . . . . . »
V. Hinc instituenda appellatio, exceptis minimis negotiis . . . . . »
VI. Iudices recte instituendi theorice et practice; facilis accessus pateat ad tribunal; ministerium publicum ex officio invigilet . . . »
VII. Sententiae, promptae demandentur executioni. 71

SECTIO IV.

Speciatim de potestate executiva

122. Materia huius articuli. . . . . »

Pag.

§ 1.

Existentia et natura potestatis coactivae.

123. Propositio. *Societati perfectae competit vis coactiva.* 71
124. Vis coactiva est medium necessarium et proportionatum ordini publico procurando, cum sponte non praestatur 72
125. Absque vi coactiva, inutilis evaderet potestas legislativa et iudicialis 73
126. Fundamentum iuris vis coactivae adhibendae est eius necessitas et proportio ordini procurando. »

§ 2.

Ius praeventionis.

127. I. Ius praeveniendi laesionem eorum quae nequeunt reparari 74
II. Eorum quae difficile reparantur; laesio autem moralis semper praevenienda est . . . 75

§ 3.

Ius censurae.

128. Eius necessitas delictis praeveniendis . . . »
129. Confutatio erroris non est semper efficax . . 76
130. Quisque ius habet concurrendi ad bonum publicum, sed salva subordinatione competenti auctoritati . . . . . »
131. Publica potestas ne erret, adhaereat auctoritati ecclesiasticae infallibili; in reliquis non egrediatur limites sensus communis, prout est apud sapientes evolutus. . . . . »

§ 4.

De regimine urbano.

132. Necessitas praeventionis et detegendi delicta, importat necessitatem specialis institutionis, quae *regimen urbanum* audit 77

Pag.
133. Abusus tamen praecavendi 77
134. Actio socialis praeservatrix fertur in eos de quibus moralis quaedam certitudo est, ordinem socialem turbaturos . . . . . »
135. Etsi id vitio naturae praestituri sint. . . . 78
136. Coactiva potestas maxime in criminibus compescendis manifestatur . . . . . »

§ 5.

De crimine.

137. Eius definitio: *Actio vel omissio iniusta, auctori suo imputabilis, ordinem socialem turbans* . »
138. Comprehenditur sub crimine lato sensu, et *quasi-delictum*, quod est ex culpa, seu negligentia imputabili, dum crimen stricte sumptum est ex dolo. 79
139. I. Crimen distinguitur a peccato. . . . . »
II. Et propagatio doctrinae subversivae est crimen. »
III. Conatus delicti est crimen, sed minus ac delictum consummatum . . . . . »
140. Crimen praeterlapsum aliquanto minus est delicto consummato 80

§ 6.

De poena.

141. Poena est *malum passionis ob malum actionis* . 81

I. — *Societati perfectae ius est poenas inferendi.*

142. Probatur I. ex eius necessitate et proportione cum fine sociali. Poenae comminatio legem roborat. 82
143. II. Poenae applicatio est 1. emendatrix, 2. expiatrix. »
144. 3. Vindicativa; tamen non vindicat ordinem moralem simpliciter, sed tantum pro necessitate sociali; 4. exemplaris 83
145. Hinc defendit societatem antecedenter et consequenter . . . . . »
146. Probatur III. ex eo quod bonum subiectivum oportet sit sequela boni moralis 84

Pag.
147. Iustitia poenarum aeternarum 85
148. Ordinis socialis transgressio, oportet coniungatur cum amissione proportionata bonorum socialium. »
149. Finis poenae est triplex; 1. vindicativus; 2. exemplaris; 3. correctionalis 86
150-153. Pro diverso societatis scopo, praevalet unus aut alter finis. 87
154. Lex talionis iusta est 88
155. Poena exemplaris regulariter punit citra legem talionis 89
156. Sed aliquando severius, pro necessitate sociali . »
157-160. Corollaria . . . . . »

II. — *Criteria fundamentalia pro recta poenarum constitutione.*

161. 91

§ 7.

De iure veniam delinquentibus concedendi.

162. Hoc ius confert ad bonum sociale 93
163. Poena aliquando relaxanda ex iustitia, aliquando ex gratia. . . . . »
164. Causae veniam concedendi sunt ex parte delinquentis, aut principis aut societatis . . . 94
165. Numquam veniâ, relaxanda est disciplina . . »

§ 8.

De vi armata.

166. Eius necessitas . . . . . »
167. Habetur formaliter vel virtualiter 95
168. Deesse potest ex imperfectione *facti*. . . . »

§ 9.

Scholion. — *De unitate supremae potestatis eiusque unico subiecto.*

169. Potestas suprema est una 96
170. Et unicum eius subiectum 97

Pag.
171. Sed potest esse physicum vel morale . . . 97
172. Exercitium functionum potestatis supremae utiliter dividitur 98
173. Natura regiminis repraesentativi. 99

ART. III.

De relationibus iuridicis societatum perfectarum

174. Individui et societates imperfectae extraneae, referuntur ad invicem, mediante societate perfecta sibi homogenea . . . . . »
175. Societates distinguuntur aut materialiter tantum, aut formaliter tantum, aut simul materialiter et formaliter. 100

§ 1.

De relationibus iuridicis duarum societatum perfectarum, formaliter tantum distinctarum, in statu concordiae.

176. Officia communia negativa et affirmativa, et officia specialia . . . . . »
Propositio I. *Ex duabus societatibus formaliter tantum distinctis in statu concordiae versantibus, neutra debet aliam impedire* 101
177. Probatur primo ratione finis. . . . . »
178. Probatur secundo ratione subiecti . . . . . »
Propositio II. *Utraque societas tenetur alteri auxilium ferre ex charitate, iuxta leges virtutis eiusdem* 102
179-180. Charitas omnes obligat . . . . . »
Propositio III. *Societas ordine inferior tenetur positive inservire superiori necessariae, tum ut societas, tum ratione membrorum.* . . . . »
181. Quid sit inservire positive . . . . . »
182. Prob. prop. primo ratione finis 103
183. Prob. secundo ratione membrorum . . . . »

Pag.

184. Propositio IV. *Societas superior tenetur ex sui natura adiuvare inferiorem in iis quae proprio fini necessaria sunt* 103

§ 2.

De relationibus iuridicis societatum perfectarum, formaliter tantum distinctarum, in statu conflictus.

185. Quando habeatur conflictus 104

I. *De societatibus imparibus.*

186. Propositio I. *Ex duabus societatibus imparibus formaliter tantum distinctis quae in conflictum deveniant, ea praevalere debet quae finem altioris ordinis habet* . . . . . »
187. Propositio II. *Ius ferendi iudicium circa veritatem conflictus eiusque extensionem, spectat ad societatem superiorem.* 105
188. Quid si societas superior evidenter erret? . . »

II. *De societatibus iuridice paribus.*

189. Duae societates perfectae iuridice pares quae constent iisdem membris, non dantur. . . . »

§ 3.

De relationibus iuridicis societatum perfectarum quae distinguuntur materialiter.

190. Non dantur duae supremae 106
191. Si impares, et superior fuerit necessaria, inferior tenetur deservire superiori, ratione finis . . »
192. Si pares in statu concordiae tenentur lege negativa iustitiae, et positiva charitatis . . . 107
193. In statu conflictus, ex aequo res dividenda aut compensanda . . . . . »
194. Non tenentur arbitros eligere. 108
195. Id tamen licet in rebus minoris momenti . . »

Pag.

De duello.

196. Duellum quatuor specierum; quando liceat . . 108
197. Neutra societas vere est iudex in causa propria . 109

De bello.

198. Quando liceat . . . . . »
199. Nequit esse iustum ex utraque parte . . . 110
200. Societates imperfectae carent iure belli . . . 111
201. Etsi sint adscriptae distinctis societatibus maioribus. »
202. Quid, si falso aliqua societas putet se perfectam? . »
203. Quando ignorantia aut error aliorum, per accidens limitet ius nostrum . . . . . »

CAPUT II.

DE IURIDICA PERFECTIONE ECCLESIAE

ART. I.

Ecclesiae notio

204. Ecclesiae iura deducuntur tum ex eius natura societatis perfectae, tum ex voluntate divini Fundatoris 112
205. Ecclesiae definitio 113
206. Ecclesiae defensio ex principiis catholicis et ad hominem . . . . . »

ART. II.

De distinctione Ecclesiae a societate civili

207. Regalistae veteres, Ecclesiam a societate civili distinguebant specie 114
208. Recentes eam ut huius partem habent . . . 115
209. Ecclesia distinguitur a societate civili 1. origine; 2. fine; 3. mediis . . . . . »
210. Innuitur eius divina institutio 116

ART. III.

De natura societatis iuridicae, Ecclesiae competente

211. Propositio: *Ecclesia est societas iuridica.* . . 117

Pag.

ART. IV.

De perfectione iuridica Ecclesiae ex sui natura

Propositio: *Ecclesia Christi est societas natura sua iuridice perfecta.*

212. Probatur 1. quia est societas suprema . . . 117
213. Virtualiter habet ea media quae ex officio ei suppeditantur a societate civili 118
214. *Scholion.* Demonstratio praesens et sequentes supponunt factum divinae institutionis. . . . »
215. Hinc demonstratio procedit ex iure naturae hypothetico 119
216. Prob. 2. quia Ecclesia est una et simul universalis. »
217. Nam praeter unitatem fidei et charitatis, requirit unitatem regiminis 120
218. *Scholion.* Si Deus dedisset auctoritatem religiosam supernaturalem principibus, Ecclesia adhuc distingueretur a societate civili . . . . . »
219. Ecclesia est universalis non modo ut religio, sed ut societas iuridica 121
220. Populi in sacris Litteris exhibentur ingredientes in Ecclesiam et non viceversa. . . . . »
221. Prob. 3. ex Ecclesiae supernaturalitate . . . »
222. Prob. 4. ex eius spiritualitate 122
223. *Scholion.* Reiicitur argumentum ex Ecclesiae anterioritate 123

ART. V.

De perfectione iuridica Ecclesiae ex positiva voluntate divini Fundatoris

Propositio: *Ecclesia Christi est societas iuridice perfecta ex voluntate sui divini Fundatoris.*

224. Prob. I. ex sacris Litteris; 1. Matt. XVI. 18. 19. . 124
225. 2. Ex textu Matt. XVIII. 18. 125
226. 3. Ex textu Matt. ult. 18-20. . . . . »
227. II. Prob. ex traditione 126

Pag.

228. 1. Patres affirmant plenitudinem potestatis esse in ecclesiastico magistratu 126
2. Verum imperium et civili praestantius esse in Ecclesia 127
3. Praeter ecclesiasticos magistratus neminem aliquid posse in Ecclesia 129
4. Subesse Ecclesiae in iis quae ad eius finem assequendum spectant, et ipsos imperantes . . 130
229. Prob. III. ex facto perenni Ecclesiae 133
230. IV. Confirmatur ex christianorum imperatorum confessionibus 135
231. V. Prob. ex ecclesiasticis definitionibus . . . 137

Obiectiones et difficultates.

I. Ex ratione.

232. Et 1. ex conflictu cum societate civili, et ex repugnantia *status* in *statu*. 139
233. Quando conflictus sit per accidens 140
234. Conflictus per accidens non repugnat . . . 141
235. Ecclesia et Status non sunt circa idem obiectum, societates perfectae 142
236. Obiic. 2. ex carentia territorii proprii . . . 143
237. Potestas summi Pontificis nulli regno est extranea. 145
238. Obiic. 3. Ecclesiam esse in societate civili. . . »
239. Ecclesiam esse in societate civili materialiter, transmitti potest . . . . . »
240. Tamen societates civiles praesentes, materialiter receptae sunt in Ecclesia. 146
241. Obiic. 4. Societatem civilem fuisse ante Ecclesiae institutionem in legittima possessione suae independentiae . . . . . »
242. Resp. 1° negando, quia divina revelatio est mundo coaeva 147
243. Nequit distingui in concreto, ordo religiosus naturalis et supernaturalis . . . . . »

Pag.

244. 2° Etsi societas civilis fuisset independens, potuisset a Deo subiici auctoritati a se constitutae . 148
245. Ex Ecclesiae institutione, iura societatis civilis non fuerunt imminuta in eius detrimentum . . 149
246. Gratia non destruit naturam quatenus non aufert quod perfectum est, sed aufert quae sunt imperfecta 150
247. Ius principis, religionis defensivum, substantialiter integrum remansit . . . . . »
248. Reassumptio responsionis 151
249. Obiic. 5. Ex amissione suae independentiae principes alienari ab Ecclesia . . . . . »
250. Obiic. 6. Ex carentia iurium maiestaticorum . . »
251. Obiic. 7. Ex spiritualitate Ecclesiae 152
252. Obiic. 8. Ex eo quod Ecclesia non disponat de ordine iuridico 153
253. Obiic. 9. ex libertate necessaria ad salutem . . 154
254. Poenae plus tendunt ad impediendos actus irreligiosos, quam ad ponendos actus religiosos. . 155
255. Potestas coactiva Ecclesiae non opponitur charitati. 156

II. Obiiciunt ex sacra Scriptura.

256. Obiic. 1. ex sancto Luca XX 25. 26. « Reges gentium.... ». . . . . »
257. Obiic. 2. ex Matt. X. 14. « Quicumque non receperit vos.... » 157
258. Obiic. 3. Ex s. Paulo II. ad Tim. IV. 4. 5. « Nemo militans Deo.... » 158
259. Obiic. 4. ex eodem sancto Paulo II. ad Tim. IV. 2. « Praedica verbum.... » 159

III. Obiiciunt ex ss. Patribus.

260. 1. ex s. Isidoro Pelusiota, Ecclesiam esse in regno. 160
261. 2. ex s. Optato Milevitano, Ecclesiam esse in republica 161
262. 3. ex s. Ambrosio 163

Pag.
Resp. 1. generatim 163
Resp. 2. speciatim . . . . . »
263. Obiic. 4. ex s. Ioanne Chrysostomo . . . . »
264. Tempore horum sanctorum Patrum resistentia armata imperatori non fuisset possibilis neque expediens. 165
265. Obiic. 5. ex sancto Augustino 166
266. VI. Obiic. ex facto; et 1. Hebraeorum, apud quos reges imperabant sacerdotibus. 168
I. Negatur paritas . . . . . »
267. II. Et apud Hebraeos proprie sacerdotium non subalternabatur principatui 169
268. Citatur cap. 6. de maioritate et obedientia . . 170
269. Obiic. 2. ex facto paganorum . . . . . »
270. Obiic. 3. ex facto principum christianorum, qui saepius ordinaverunt rem religiosam . . . 172
Resp. I. id aliquando fecisse ex mandato Ecclesiae vel eius ratihabitione. . . . . »
271. II. Aliquando id praestiterunt iniuria, Ecclesia reclamante 173

ART. VI.

Speciatim de potestate Ecclesiae poenali

272. Divisio articuli 174

§ 1.

Poenarum divisio.

273. Societas perfecta ius habet ad poenas inferendas suo fini proportionatas . . . . . »
274. Poenae dividuntur in temporales et spirituales . 175
Temporales subdividuntur in capitales, afflictivas directe et indirecte, pecuniarias et infamantes. »
275. Poenae spirituales . . . . . »
276. Poenae mixtae, idest poenitentiae . . . . . »
277. Poenitentiae privatae et publicae; publicae solemnes et non solemnes. . . . . »

Pag.
278. Poenitentiae publicae quo sensu cogant . . . 176
279. Censurae . . . . . »
280. Divisio earumdem . . . . . »
281. Merae poenae 177

§ 2.

Adversarii iuris poenalis Ecclesiae.

282. . . . . »

§ 3.

Doctrina expressa Ecclesiae.

283. S. Augustini contra Donatistas . . . . . »
Ioannis XXII. contra Marsilium patavinum . . »
284. Concilii Tridentini 178
285. Benedicti XIV. in brevi *Ad assiduas* . . . 179
286. Pii VI. in bulla *Auctorem fidei* . . . . . »
287. Pii IX. encyclica *Quanta cura, et in Syllabo* . 180

§ 4.

Ecclesiae praxis.

288. Ecclesia adhibuit etiam poenas temporales; et
1. poenam infamiae; . . . . . »
289. 2. poenas pecuniarias; 181
3. servitutis; . . . . . »
4. relegationis; . . . . . »
5. exilii; . . . . . »
6. carceris; . . . . . »
7. fustigationis . . . . . »
290. Sed usus respondere debet temporibus . . . 182
291. Ecclesia poenas temporales intulit ex iure proprio, et non ex principum concessione . . . . »

§ 5.

Difficultates genericae contra poenas temporales.

292. Sophisma Vincentii Bolgeni . . . . . »
293. Difficultas ex carentia vis armatae ut poenae temporales applicentur reluctantibus 183

Pag.

§ 6.

An Ecclesiae competat poenas inferre ex scopo mere vindicativo.

294. Negatur. 184
295. Aliquando dicuntur vindicativae et poenae quae praecipue inferuntur ad exemplum . . . 186
296-297. Differentiae inter finem Ecclesiae et societatis civilis . . . . . »
298. In delictis materialibus potest haberi proportio entitativa inter damnum et poenam; sed non in spiritualibus 188

§ 7.

Rationabilitas poenarum quae fuerunt in usu ecclesiastico.

299. 189
300. Difficultas contra censuras 190

§ 8.

De poena capitali.

301. Iuste adhiberi in societate civili, probatur 1. auctoritate 191
302. II. ratione . . . . . »
303. Quaeritur de Ecclesia . . . . . »
I. Proprie non est emendatrix 192
II. Est vindicativa . . . . . »
304. III. Ac defendit societatem . . . . . »
305. An sit necessaria . . . . . »
306. Argumenta contraria: I. ex eo quod non emendat. 193
II. ex prohibitione Ecclesiae data episcopis . . 194
III. ex mansuetudine Ecclesiae . . . . . »
IV. ex Matt. XXVI. 52. « Converte gladium.... ». »
V. ex II. ad Corinth. X. 21. « Arma militiae.... ». 195
VI. ex Luc. IX. 55. « Nescitis cuius spiritus estis... » »

Pag.

307. Argumenta favorabilia: I. ex morte Ananiae et Saphirae 195
II. ex perfectione iuridica Ecclesiae. . . . 196
308. Tamen princeps nomine proprio potest delicta religiosa plus punire quam Ecclesia . . » 197
309. Saepe delicta religiosa coniunguntur cum aliis . 198
310. Negativa sententia non nocet Ecclesiae bono . . 199
311. VII. arg. pro eadem, ex non-usu Ecclesiae . . 200
312. Ex non usu, saltem eruitur hanc quaestionem non esse practicam 201
313. VIII. argumentum, ex sacris canonibus . . . »

§ 9.

De Tribunali Inquisitionis.

314. Sententiae neganti Ecclesiae ius gladii, opponuntur facta tribunalis Inquisitionis 202
Resp. poenam mortis illatam esse a tribunali civili. 203
315. In statu pontificio potuisset procedi iurisdictione cumulativa, Pontificis et Regis . . . . » 316. Item in aliis statibus 204
317. Inquisitio hispanica praesefert indolem politicam . »
318-319. Origo inquisitionis generalis. 205
320. Protestantes et rationalistae inquisitione usi sunt. 206
321. Saevitas novatorum saeculi XVI. 207
322. Indoles inquisitionis hispanicae 208
323. Iudicabat de multis criminibus civilibus . . . 209
324. Tamen poena capitalis pronuntiabatur a tribunali laico . . . . . »
325. Llorente historiam inquisitionis scripsit, combusto archivio 210
326. Comparatio inquisitionis hispanicae et anglicae . »
327. Saevitas gallicae *revolutionis* 211
328. Hispania immunis fuit a bellis religiosis. . . »
329. Testimonia protestantium in eius favorem . . »
330. Summi Pontifices non semper probaverunt agendi rationem inquisitionis hispanicae 212

Pag.

ART. VII.

De vi armata

§ 1.

De iure proprio Ecclesiae.

331. Distinguitur ius immediatum et mediatum seu virtuale; hoc certe competit Ecclesiae . . . 212
332. Vis armata distinguitur a modica coactione, patris propria, quae certo et Ecclesiae competit. . 213
333. Plures quaestiones de iuribus Ecclesiae pertractandae sunt, etsi nunc non applicabiles, ad historiam explicandam, et veritatem cognoscendam. »
334. Iura Ecclesiae exercenda sunt in aedificationem . »
335. Vis armata Ecclesiae non competit 215
336. Proprios tamen iustitiae ministros non incongrue habet. 216
337. Duae vires armatae in eodem territorio nequeunt consistere, salva independentia 217
338. Imo praesidia mixta et malum exitum habere solent . . . . . »
339. Ipse exercitus civilis est subditus Ecclesiae . . »
340. Principes Ecclesiae obsequentes libenter eam defendunt 218
341. Carentia vis armatae non praeiudicat iuridicae perfectioni Ecclesiae. . . . . »
342. Explicatio accommodata, duplicis gladii, de quo Luc. XXII. 35. 219
343. Si rex non obediat Ecclesiae, Deus supplet . . 221
344. Tamen praesidia humana non sunt negligenda. . »

§ 2.

De iure Ecclesiae devolutivo, arma tractandi ad defensionem plebis christianae.

345. Deficiente auctoritate civili, Ecclesia devolutive defendit plebem christianam 222

Pag.

346. Defensio armata competit et societatibus imperfectis, deficiente vel impotente auctoritate societatis perfectae 222
347. Societates imperfectae tunc sibi consulunt cum ea organizatione quam actu habent 223
348. Igitur Ecclesia devolutivo iure potest arma tractare adversus hostes externos 224
249. Item adversus internos . . . . . »
350. Ecclesia monet plebem christianam de suis officiis. »
351. Hoc ius devolutivum non semel exercuerunt Episcopi medio aevo . . . . . »

CAPUT III.

DE RELATIONIBUS IURIDICIS ECCLESIAE ET SOCIETATIS CIVILIS

352. Duae tantum sunt societates perfectae, Ecclesia et societas civilis 225
353. Reliquae subduntur Ecclesiae vel societati civili . »
354. Societates homogeneae et heterogeneae . . . 226
255. Societates imperfectae habent erga perfectam heterogeneam, eam relationem quam sua maior homogenea . . . . . »
356. Ecclesia est societas maior respectu societatis civilis . . . . . »
357. Sed non homogenea. 227
358. Divisio capitis . . . . . »

ART. I.

De iuridica necessitate societatis civilis

359. Propositio: *Societas civilis est naturaliter iuridice necessaria.* 228
360. Prob. 1° pro consecutione finis a natura intenti requiri hominum consociatam multitudinem . . »
I. argumentum est ex iurium moderamine et tuitione. 229

Pag.
361. II. arg. pro conservatione vitae 230
362. Natura vult conservationem et propagationem generis humani. 231
363. Confirmatur II. argumentum ex facto populorum silvestrium 232
364. III. argumentum ex mentis evolutione . . . »
365. IV. argumentum ex voluntatis natura . . . 233
366. Prob. 2° hominum consociationem oportere esse iuridicam. 234
367. Prob. 3° esse oportere iuridice perfectam. . . 235
368. Finis temporalis importat unicam societatem perfectam . . . . . »
369. Resolvitur obiectio 1ª ex eo quod per accidens quidam homines conservari potuerint extra societatem; et 2ª ex eo quod societas sit per accidens multorum malorum occasio 236

ART. II.

De fine societatis civilis

370. Finis societatis civilis est *bonum commune temporale* 237
371. Est commune immediate vel mediate. . . . 238
372. Non tenetur ex iustitia supplere defectum omnino personalem . . . . . »
373. Vitandus socialismus et communismus . . . »
374. Distinctio inter peccatum et delictum . . . 239
375. Finis societatis civilis est excellentior ac finis singulorum etiam collective . . . . . »
376. Curat bonum ipsius naturae. 240
377. Utitur mediis externis 242
378. Societas civilis est societas perpetua, organica, inaequalis . . . . . »
379. Nequit 1. adversari bono spirituali . . . . »
380. Imo 2. illud adiuvare tenetur 243
381. Privati inhabiles sunt ad promovendum in pluribus bonum spirituale, loco societatis civilis . . »

Pag.

382. Confirmatur officium societatis civilis ex eo quod est opus Dei 244
383. Hinc finis societatis civilis complete exhibetur ut: *Bonum totius hominis temporale, commune, per externa media procurandum, ratione ultimo hominis fini apprime respondente* . . 245
384. Ordo spiritualis connectitur cum temporali, dupliciter . . . . . »
385. Princeps tenetur ordinem temporalem dirigere ad spiritualem, iudicio Ecclesiae . . . . . »
386. Diversa positio, societatis civilis cum Ecclesia ex illius religiosa conditione 246

ART. III.

De relationibus iuridicis Ecclesiae et societatis civilis catholicae

Divisio articuli 247

§ 1.

Principia generalia.

387. Societas est catholica, cum eius legislatio catholicis informatur principiis. . . . . »
Propositio I. *In rebus temporalibus et sub respectu temporalis finis, Ecclesia nihil potest in societatem civilem.* 248
388. Adversarii . . . . . »
389. Prob. 1. ex ratione . . . . . »
390. Prob. 2. ex ecclesiastica doctrina . . . . »
391. Propositio II. *Non repugnat Ecclesiam ex titulo adventitio potestatem civilem acquirere in determinato territorio* 249
392. Principatus adnexus praelaturae habet utilitates monarchiae electivae et haereditariae absque relativis incommodis 250
393. Propositio III. *In spiritualibus, potestatem nullam*

Pag.

exercere valet societas civilis, sed exclusive spectant ad Ecclesiam 251

394. Propositio IV. *Ecclesia est societas iuridice praevalens societati civili, ratione finis, ideoque haec est illi indirecte subordinata* 252

395. Propositio V. *Cura finis spiritualis et Ecclesiae missio, nequit impediri intuitu cuiuslibet damni temporalis exinde derivantis* . . . . . »

Prob. 1. ex ratione . . . . . »

Prob. 2. ex Actis apostolorum V. 28-29. . . »

396. Prob. 3. ex Evangelio 254

Propositio VI. *In rebus temporalibus quae sive per se, sive per accidens necessariae sint ad finem spiritualem, Ecclesia exercet potestatem suam, et societas civilis cedere tenetur* . . »

397. Prob. ex ratione . . . . . »

398. Exemplum protectionis s. Petri concessae Cruce signatis, et treguae Dei 255

399. Propositio VII. *Societas civilis tenetur in necessariis deservire ecclesiasticae, ideoque temporalia seu media sui ordinis eidem subministrare* . »

Propositio VIII. *Quoties Ecclesia ratione materiae temporalis tenetur servare leges civiles, id facit salva sua independentia ac superioritate* . . 256

400. I. Ecclesia tenetur servare iustas leges civiles temporales, cum aliter non exigit finis spiritualis. »

401. II. Id non laedit eius independentiam et superioritatem . . . . . »

402. Propositio IX. *Iudicium authenticum in casu conflictus inter bonum spirituale et temporale vel circa necessitatem temporalium pro fine spirituali, ad Ecclesiam spectat* 257

Corollarium. De limite a quo incipit actio utriusque societatis. 258

403. Utraque supponit ius divinum naturale et positivum. »

404. Societas civilis supponit et ius canonicum . . 259

Pag.

Obiectiones.

405. Obiic. I. ex ratione; et 1. Statum civilem non agnoscere Ecclesiam universalem, sed tantum Ecclesias particulares 259
406. Quod fit extra territorium, non semper est extraneum reipublicae 260
407. Ecclesiae particulares sunt societates imperfectae relate ad Ecclesiam sed non ad statum civilem. 261
408. Obiic. 2. Statum praeesse ordini iuridico; ideoque saltem indirecte, ab eo pendere etiam Ecclesiam. »
409. II. Ob. ex s. Scriptura, ad Rom. XIII. et I. Pet. II. 13. »

§ 2.

De materiis mixtis.

410-412. Materia mixta proprie est quae directe refertur ad utrumque finem, spiritualem et temporalem. 262
Quaedam tantum indirecte referuntur ad alterum finem. . . . . »
Propos. I. *In materiis mixtis nequit societas civilis legem ferre, praescindendo a lege ecclesiastica.* 263
413-414. Prob. ex inferioritate societatis civilis . . »
Propositio II. *Lex civilis, servata subordinatione ecclesiasticae, valet disponere de materiis mixtis ordinis naturalis non supernaturalizatis* . . 264
415. Prob. ex ratione, quia remanent in naturali conditione qua referuntur ad competentiam societatis civilis . . . . . »
416-417. Propositio III. *Quoad materias mixtas ordinis supernaturalis sive supernaturalizatas, circa substantiam rei nihil potest lex civilis* . . »
418. Propositio IV. *Lex civilis tenetur agnoscere effectus inseparabiles a substantia rei supernaturalis, de quibus effectibus sola Ecclesia iudicat.* 265
419-420. Propos. V. *Potest lex civilis disponere de effectibus temporalibus separabilibus rei supernaturalis, salva subordinatione legi ecclesiasticae.* »

Pag.

421-422. Propositio VI. *Omissio praescriptionum civilium quoad effectus temporales separabiles a substantia rei mixtae, punitur I. negatione effectuum civilium respondentium* 266

423. Quaeritur de aliis poenis 267

Propositio VII. *Minister Ecclesiae in exercitio sui ministerii nequit obligari sanctione civili ut provideat effectibus temporalibus rei mixtae* . »

Propositio VIII. *Lex civilis nequit modum praescribere quo fideles utantur ministerio ecclesiastico in materia mixta, quoad ipsum actum ministerii spiritualis* . . . . . »

Propositio IX. *Potest lex civilis contra laicos positiva poena urgere opportuna pro effectibus temporalibus separabilibus, distincta ab ipsa positione actus spiritualis* . . . . . »

Propositio X. *Potest lex civilis punire nomine Ecclesiae, transgressionem legum eiusdem Ecclesiae circa res spirituales* 268

Propositio XI. *Potest lex civilis punire in laicis transgressionem legum Ecclesiae et nomine proprio, servata subordinatione Ecclesiae, quatenus reipublicae intersit eas observari* . . »

Propositio XII. *Nequit lex civilis nomine proprio punire transgressiones legum Ecclesiae quas ministri Ecclesiae fecerint in exercitio proprii ministerii.* . . . . . »

424. De spiritualibus habentibus indirecte effectus temporales . . . . . »

§ 3.

De iudicio facti spiritualis aut possessione iurium spiritualium.

425. I. An Status valeat iudicare de mera existentia facti spiritualis? 269

426. Affirmatur, dummodo 1. non agatur quaestio iuris,

Pag.

seu de legittimitate vel non eiusdem facti; et 2. non impediendo iudicium Ecclesiae, ad quam unice spectat iudicare de facto relate ad ordinem spiritualem 269
427. II. An Status valeat auctoritate propria iudicare de quasi possessione iurium spiritualium . . 270
428. Errores regalistarum, hoc iudicium negantium Ecclesiae . . . . . »
429. In conflictu praevalere debet Ecclesiae iudicium. »
430. Et ad eam spectat iudicium quoad effectus quoscumque ecclesiasticos 271

§ 4.

De iuribus et officiis Status erga religionem, intuitu finis temporalis.

431. Proponitur quaestio . . . . . »
432. Divisio paragraphi 272

SECTIO I.

De connexione religionis cum moralitate et publica tranquillitate

433. Divisio sectionis. . . . . »
434. Probatur 1. connexio publicae tranquillitatis cum moralitate 273
435. I. Insufficiens est lex civilis, quia 1. non extenditur ad res minoris momenti . . . . . »
436. 2. Quia respicit tantum externa et publica . . »
437. 3. Saepe relinquit spem evasionis 274
438. II. Insufficiens est motivum privatae utilitatis . »
439. Sive vulgaris . . . . . »
440. Sive sentimentalis 275
441. Probatur II. connexio moralitatis cum religione . »
442. Deus est fundamentum absolutum moralis obligationis, 1. ratione dominii . . . . . »
443. 2. Quia ratio divina est norma rationis humanae. 276
444. 3. Quia Deus tantum est bonum adaequatum humanae voluntatis . . . . . »

Pag.

445. Utilitas omnis creationis est ex parte creaturae rationalis; gloria ex parte Dei 277
446. Reassumptio totius argumentationis 278
447. Religio est quae has veritates efficaciter inculcat. 279
448. In Deo est et sanctio maxima legis moralis . . »
449. Observantia legis moralis continet imperfectam sanctionem eiusdem . . . . . »
450. In quo consistat. 280
451. Origo ordinis moralis . . . . . »
452. Relationes morales essentiales, naturales et accidentales 281
453. Voluntas divina necessario approbat quae et quatenus divinus intellectus exhibet necessaria . »
454. Liberum decretum divinae creationis. . . . 282
455. Consequens necessaria praeceptio legis moralis . »
456. Mens humana potest considerare ordinem moralem, praescindendo ab eius origine . . . 283
457. Si praecisio convertatur in negationem, habentur errores rationalismi, naturalismi aut sentimentalismi . . . . . »
458. Aliud est essentias rerum esse necessarias, aliud non habere fundamentum in Deo 284
459. Negato Deo, ratio subvertit ipsum ordinem moralem. . . . . »
460. Homo tamen saepe sibi feliciter contradicit . . 285

SECTIO II.

Cura defensiva religionis naturalis

461. Propositio: *Principi ius et officium est, naturalem religionem socialiter defendendi* . . . »
462. Imo et fovendi 286
463. Auctoritates veterum Sapientum . . . . . »
464. Ius principis non praetergreditur limites sensus naturae communis. 287
465. Princeps de rigore iuris compellere potest ad aliquos actus cultus. . . . . »

Pag.

466. Ignorantia inculpabilis aut error in iis quae sunt sensus communis, in foro externo nequit admitti. 288

SECTIO III.

De ordinatione positiva religionis in statu merae naturae

467. Deo debitus est publicus cultus 289
468. Ab ipsa societate . . . . . »
469. Ad quos spectet exhibitio huius cultus . . . »
470. Res non ex utilitate sed ex ratione resolvenda. . 290
471. Quatuor sententiae . . . . . »
472. Falsa est 1ª adscribens principi naturalem religionem prout religio est. 291
473. 2ª eam principi adscribit prout est fundamentum ordinis socialis . . . . . »
474. Distinguenda cura negativa seu defensiva, et positiva. 292
475. Naturaliter institui posset Pontificatus a principatu distinctus, ut aliquando factum est. . . . »
476. Eo instituto, non posset a principe aboleri. . . 295
477. Divisio haec fieri posset etiam ut fit in subiecto supremae potestatis . . . . . »
478. Defenditur 3ª sententia adscribens principi curam religionis positivam, iure devolutivo . . . 296
479. Sed praeceptum principis in re religiosa, esset temporale, non spirituale . . . . . »
480. Reiicitur 4ª sententia negans principi et ius devolutivum ordinandi religionem . . . . . »
481. Patribus familias competit in statu naturae, tantum sacerdotium familiare, sed praeterea necessarium est publicum 297
482. In statu merae naturae parum interest concedere principi tantum ius defensivum religionis vel etiam ordinativum . . . . . »
483. Unitas evolutionis humanae non exigit unitatem subiecti quoad principatum et sacerdotium . . 298

Pag.

484. Pro religione excolenda homo indiget aliqua societate, sed non civili 300
485. Tamen adsociata hominum multitudine pro quolibet scopo, necessaria est auctoritas civilis, ad ordinem iuridicum inter adsociatos conservandum . »
486. Constituta Ecclesia, cessat in principe et ius devolutivum ordinandi religionem . . . . . »

SECTIO IV.

Iura et officia Status erga religionem revelatam, intuitu civilis utilitatis

487. Principi ius et officium est defendendi Ecclesiam. 301
488. Item puniendi subditos in Ecclesiam delinquentes. 302
489. Regulariter princeps in Ecclesiae defensione, excludit a suo territorio alios principes . . . »

SECTIO V.

Reassumptio et applicatio eorum quae exposita sunt

490. . . . . »

SECTIO VI.

Demonstratio theologica officii principis defendendi et adiuvandi veram religionem

491. 303
492. Probatur ex sanctis Patribus 304

SECTIO VII.

Difficultates

493. I. Status protectio turbat societatem. . . . 308
494. Regulariter resistendum est depravatae hominis naturae 309
495. Sed per accidens aliquando omittitur bonum, et etiam positiva Ecclesiae protectio 310
496. Ad eam omittendam poterit teneri princeps et ex lege fundamentali regni . . . . . »
497. Numquam tamen potest Ecclesiae positive adver-

Pag.

sari; item aliqualis defensio est semper ei debita ex iure communi 311

498. Princeps catholicus in hac re consulat ipsam Ecclesiam, quae et opportunas tribuit dispensationes aut facultates. 312

499. Obiect. 2. Status protectionem alienos facere populos a religione . . . . . »

500. Obiect. 3. Ecclesiam duplici uti mensura, cum neget principi acatholico ius protegendi suam religionem 313

501. Ecclesia aliquando libertatem petit ad hominem . 314

502. Errantes bona fide excusantur coram Deo . . 315

503. Educati in Ecclesia catholica, nequeunt bona fide ab ea discedere . . . . . »

504. Acatholici imperantes nequeunt ius sibi adscribere impediendi libertatem Ecclesiae 316

§ 5.

De indifferentismo, naturalismo et liberalismo.

505. Divisio paragraphi 318

SECTIO I.

Indifferentismus et naturalismus in se

506. Indifferentismus est falsus logice, ontologice, moraliter et theologice 319

507. Naturalismus falsus est prout praescindit sive a Deo, sive a revelatione; item indifferentismus quoad sectas christianas . . . . . »

A. Libertas cogitandi.

508. Officium naturale est, veritatem cognitam recognoscendi, et incognitam sincere inquirendi . . 320

509. Si daretur moralis libertas iudicandi, danda esset et libertas agendi. . . . . »

510. Homo in veritatis agnitione tenetur uti et criteriis externis 321

Pag.

B. Libertas loquendi.

511. Quae recta non sunt, nequeunt defendi . . . 321

C. Libertas cultus.

512. Cultus non rectus, nequit Deo exhiberi . . . 322

SECTIO II.

De indifferentismo et naturalismo iuridice

513. Sicut quaedam sunt sensui communi evidentia, ita et socialiter; ideoque nequeunt iure in societate impugnari . . . . . »

514. Status ligatur officio suscipiendi veritatem, sicut individui 323

515. Quoad educatos in secta heterodoxa, non constat de ipsorum mala fide . . . . . »

516. Ordini sociali adversantur non modo facta, sed et theoriae 224

SECTIO III.

Liberalismus

517. Liberalismus absolutus considerat statum ut unicum fontem iuris . . . . . »

518. Liberalismus moderatus proponit separationem Ecclesiae et status 225

519. Catholicismus liberalis reiicit hanc separationem in abstracto, sed normaliter eam admittit in concreto . . . . . »

A. Liberalismus absolutus.

520. Refutatur liberalismus absolutus, quia negat factum et possibilitatem divinae revelationis . . »

521. Hinc logice et Dei existentiam negare debet . . 326

B. Liberalismus moderatus.

522. Formula liberalismi moderati est in se falsa. . »

523. Multiplices errores in quos cadit 327

524. Ecclesiae valde nocet . . . . . »

525. Ecclesia apparere debet ut societas subversiva , 328

526. Et id ex ipsa eius natura . . . . . »

Pag.

C. Catholicismus liberalis.

527. Supponit D. N. systema tradidisse non actuabile. 329

D. Effectus liberalismi.

528. Dissolvit publicum sensum moralem et religiosum. 330
529. Elementa positiva liberalismi, et elementa negativa. »

SECTIO IV.

Quando status teneatur officio suscipiendi revelatam religionem

530. Quaestio facilis est quoad personam physicam. . »
531. I. Societas tenetur, si omnes moraliter sumpti, revelatam religionem agnoverint. 331
532. II. Item si pars praevalens, cum populus immediate vel mediate participat publico regimini . . »
533. Pro dissentientibus tamen leges tolerantiae ferendae erunt. 332
534. Educati in heterodoxia, etsi theologice subditi sint Ecclesiae, iuridice tamen aequiparantur infidelibus; cum autem status socialis imbutus erat spiritu catholico, aliquantulum impellebantur ut ad unitatem Ecclesiae redirent, etsi proprie non cogerentur . . . . . »
535. III. Si suprema potestas est apud unum vel paucos, socialiter suscipienda revelatio, cum pars praevalens populi eam agnovit . . . . . »
536. IV. Secus distinguendum est inter ea quae praestanda sunt a societate et a subditis; hi tenentur tantum ad praecepta divina obligantia et non baptizatos 333
537. Princeps tamen curabit indirecte subditorum conversionem 334
538. Etsi pro dissidentibus leges tolerantiae ferantur, tamen semper utilis est recognitio socialis, revelationis. . . . . »
539. Dubio exoriente de revelationis existentia, eliquandum est . . . . . »

Pag.

§ 6.

Natura protectionis status erga Ecclesiam.

540. I. principium: *Protectio Status erga Ecclesiam est ministerialis; proinde nullam importat iurisdictionem circa obiecta auctoritatis protectae* . 335

II. principium: *Societas protegens nequit disponere de negotiis societatis protectae, neque cum ea aeque principaliter concurrere; sed ei relicta libera dispositione rerum suarum, debet eam fideliter comitari* 336

541. Non est necesse princeps cognoscat in specie iustitiam causae ob quam eius protectio ab Ecclesia invocatur . . . . . »

542. Tamen si lex ecclesiastica per accidens noceret societati civili, valeret princeps provisorie eius executionem suspendere, donec gravamen posset exponi competenti auctoritati ecclesiasticae . 337

543. Falsitas libertatis gallicanae, qua princeps dicebatur *custos canonum.* . . . . . »

544. III. principium: *Protectio importat auctoritas protegens dirigat media legalia sui ordinis ad defensionem et evolutionem iurium societatis protectae* 338

545. Corollaria . . . . . »

546. Confirmatio ex doctrina ss. Patrum 339

547. IV. principium: *Protectio dat praesumptionem mandati auctoritati protegenti ex parte auctoritatis protectae* 340

ART. IV.

De obligationibus Ecclesiae erga Statum civilem

548. Ecclesia nequit absque necessitate impedire societatem civilem. . . . . »

549. Ecclesia ex sui natura adiuvat societatem civilem promovendo publicam honestatem et tranquillitatem. 341

Pag.

550. Aliquando et in reliquis, ex mera charitate . . 342
551. Aliquando et status abundat ex mera devotione . »
552. Historia ostendit Ecclesiam potius abundare cum statu civili, quam deficere . . . . . »

ART. V.

De competentia utriusque auctoritatis in concreto

553. I. Utraque aliquid potest ex alterius delegatione aut concessione, vel mandato 343
554. II. Ecclesiastica auctoritas potest fieri subiectum auctoritatis civilis. . . . . »
555. E contra auctoritas civilis nequit fieri subiectum auctoritatis ecclesiasticae . . . . . » 344
556. Conditiones enim pro hac requisitae, non semper in illa reperiuntur . . . . . »
557. Mandatum potest esse expressum, tacitum vel praesumptum 345
558. Extante hostilitate, cessat quaelibet mandati praesumptio . . . . . »
559. Item si status nomine proprio velit sese rebus ecclesiasticis immiscere . . . . . »
560. Iura quaedam et renuntiari possunt; sed non praesumitur 346
561. Corollaria . . . . . »

ART. VI.

De relationibus iuridicis Ecclesiae cum statu non catholico

§ 1.

Cum statu christiano acatholico.

562. De iure, acatholici habent erga Ecclesiam eadem officia ac catholici 347
563. Tamen quoad individuos, ex sua benignitate non intendit Ecclesia eos obligare ad leges suas quae privatam tantum sanctificationem respiciunt . »

Pag.

564. Sed in sui favorem, ad hominem quaedam tantum petere potest 348
565. Status est vel haereticus, vel schismaticus, vel indifferens 349

A. *A statu haeretico.*

566. Ecclesia iure petit libertatem existentiae et apostolatus . . . . . »

B. *A statu schismatico.*

567. Item a statu schismatico. 350
568. His sibi negatis, ad ea exigenda uti potest vi principum fidelium . . . . . »

C. *A statu indifferenti.*

569. Multo magis a statu indifferenti eadem petit et exigit 351
570. Non tamen sequitur statum debere eamdem libertatem omnibus religionibus . . . . . »

D. *Officia catholicorum in societate moderna.*

571. Tenentur religionem defendere et fovere omnibus mediis legalibus, aliunde honestis. . . . 352

§ 2.

Relationes Ecclesiae cum statu infideli.

572. Ius habet Ecclesia ad suam libertatem et communem protectionem. . . . . »

CAPUT IV.

IURIDICAE RELATIONES ECCLESIAE CUM ALIIS SOCIETATIBUS RELIGIOSIS

573. Earumdem divisio 353
I. quoad acatholicos. . . . . »
574. II. quoad infideles 354

Pag.

CAPUT V.

RELATIONES IURIDICAE STATUS CATHOLICI CUM SECTIS DISSIDENTIBUS

ART. I.

Quando concedenda sit libertas cultuum

575. Quando conservanda cum iam existit. . . . 354
576. Quando concedenda 355

ART. II.

Quid catholica societas concedere debeat dissidentibus

577. Diversi gradus libertatis. 356
578. Vera libertas conscientiae 357
579. Tolerantia civilis, politica et religiosa . . . »

ART. III.

De concursu positivo principis seu status catholici ad actus falsae religionis

580. Concursus positivus quid? 358
581. Cooperatio materialis et formalis. . . . . »
582. Formalis cooperatio numquam licet 359
583. Materialis aliquando licet . . . . . »
584. Inspicitur res per se . . . . . »
585. Quaedam praestantur a societate nomine proprio, et quaedam nomine sociorum 360
586. Quaedam iam constituta inveniuntur. . . . 361
587. Facilius praestantur quae nomine sociorum . . »
588. Societas religiosa vel est organizata vel non. . »

§ 1.

De recognitione legali iurium et officiorum quae societas acatholica religiosa sibi vindicat.

589. Principium generale: *Quaedam tantum agnoscenda sunt, ad quae partes consensu valent vim iuris tribuere, vel ad quae tenentur ex post-facto.* 362
590. Proponuntur plures quaestiones speciales. . . 363

Pag.

QUAESTIO I. PRAEIUDICIALIS.

An ad scopum toleratum haberi possit societas quae sit verum corpus morale, distinctum a persona collectiva.

591. Persona collectiva, et corpus morale. . . . 364
592. Imperfecte haberi potest ex voluntate partium . »

QUAESTIO II.

De agnoscendo iure possidendi temporalia, sectae toleratae.

593. Competit societati a lege recognitae 366
594. Sed societati toleratae, competit cum limitatione. »

QUAESTIO III.

De praestationibus personalibus proselytarum sectae toleratae, agnoscendis et urgendis.

595. 1. Nequeunt urgeri pro futuro; 2. sed pro transacto, nisi sint actus formales religionis falsae . . 367

QUAESTIO IV.

An ex publico aerario possit pecunia subministrari sectis toleratis.

596. Negandum est si detur sectae falsae ut est talis, sed praestari potest tamquam civibus . . . 368

QUAESTIO V.

De agnitione effectuum civilium, actuum religiosorum sectae toleratae.

597. I. Agnoscendi si in se validi 369
598. Nequit apponi forma falsae religionis, ut conditio pro recognitione effectuum civilium . . . »
599. II. Si invalidi, agnosci possunt quoties consensus partium vel publica auctoritas valet eis vim tribuere; secus non sunt agnoscendi. . . . 370
600. Tamen via mere civilis parata esse debet . . »
601. Melius est permittere quaedam mala, quam falsum recognoscere principium 371

Pag.

QUAESTIO VI.

De punitione iniuriarum adversus personas, quatenus titulo religioso in secta tolerata qualificatas.

602. Necesse est redundent in personam 371
603. Titulus falsae religionis potest per accidens augere crimen quatenus turbetur publica tranquillitas vel iusta aliorum libertas. 372

QUAESTIO VII.

De iniuriis in ipsam falsam religionem toleratam.

604. Quae sunt contra falsae religionis veritatem non constituunt iniuriam 373
605. Iniuriae in falsam religionem puniri possunt quatenus redundant in personas turbando publicam tranquillitatem aut iustam aliorum libertatem. »

QUESTIO VIII.

An puniri possint transgressiones praeceptorum falsae religionis.

606. Puniri potest ab auctoritate civili nomine proprio positiva transgressio contra legem Dei . . 374
607. Nequit puniri transgressio putativi praecepti, idest falsae religionis, ratione erronei dictaminis conscientiae . . . . . »
608. Omissio praecepti legis Dei puniri potest ab auctoritate civili nomine proprio, quoties poni poterat absque forma falsae religionis 375
609. Nequit auctoritas civilis urgere poenas latas ab auctoritate religiosa falsae sectae . . . . »
610. Tamen urgere debet iustitiam commutativam . 376

QUAESTIO IX.

An positio actuum falsae religionis, possit ab auctoritate civili urgeri et promoveri.

611. Urgeri possunt si in se liciti et si poni valeant absque forma falsae religionis. . . . . »

Pag.
612. Secus neque excusat maius bonum quod speratur. 376
613. Potest tamen inculcari religio in genere. . . 377

§ 2.

De actione civili in organizanda falsa religione eaque conservanda ac regenda.

614. Idem est an status sit catholicus, vel tantum princeps . . . . . »
615. Organizatio personalis et territorialis . . . 378
616. Principi catholico non licet organizatio aut regimen sectae falsae. . . . . »
617. Potest tamen permissive se habere 379
618. Publicae securitati consulat per *regium nihil obstat.* »

ART. IV.

Quid princeps possit pro conversione subditorum

619. Removere obstacula, et indirecte fovere . . . »

CAPUT VI.

DE CONCORDATIS

620. Quid concordata? 380

ART. I.

Origo

621. Relationes historicae Ecclesiae cum romano imperio. 381
622. Item cum neo-regnis barbaricis in occidente. . »
623. Horum usurpationes; praesertim quaestio de investituris. 382
624. Henricus II. Angliae rex. 383
625. Philippus Pulcher Galliae, et iuristarum civilium primae in Ecclesiam hostilitates . . . . »
626. Augentur procedente saec. XIV. et seqq. . . »
627. Ecclesia occurrit principum exigentiis, concordatis. 384
628. Prima concordata 385
629. Concordatorum recensio 386

Pag.

ART. II.

Finis

630. Ex parte Ecclesiae est concreta utilitas, idest sufficiens securitas et libertas 387
631. Concordata non sunt absolutae necessitatis . . 388

ART. III.

Materia

632. Regulariter ex parte Ecclesiae est aliqua concessio. 389

ART. IV.

Personae contrahentes

633. Sunt duae supremae potestates, ecclesiastica et civilis 390
634. Non autem episcopi auctoritate propria . . . »

ART. V.

Natura

635. Pro usu forensi, indifferens est an leges Ecclesiae sint concordatae vel non . . . . . »

§ 1.

De concordatorum natura iuxta catholica principia.

636. Sententiae extremae. 391
637. Ecclesia praeter iura nativa, habet et acquisita, quae alienari valent, contractu quoque bilaterali. »
638. E contra, iura nativa nequeunt alienari aut abdicari, sed tantum communicari aut delegari, et aliquando non exerceri; super his concessionibus cadit pactum concordatum. 392
639. Admittenda ab omnibus catholicis 393
640. Contractus bilateralis sumi potest amplo sensu antiquis familiari, vel stricto recentioribus usitato. 395
641. Concordata non sunt contractus bilaterales stricto sensu. 396
642. Sed sensu lato . . . . . »
643. Semper servanda sunt . . . . . »

Pag.
644. Iuxta primam sententiam facilius resolvuntur . 397
645. Iuxta eam essent privilegia, ad summum onerosa. »
646. Quaestio methodo auctoritativa, resolvenda est . 398
647. Ex expressa Ecclesiae professione, concordata dicenda sunt habere vim pacti bilateralis lato sensu. . . . . »
648. Id inculcant Pontifices, cum principes concordata violant 399
649. Unicum documentum contrarium, nullius est valoris 400
650. Declaratio officialis qui illud extendit . . . 401
651. Formulae in concordatis adhiberi solitae nequeunt impropriari . . . . . »
652. Ecclesia eas correxisset exorta quaestione . . 402
653. Conditio revocationis concordati si vergat in detrimentum animarum, est conditio generalis, subintellecta in quolibet contractu . . . . »
654. Exponuntur argumenta primae sententiae . . 403
655. Iam responsum est 2ae et 3ae difficultati, de paritate iuridica contrahentium et de aequivalentia dati et accepti 404
656. Respondetur 1ae de simonia 405
657. Respondetur 4ae de imminutione iurium Ecclesiae. 406
658. Distinguitur potestas et obligatio eam exercendi aut non, determinatis modis 407
659. Resolvuntur quaedam clausolae quae ipsam potestatem afficere videntur . . . . . »
660. Explicantur aliae expressiones his contrariae . 408
661. Superior nequit erga inferiorem obligari contra propriam voluntatem 409
662. Societas cum sit persona perpetua, tum iurium acquirendorum, tum officia contrahendi capax est. 410
663. Concessiones factae in concordatis possunt evadere noxiae Ecclesiae, ex vitio hominum vel ex mutatis circumstantiis, vel ab initio ex errore facti 411

Pag.

664. Quoad 5m difficultatem; concordata dicuntur concessiones quoad materiam et contractus quoad formam, ad indicandam vim pacti additam a Pontifice suis concessionibus 412

§ 2.

Errores regalistarum.

665. Regalistae contendunt, concordata non obligare principem, 1. quia respiciunt negotia et personas internas regno, circa quae princeps est independens 413

666. Resp. 1° statum catholicum quoad negotia religiosa esse dependentem ab Ecclesia; 2° statum acatholicum agnoscere debere se incompetentem saltem pro subditis catholicis 414

667. Concordatum est favorabile statui civili . . . 415

668. Et gubernium atheum necesse est respiciat ad religionem subditorum pro publica tranquillitate. »

669. Gubernium acatholicum considerat Ecclesiam ut societatem perfectam in opinione subditorum catholicorum . . . . . »

670. Sed gubernium potest contrahere et cum societate imperfecta . . . . . »

671. Negotia autem religiosa sunt interna regno, ratione personarum, sed non materiae et competentiae 416

672. 2. Dicunt mutata forma supremae potestatis, corruere concordata. Negatur quia nomine societatis contrahuntur. 417

673. Concordata obligant legittimum principem etsi contracta cum gubernio *de facto*. 418

674. Definitio Concilii vaticani, non contulit Pontifici novam potestatem, sed declaravit potestatem quam iam habebat . . . . . »

675. Eius positionem coram statu reddidit huic favorabiliorem 419

Pag.

676. 3. Aiunt principem posse suo iudicio rescindere concordata, quando noxia statui 419
Negatur, cum detrimentum temporale sustinendum sit, si necessarium pro bono spirituali. . . 420
677. Pontifex autem non habet superiorem . . . »
678. Oportet Ecclesia sit valde parca in concessionibus largiendis. 421

ART. VI.

De concordatis ineundis et dissolvendis

679. Ad contrahendum requiritur 1. potestas, 2. voluntas, 3. obiectum . . . . . »
680. Resolvitur concordatum 1° ex errore substantiali, 2° ex dolo . . . . . »
681. 3° ex violentia, 4° ex metu . . . . . »
682. Pontifex solvit se et a iuramento extorto . . 422
683. 5° Ad denunciationem partis innocentis . . . »
684. 6° Ex substantiali mutatione . . . . . »

LIBER II.

DE SUBIECTO POTESTATIS ECCLESIASTICAE

1. Essentialis Ecclesiae constitutio determinanda est criterio positivo 423
2. Essentiali constitutioni, superaddi potest accidentalis ex facto Ecclesiae de qua in iure canonico. »

CAPUT I.

DE VERA ET ESSENTIALI ECCLESIAE CONSTITUTIONE

§ 1.

Gradus hierarchici iure divino.

3. I. Ecclesia est societas iure divino inaequalis. . 424
II. Episcopi, presbyteri et diaconi pertinent ad hierarchiam iuris divini . . . . . »

Pag.

III. Ex voluntate divini Fundatoris, Apostoli ordinaverunt presbyteros 424
IV. Item diaconos 425
V. Hierarchia ordinis et iurisdictionis, ad quam non pertinent presbyteri et diaconi . . »
VI. Iurisdictio inaequaliter collata Petro et ceteris Apostolis . . . . . »

§ 2.

4. *Auctoritas beati Petri* . . . . »

§ 3.

Auctoritas Apostolorum.

5. 1° Singulariter, habuerunt I. missionem, II. infallibilitatem 426
6. Sed carebant independentia . . . . . »
7. 2° Collegialiter, regebant Ecclesiam universalem sub Petro. 427

§ 4.

Auctoritas Petri ordinaria et ad successores pertransiens.

8. Auctoritas Petri erat ordinaria, et proinde ad successores pertransiens . . . . . »
9. Sed charismata extraordinaria non transeunt ad successores . . . . . »
10. Erant necessaria pro fundatione Ecclesiae, sed non pro eius conservatione 428
11. Revelatio catholica et simpliciter divina in quo differant . . . . . »
12. In Petro perseverant apostolatus et infallibilitas . 429

§ 5.

Quis succedat beato Petro.

13. Succedit episcopus romanus . . . . . »
14. Mens Petri in successore sibi constituendo, constare debuit Ecclesiae I. ex eius explicita declaratione. 430
II. ex ipsa rei natura . . . . . »

Pag.

§ 6.

De successione episcoporum Apostolis, singulariter et collegialiter.

15. 1. Singulariter; I. non sunt immediate missi a Domino 431
II. Carent charismate infallibilitatis et charitatis. 432
16. III. Carent apostolatu. . . . . »
17. *Presbyteri in sacris litteris Novi Testamenti idem sunt ac episcopi* 433
18. Episcopi ponuntur ad Ecclesias iam fundatas, et quidem IV. determinate regendas 435
19. Sed ex missione saltem praesumpta praedicant gentibus finitimis carentibus episcopo . . . . »
Episcopi gentium 436
20. Hinc episcopi habent potestatem limitatam, comparate ad Apostolos . . . . . »
21. Et sacrae litterae ita eos exhibent . . . . »
22. Potestas Apostolorum ordinaria et extraordinaria. 437
23. Nullus Apostolorum, praeter b. Petrum, habuit proprie successorem . . . . . »
24. 2. Potestas Apostolorum collegialis, regendi Ecclesiam sub b. Petro . . . . . »

§ 7.

Describitur potestas summi Pontificis et causae maiores indicantur.

25. I. Potestas summi Pontificis est plena, immediata, suprema, coniuncta cum apostolatu . . . 438
II. Causae maiores essentialiter, per se . . . »
26. Causae maiores per accidens. 439
27. Eius ius, Ecclesiae constituens secundarium . . »
28. Eius ius legislativum, generale et particulare . 440
29. Eius potestas iudicialis suprema et immediata . »
30. Eius ius poenale. . . . . »
31. Eius potestas administrativa. . . . . »

Pag.

§ 8.

Natura potestatis episcopalis.

32. Est limitata quoad intensitatem et extensionem. 441
33. Reassumptio. 442

§ 9.

Quaenam sit forma regiminis ecclesiastici.

34. Formae regiminis simplices et compositae . . »
35. I. A regimine Ecclesiae excluditur elementum democraticum . . . . . »
II. Elementum aristocraticum participat regimini Ecclesiae, sed non limitat supremam potestatem summi Pontificis 443

CAPUT II.

ERRORES

ART. I.

Expositio doctrinalis

36. Negatio potestatis ordinis . . . . . »
37. Errores quoad potestatem iurisdictionis . . . 444

§ 1.

Errores democratici.

38. Marsilius patavinus . . . . . »
39. Protestantes. 445
40. Concessio electionum populo. . . . . »
41. Systema repraesentativum populi 446
42. Concursus populi antecedens aut consequens actibus iurisdictionis 447
43. Differentiae quaedam sunt theologicae sed non practicae. 448
44. Dependentia pastorum a populo moralis, non iuridica. »

§ 2.

Errores aristocratiae parvae seu presbyterianismi.

45. 46. Ponit presbyteros aequales episcopis iure divino, et hos superiores non fieri absque illorum auctoritate 449

Pag.

III. Saltem parochorum auctoritatem repetunt a iure divino 450

§ 3.

Errores aristocratiae superioris seu episcopalis.

47. I. negando primatum summi Pontificis . . . »
48. II. limitando primatum super episcopos distributive sed non collective 451
49. III. ponendo auctoritatem primatialem, tantum mediatam et extraordinariam, non autem immediatam et ordinariam . . . . . »

§ 4.

Errores monarchiae exclusivae.

50. I. Ponendo episcopos ut meros vicarios Papae . 452
51. II. Supponendo episcopatum a summo Pontifice aboleri posse. . . . . »
52. Non repugnat duplex potestas immediata in eosdem subditos, dummodo una sit ab alia dependens. 453

QUAESTIO I.

An potestas iurisdictionis episcoporum in singulas dioeceses sit immediate a Deo vel a Pontifice.

53. Duplex opinio 454
54. Salva consistit dependentia episcoporum a Pontifice, etsi ipsorum iurisdictio ponatur immediate derivare a Deo . . . . . »
55. Item salva consistit potestas ordinaria et propria episcoporum, etsi ponatur derivare immediate a Pontifice 457
56. Inconvenientia primae sententiae . . . . . »
57. Secunda est praeferenda, quia sufficiens et simplicior . . . . . »
58. In episcopis est proxima aptitudo et generica exigentia iurisdictionis propriae 459

Pag.

QUAESTIO II.

An consecratione episcopus acquirat iurisdictionem collegialem.

59. Extra concilium episcopis nulla est actu iurisdictio in universalem Ecclesiam 459
60. Iurisdictio collegialis agnoscenda est in episcopis tantum habitu 460
61. An episcopi non residentiales sint ex necessitate vocandi ad concilium? . . . . . »
62. Differentia inter potestatem sacramentalem absolvendi et iurisdictionis. . . . . »

QUAESTIO III.

An summo Pontifici sit ius designandi suum successorem.

63. Factum b. Petri, designantis s. Clementem, si verum, non posset concludenter allegari. . . 461
64. Decreta prohibentia et declarationes. . . . 462
65. Ratio iuridica prohibens duplex. 463

§ 5.

66. *Errores mixti* . . . . . »

ART. II.

Expositio historica praecipuorum errorum circa Ecclesiae constitutionem

67. Systemata Marsilii et protestantium iam exposita. 464

§ 1.

68. *Richerianismus* . . . . . »

§ 2.

Systema Febronianum.

69. Eius auctor, Nicolaus de Honteim episcopus miriofitanus. 466
70. Pars doctrinalis 467
71. 468
72. Pars historica . . . . . »

Pag.
I. Causae fortuitae, auctae potestatis s. Sedis . 468
II. Causae dolosae 469
73. Pars practica . . . . . »
74. Febronii condemnationes. . . . . »
75. Eiusdem retractatio, suspecta 470

§ 3.

Gallicanismus.

76. Eius prima origo saec. XV., et proxima saec. XVII. 471
Quatuor propositiones Gallicanorum 472
77. Tria instituta regni gallicani . . . . . »
78. Meliores gallicani, privilegia nationalia repetebant saltem a consensu Papae 473
79. Antiqui gallicani, meliores recentioribus. . . 474
80. Damnationes gallicanismi . . . . . »
81. Consuetudines anglicanae . . . . . »

§ 4.

Errantes sectatores praecedentium.

A. *Iansenistae.*

82. Synodus pistoriensis 475
83. B. *Van-Espen.* 476
84. C. *Eybel* . . . . . »

CAPUT III.

FALSORUM SYSTEMATUM REFUTATIO

85. Divisio capitis 477

ART. I.

Excluditur democraticum elementum

Propositio: *Auctoritas ecclesiastici regiminis, a Christo Domino collata est immediate b. Petro et Apostolis, eorumque successoribus, nullo autem modo populo.*

86. Prob. I. ex sacris litteris 478
87. Apostoli immediate constituebant episcopos . . 479
88. Prob. II. ex traditione . . . . . »

Pag.

89. Obiic. I. ex eo quod potestas Apostolorum fuerit in bonum Ecclesiae 480
90. Obiic. II. potestatem istam collatam fuisse Ecclesiae 481
Obiic. III. ex electionibus, *remissive ad sequentem quaestionem* . . . . . »

QUAESTIO DE ELECTIONIBUS

§ 1.

Quaestio iuridica.

91. Obiic. I. electionem s. Matthiae, Act. I. et septem diaconorum, Act. VI. . . . . »
II. ex facto primae Ecclesiae . . . . . »
92. Respondetur, Act. I. actum fuisse de quaestione facti; Act. VI. ex prudenti oeconomia processisse Apostolos . . . . . »
93. Aliae electiones immediate factae ab Apostolis . 482
94. Ordinandus oportet habeat bonum testimonium . 483
95. Sed Pastores Ecclesiae iudicant de rectitudine testimonii popularis. . . . . »
96. Ex his explicatur consuetudo primae Ecclesiae . »
97. Concordia inter rempublicam et Ecclesiam, est tantum ratio prudentialis pro ipsa Ecclesia, et non iuridica 484
98. Textus sanctorum Patrum qui obiiciuntur . . »
99. Sed probant tantum ex voluntate Ecclesiae, requisitum populi consensum, vel testimonium . . 486
100. Consensum populi non esse rigorose necessarium, probatur ex ipso s. Cypriano . . . . . »
101. Item ex concilio Cartag. III. 487
102. Textus Origenis . . . . . »
103. Corrigendus populus ab episcopis . . . . »
104. Canones nicaeni nullam populi mentionem faciunt. 488
105. Epistola synodica Nicaeni I. 489
106. Divisio Ecclesiae in provincias, immemorialis. . 490

Pag.

107. Provinciae ecclesiasticae non mutantur ad normam civilium 490
108. Can. XII. concilii Laodiceni de electionibus, populum non memorat 491
109. Aliquando expresse excluditur . . . . . »
110. Patriarcha occidentis erat summus Pontifex . . »
111. Modus electionum in provinciis occidentalibus . 492
112. Incipiunt episcopi in oriente convenire apud metropolitam 493
113. Primis christianis ut ferventioribus, plus concedere potuit Ecclesia 494
114. Distinctio inter ius populi constitutivum et morale, participandi electionibus reiicitur . . 495
115. A populi exclusione non pendent mala Ecclesiae. 496

§ 2.

Adumbratio historica electionum in Ecclesia.

116. Notatur modus praevalens . . . . . »

A. *Vicissitudines electionum episcoporum.*

117. Saec. IV. auctus in occidente interventus populi, ad arianos excludendos, et in oriente imminutus. »
118. Ordinis et honoratorum, maior ratio habetur . 497

Priorum imperatorum christianorum agendi ratio.

119. Constantinus M. sese electionibus non immiscuit. »
120. Constantius arianis favet . . . . . »
121. Mortuo Auxentio ariano, primo episcopi orthodoxi ad imperatorem Valentinianum I. recurrunt; eligitur s. Ambrosius 498
122. Valens in oriente favet arianis 499
123. Item aliquando Valentinianus II. in occidente . »

Electiones in oriente.

124. Partes imperatoris praevalent populo. . . . . »
125. Arcadius vocat s. Io. Chrysostomum 500
126. Theodosio II. imperatore, deponitur Nestorius in concilio Ephesino I. . . . . »

Pag.

127. Sed postea imperator deceptus, favet eutychianis. 501
128. Summi Pontifices, ex prudentia, tolerant nimium imperatorum interventum, si personae electae sint de cetero dignae. . . . . »
129. Primum schisma constantinopolitanum sub Acacio. 502
130. Iustinus I. imperator nominat Paulum patriarcham antiochenum . . . . . »
131. Iustinianus I. prohibet consecrari episcopos Italiae absque imperiali confirmatione . . . . »
132. Hinc saec. VI. imminuta Ecclesiae libertas . . »
133. Saeculo VII. coeperunt imperatores sibi vindicare patriarcharum confirmationem. 503
134. Saeculo VIII., iconoclastae . . . . . »
135. Conc. nicaenum II., oecum. VII., an. 787, can. 7., excludit ab electionibus potestates saeculares . 504
136. Concilium constantinopolitanum IV., oecum. VIII. anno 869, excludit et populum . . . . »
137. Sed in occidente universaliter non obtinuit usque ad Lateranense generale I. anno 1122. . . 505

Electiones in occidente, everso imperio.

138. Libertas Ecclesiae negata non fuit theorice, sed saepe factis violata . . . . . »
139. Persecutio vandalica in Africa . . . . . »
140. Visigothi ariani, in Hispania mitiores . . . »
141. Franci rectam fidem suscipiunt . . . . . »
142. Ecclesia instituit sui defensores seu advocatos . 506
143. Simonia et interventus regius in Francia . . »
144. Conciliorum provincialium canones pro libertate Ecclesiae. . . . . »
145. Visigothorum conversio et electiones factae a rege ultimo saeculo 507
146. Maior libertas in Italia . . . . . »
147. Item in Anglia et Hibernia 508
148. Nec non in Scotia . . . . . »
149. In Germania adhuc dominabatur idololatria . . »

Pag.

150. S. Gregorius Magnus rursus reservavit confirmationes metropolitarum. 508
151. Privilegium personale concessum Pipino. . . . »
152. Decretum sancti Gregorii VII. occasione investiturarum . . . . . »
153. III. epocha; reservatio electionum capitulo cathedrali post Lateranense I. 509
IV. epocha; reservationes pontificiae saeculo XIV. 510
V. epocha; regum. Privilegia concessa principibus. 511

B. *De electionibus parochorum.*

154. Sunt vicarii episcoporum, positi iure ecclesiastico. In superiori Italia alicubi populus habet patronatum analoge iuri communi . . . . . »

C. *De electione summi Pontificis.*

155. Schisma Novatiani anno 254. 512

I. *Electiones sub romanis et graecis imperatoribus.*

I. Schisma Ursicini . . . . . »
II. Schisma Eulalii . . . . . »
III. Basilii praefecti interventus, Odoacre rege. 513
IV. Damnatur a concilio Romano anno 502 . . »
V. Schisma Laurentii anno 498 . . . . . »
VI. Theodorici usurpatio 514
VII. Amalasunta determinat tributum 3. millium aureorum. . . . . »
VIII. Silverius an. 536 electus voluntate Gothorum. 515
IX. Ei a Graecis sufficitur Vigilius . . . »
X. Confirmatio imperialis ab anno 552 ad 684. »
XI. Constantinus IV. Pogonatus eam abrogat; item tributum 516
XII. Tamen exarchae adhuc rem ecclesiasticam turbant . . . . . »
XIII. Iustinianus II. anno 685 exigit confirmationem, remisso tributo . . . . . »
XIV. Exorta haeresi iconoclastarum, Ecclesia anno 741 recuperat suam libertatem. . . . »

Pag.

II. *Electiones summi Pontificis sub imperatoribus francis et germanis.*

156. Sanctus Leo III. vulneratus confugit ad Carolum Magnum 516
157-165. Aliquando vocati ad electionem, missi imperiales, pro ordine externo servando; aliquando praetermissi 517
166. Nicolaus II. vult imperatores impetrent personaliter, ius confirmandi electionem Pontificis . . 520
167. Cadolaus, primus antipapa immediate ab imperatore (Henrico IV.) nominatus 521
Gregorius VII. omne ius aufert imperatori . . . »
168. Innocentius II. excludit et populum romanum. Alexander III. excludit et clerum inferiorem. . »
169. *Exclusiva* quam sibi vindicat Austria, Gallia et Hispania, non est verum ius 522

ART. II.

Excluditur aristocratia presbyteralis

170. I. Episcopi sunt iure divino presbyteris superiores quoad potestatem ordinis . . . . . »
171. II. Item quoad potestatem iurisdictionis . . . 523
172. Nam Apostolis succedunt episcopi et non presbyteri 524
173. Probatur ex traditione, presbyteros nihil per se posse. . . . . »
174. Presbyteri figurati in 72 discipulis 525
175. Episcopus est principium unitatis Ecclesiae . . »
176. Presbyteri sunt designati ut coadiutores episcoporum 526
177. Tamen ex delegatione, capaces sunt iurisdictionis etiam supra episcopalis . . . . . »

ART. III.

Excluditur aristocratia episcopalis

178. Propositio: *Christus Dominus primatum iuris-*

Pag.

dictionis in Ecclesiam universam contulit beato Petro, in eius successoribus perpetuandum . 527
179. Probatur prima pars . . . . . »
180. Probatur secunda pars 528

ART. IV.

Excluditur forma mixta ex monarchia et aristocratia in supremo regimine

181. Propositio I. *Potestas primatialis summi Pontificis est iure divino suprema, plena et independens, in universam Ecclesiam tum distributive tum collective* 529
182. Probatur . . . . . »
183. Propositio II. *Potestas primatialis est suprema etiam dogmatice, seu infallibilis* 530
184. Tamen episcopi in concilio sunt adhuc iudices . 531
185. Officium iudicis non importat libertatem in sententia ferenda, sed auctoritatem et causa cognita. »
186. *Scholion.* Ex plenitudine potestatis primatialis, refutantur omnes errores circa Ecclesiae constitutionem 532
VII. Pontifex canones divinos nequit valide evertere; ceteros abrogare valide potest, sed aliquando illicite ageret. 533
187. Consuetudines speciales nequeunt vigere absque consensu, saltem legali summi Pontificis . . 534

ART. V.

Specialis animadversio in decretales Isidori Mercatoris

188. Febronius et ab his decretalibus repetit usurpationes sanctae Sedis 535

§ 1.

Quaestio historica.

189. Prodiit in Germania. . . . . »
190. Circa medium saeculum IX. 536

Pag.

191. Dividitur in tres partes 536
192. Auctor incertus, sed videtur francus. . . . »
193. Romae ignota per duo saecula . . . . . »
194. Ab omnibus suscepta, paucis capitulis reiectis ab aliquibus 537
195. Nicolaus I. papa, ea non utitur 538
196. Dubitatio exorta saec. XII. et resoluta XVII. . »

§ 2.

Quaestio critica.

197. Reiicitur genuinitas primae eius partis, de qua tantum disputatur . . . . . »

§ 3.

Quaestio iuridica.

198. Exhibet disciplinam saeculo IX. vigentem . . 540

APPENDIX

IURIS PUBLICI ECCLESIARUM ACATHOLICARUM

§ 1.

Ecclesiae orientales schismaticae.

199. 1. Patriarcharum Constantinopolitanorum ambitio. 541
200. Schisma . . . . . »
2. Ecclesia schismatica Russiarum 542
3. Graeciae . . . . . »
4. Rumeniae, Serbiae, Bulgariae et Montis nigri. 543

§ 2.

De protestantibus.

201. Systema episcopale . . . . . »
202. Systema territoriale . . . . . »
203. Systema collegiale . . . . . »

RERUM PRAECIPUARUM INDEX ALPHABETICUS

N. B. Numerus arabicus indicat numerum marginalem, qui, si opus sit, subdividitur in alios numeros cum exponente o. Intelligitur liber primus nisi alter citetur; citatur autem liber numero romano absque exponente, et citatio eadem subintelligitur in numeris arabicis sequentibus, donec alia ponatur.

Abrogatio legis, 112.
Acatholicorum ius publicum, II. 199. seq.
Administrativa potestas, 116.
Apostolatus b. Petri perseverat, II. 12.
Apostolorum auctoritas, singulariter, II. 5. 6; collegialiter 7. Singulariter praeter b. Petrum proprie non habent successorem, 23; collegialiter eis succedunt episcopi quoad potestatem pastoralem, 24. Potestas ordinaria et extraordinaria, 22. Immediate a Deo, 86. seq.
Appellatio, ius, 121.
Arbitri, differunt a iudicibus, 116. 117.
Auctoritas, quid? eius necessitas; requirit subiectum; est una, 90; sed in Ecclesia eius subiectum est inadaequate duplex, 93. Eius forma, 92.
Quo sensu iuxta scholasticos potestas civilis sit immediate a populo, 110. seq.
Bellum, quando liceat? 198. seqq.
Carcer, pro libertate testium, 121. II.o
Catholicismus liberalis, 227.
Causae maiores, II. 25. IIo 16.
Censura, 128. seq.
Censurae, 279. II.o
Centralismus, 67.
Communismus, 373.

Competentia Ecclesiae et status in concreto, augetur vel ex unitate subiecti, vel ex alterius concessione, 553. seq.
Conatus delicti, 139. III.°
Concordata, 619; origo, 621; recensio, 629; finis, 630; materia, 632; personae contrahentes, 633; natura, 635; iuxta principia catholica, 636; opiniones extremae, ibi; admittenda ab omnibus catholicis, 639; non sunt contractus bilaterales rigoroso sensu, 641; sed latiori, 647. seq.; respondetur difficultatibus, 655. seq. Tractu temporis evadere possunt noxia Ecclesiae; item ex errore facti, 663. regalistarum errores et difficultates, 665. seq.; stipulatio, 679; dissolutio, 680. seq.
Concursus status catholici ad actus falsae religionis, 580. seq.
Conflictus, quando habeatur, 185.
Connexio religionis cum moralitate et tranquillitate publica, 433. seqq.
Consuetudines anglicanae, 627.
Conversio infidelium et dissidentium, quomodo procuranda; 619.
Cooperatio, vide concursus; formalis non licet, 582; materialis licere potest ex causa proportionata, 583. seq.
Crimen, 137. seq.
Criteria iudicialis potestatis, 121. seqq.
Cultus libertas, 495.
Decretales Isidori mercatoris, II. 188. seqq.
Defensio Ecclesiae ad hominem, 45.
Delictum, vide crimen, 137. seq.; praeterlapsum seu frustratum, 140.
Democratia in Ecclesia, II. 38. seq.; refutatur, 86. seq.
Diaconi pertinent ad hierarchiam ordinis iuris divini, II. 4.; ipsorum electio, 91. seq.
Diplomatia ecclesiastica, 29.
Disciplina interna et externa, 239.
Dispensatio legis, 112.
Duellum, quando liceat, 196. 197.
Ecclesiae notio, 205; eius distinctio a societate civili, 207. seq.; divina institutio, 210; iuridica perfectio ex eius natura, 212. seq.; item ex positiva divini Fundatoris voluntate; probatur I. ex ss. litteris, 224. seq.; II. ex traditione, 227. seq.; III. ex facto perenni Ecclesiae, 228; IV. confirmatur ex testimonio christianorum imperatorum, 229;

V. probatur ex ecclesiasticis definitionibus, 230. Solutio difficultatum, 231. seq.

Ecclesiae potestas punitiva, 254; non est ex mero scopo vindicativo, 294. seqq.

Differentiae inter finem Ecclesiae et societatis civilis, 296, 297.

Argumenta pro et contra attributionem iuris gladii Ecclesiae, 305. seq.

Ecclesia caret vi armata formaliter, 331; sed ea pollet virtualiter, 340; item et formaliter aliquando, devolutive, 345. seq.

Ecclesia valet acquirere iurisdictionem civilem, 391.

Relationes Ecclesiae et societatis civilis, 387. seq.; cum statu acatholico christiano, 562. seq.; haeretico, 566; schismatico, 567; indifferenti, 569; infideli, 572; cum societatibus religiosis falsis, 573.

Eius constitutio essentialis, II. 3. seq.

Effectus civiles actuum religiosorum sectae toleratae, quando agnoscendi, 597. seq.

Electiones concessae populo, II. 40. - 90; quaestio iuridica, 91. seq.; expositio historica, 116; episcoporum, 117; sub primis imperatoribus, 119; in oriente, 124; in occidente 138; parochorum, 154; summi Pontificis, 100; sub romanis et graecis imperatoribus, ibi; sub francis et germanis, 156; exclusiva, 169.

Emendatio, non est finis primarius, nec absolute necessarius poenae, 157. IV.°

Episcopi iure divino spectant ad hierarchiam ordinis et iurisdictionis, II. 3; differentiae cum Apostolis, 15. seq.; gentium, 19; vocantur et presbyteri, 17.

An habeant immediate a Deo iurisdictionem in singulas dioeceses, 53. seq.; an collegialem, 59. seq.; titulares, 61; vide *electiones*.

Episcopalis potestatis natura, II. 32. 33; refutatur exaggeratio eiusdem, 178. seq. 181. seq.

Error, auctoritatis, 188; quando error aliorum limitet ius nostrum, 203.

Errores de forma regiminis Ecclesiae, II. 36. seq.; democratici, 38; refutantur, 86. seq.; aristocratiae presbyteralis, 45; refutatur. 170. seq.; episcopalis, 47; refutatur, 178. seq.; monarchiae exclusivae, 50. 86. seq.

Evidentia iustitiae iudicialis, 121. II.°
Eybel, II. 84.
Exclusiva, II. 169.
Exercitium functionum supremae potestatis, utiliter dividitur, 172.
Familia est societas imperfecta, 58; inaequalis, 68.
Febronius, II. 69. seq.
Finis Ecclesiae, remotus et proximus, 47.
Ex fine determinatur natura et ius societatis ad existendum, 62; item eius unicitas vel pluralitas, 63; item ius intersociale, 64; item interna constitutio, 65; item eius organizatio, 66; item ius ad media, 71. Societatis civilis, 370.
Forma regiminis ecclesiastici, II. 34. seq.; acatholicorum, 199. seq.
Gallicanismus, II. 76. seq.
Gubernativa potestas, 106.
Hebraeorum religio, 266.
Hierarchia iuris divini, II. 4. seq.; ordinis et iurisdictionis, 4; errores, 36. seq.; vide *errores*.
Iansenistae, II. 81.
Imperium, 90.
Indifferentismus, 506. seq.
Infallibilitas Apostolorum, II. 5; beati Petri, 12.
Iniuriae adversus personas quatenus titulo religioso in secta tolerata qualificatas, 602. 603; in ipsam falsam religionem toleratam, 604. 605.
Inquisitio, 314. seq.; eius origo; 318; aliquando procedebat ut tribunal mixtum, 315. 316; utilitates, 328.
Hispanica, 317. 322. seq.; non pronuntiabat poenas capitales, 324; novatorum, 320. 321; anglorum, 326; revolutionis, 327.
Institutiones iuris canonici, III. (lectori benevolo).
Isidori mercatoris decretales, II. 188. seq.
Iudicium, civile, criminale, 105; iudicialis potestatis exercitii criteria, 121. seq.; possessorium, 427. seqq.; nudi facti, 425. 426; authenticum, spectat ad societatem superiorem, 187.
Iura principis quoad religionem naturalem, 461. seq.; quoad revelatam, 487. seq.
Iurisdictio, quid? 48.
Ius, eius notio et divisiones, 1. seq.

Ius publicum sectarum acatholicarum, II. 199. seq.
Legis definitio, 107; divisio, 108; eius materia in genere, 112; sit honesta et utilis, ibi; legis abrogatio et dispensatio, ibi.
Legislativa potestas, 107; aliqualis in societate imperfecta, quae sit pars organica maioris, 114.
Liberalismus, 517. seq. 529; absolutus, 520; moderatus, 522; clericalis, 527.
Libertas testium et querelantium, 121; cultuum. 495. 512; quando concedenda, 576; cogitandi, 508; loquendi, 511.
Limes auctoritatis ecclesiasticae et civilis, 403.
Magisterium, quid, 48; doctrinale, auctoritativum; hoc continetur sub potestate iurisdictionis, ibi.
Maiestas, 90.
Marsilius patavinus, II. 38.
Materia legis in genere, 112; poenae, 161; mixta, 410. seq.
Moralitas, connectitur cum religione, 441. seq.
Naturalismus, 506. seq.
Necessitas societatis civilis, 359, seq.
Nudum factum, 425. 426.
Obligatio seu
Officium, quid, 8; eius subiectum et terminus est persona, 13; qua ratione obligemur in usu rerum irrationalium, ibi; iuridicum et ethicum, 12; connectitur cum religione, 441. seq.; principis erga religionem naturalem, 461. seq.; erga revelatam, 487. seq. Officia Ecclesiae erga societatem civilem, 548. seq.
Ordinis potestas, 48. II. 3. V.° negatur, 36.
Ordo tractationis; pars generalis et specialis, 46.
Organizatio societatis, per synthesim vel per analysim, 67; sectae toleratae, 614. seq.
Origo naturalis, potestatis socialis, 96; est a sociis in societate voluntaria, ibi.
Paganorum religio, 269.
Parochi; error est eos positos esse formaliter iure divino, II. 46. III.° Electiones, 154.
Peccatum, distinguitur a crimine, 139.
Perfectio, absoluta, relativa; haec tantum a societate intenditur, 82.
Permissiva lex, 109.
Persona, metaphysice, 14; iuridice, ibi; simpliciter et restrictive, 21; moralis, physica, 15; perfecta, imperfecta, 19;

physica est per se semper imperfecta, 20; collectiva, fictitia, 17,. 18. 501; eius recognitio ad scopum toleratum, 592.
Petrus, vide *Primatus*.
Pistorienses, II. 82.
Poena, 141; ius eam inferendi, ibi; eius fines, ibi et 149. seq.; aeterna, 147; diversa relatio societatis ad poenas, 150-153; talionis, 154; poenae materia, qualitas et proportio, 161; divisio, 273. seq.; temporales, spirituales, 274; infamiae, 288; aliae temporales in usu Ecclesiae, 289; earumdem iustitia, 299. 300; eas tulit iure proprio, 291.
Poena capitalis, 301. seq.
Poenitentia, 276.
Possessio bonorum materialium quoad sectam toleratam, 593. et 594.
Potestas ordinis, iurisdictionis, magisterii, 48; coactiva, 106. 122. seqq.
Potestatis socialis divisio, 195.
Potestatis socialis, naturalis, origo, 95.
Praestationes personales, sectae toleratae, quando agnoscendae, 595; ex publico aerario quando subministrandae, 596.
Praeventio, 129.
Praeterlapsum delictum, 140.
Presbyteri, pertinent ad hierarchiam ordinis iuris divini, sed non iurisdictionis, II. 3; in ss. litt. significant et episcopos, 17.
Presbyterianismus, II. 45. 46; refutatur, 170. seq.
Primatus b. Petri. II. 4; fuit auctoritas ordinaria et ad successores pertransiens, 8; cum apostolatu et infallibilitate, 12. absque aliis carismatibus, 9.
Succedit romanus Pontifex, 13. 14; vid. *romanus Pontifex*.
Princeps, iudicat in causa propria, 119; intervenit in re religiosa, 270; eius iura et officia quoad religionem naturalem, 461. seq.; quoad revelatam, 497. seq.
Promotio actuum falsae religionis, 611. seq.
Promulgatio legis, 110.
Proportio, poenae, 161.
Protectio s. Petri, 397; religionis naturalis, 461. seq.; revelatae, 497. seq.; Status protegit Ecclesiam ministerialiter, non auctoritative, 540. seq.
Protestantium error de forma Ecclesiae, II. 39. 201. seq.
Publica vigilantia et accusatio, 121.
Publicitas iudiciorum, 121. II.o

Punitio iniuriarum in personas quatenus titulo religioso in secta tolerata qualificatas, 602. 603; in ipsam falsam religionem toleratam, 604. 605; transgressionum praeceptorum falsae religionis, 606. seq.
Qualitas poenae, 161.
Quantitas iuris socialis, 76; in societate necessaria, non est summa iurium sociorum, 77; e contra in voluntaria, 79; tamen eius ius est per accidens melius ac ius singulorum distributive, 80.
Quasi-delictum, vide *Crimen*, 137.
Recognitio legalis iurium et officiorum quae societas acatholica sibi vindicat, 589. seq.; personae fictitiae seu corporis moralis, ad scopum toleratum, 592. seq.; iuris possidendi, 593; praestationum personalium, 595; effectuum civilium actuum religiosorum sectae toleratae, 592. seq.
Regionalismus, 67.
Relationes ethicae, iuridicae, 12; societatum imperfectarum, 174; societatum perfectarum formaliter tantum distinctarum in statu concordiae, 176. seq.; item in statu conflictus, 185; item societatum perfectarum quae materialiter tantum distinguuntur, 190. seq. Ecclesiae et societatis civilis, catholicae, 387. seq. Synagogae et reipublicae, 267; religionis paganorum, 269; Ecclesiae cum statu christiano acatholico, 562. seq.; haeretico, 566; schismatico, 567; indifferenti, 569; infideli, 572; cum societatibus religiosis falsis, 573; status catholici cum sectis dissidentibus, 575. seq.
Religio hebraeorum, 266; paganorum. 269. Religio connectitur cum moralitate et tranquillitate publica, 433.
Reparatio personae laesae, spectat ad iustitiam commutativam, 157. III.°
Repraesentativum systema in Ecclesia, II. 41.
Revelatio, quando suscipienda totaliter, 530. seq.
Richerius, II. 68.
Romanus Pontifex succedit b. Petro, II. 13. 14; eius potestas, 25. seq.; nequit constituere suum successorem, 63. seq.; vide *electiones;* eius plena potestas, 181. seq.
Sanctio pragmatica, II. 76.
Secretum iudicium, 121.
Sectae dissidentes, vide *status catholici relationes cum...*
Servitutes politicae, 60.
Socialismus, 373.

Societas, quid, 16; perfecta, imperfecta, 60; imperfecta caret iure belli, 200; societatis analysis, 51; amicalis, iuridica, 55; voluntaria, necessaria, 52; eius materia et forma, 56. 94; completa et incompleta, idem ac perfecta et imperfecta, 57; aequalis, inaequalis, 65; organica, inorganica, 66; organizatio per synthesim vel per analysim, 67; civilis, 352. seqq.; coniugalis, 68. 78; supernaturalis, 70; societas perficit homines, 74; est persona moralis, 75; societas perfecta iure exigit a suis quae fini sunt necessaria; inutilia nequit exigere; quae superioris ordinis nequit per se determinare; sed determinata iure exigit, 81. seq.; eligit inter media idonea, 83.

Solemnitates iudiciales, 121. II.°

Status catholici relationes cum sectis dissidentibus, 575. seq. Eius concursus ad actus falsae religionis, 580. seq.; vide *cooperatio*, *recognitio*, *promotio*, *organizatio*, *conversio*.

Subditi, aliquando tenentur per accidens obedire superiori inutilia praecipienti, vel etiam temporaliter noxia, 85. 86.

Subiectum supremae potestatis est unum, 169; physice vel moraliter, 171.

Subordinatio et subalternatio, seu subordinatio ratione finis et materiae, 61.

Talionis poena iusta, 154.

Tolerantia; species et gradus diversi, 577. seq.; vide *status catholici relationes cum sectis dissidentibus*.

Tranquillitas publica, connectitur cum moralitate et religione, 433. seq.

Transgressiones praeceptorum falsae religionis, quando puniendae, 606. seq.

Tregua Dei, 398.

Unitas supremae potestatis, 169.

Urbanum regimen, 132. seq.

Van-Espen, II. 83.

Venia, ius eam concedendi, 162. 163.

Vis armata, 166; formalis aut virtualis, 167; formalis non competit Ecclesiae, 331, sed virtualis, 340; item et formalis competere potest Ecclesiae devolutive, 345.

FINIS VOLUMINIS ET PARTIS PRIMAE GENERALIS

LAUS DEO

ERRATA	CORRIGE
Pag. 6 linea 19. 20. q. 89. a. un.	— q. 80. a. 1. c.
» 30 » 1. in nota, 1. 27.	— 1. 2.ae
» 31 » 5. 6. in nota	— deme cit. s. Th. 2. 2. q. 99. a. 3.
» 33 » 21.	— adde: a. 6. ad 1.
» 46 » 26. collectorum	— collatorum
» 168 » penultima, in arg. 5.	— arg. 4.
» 226 » 5. ante fin. quatruplici	— quotuplici
» 239 » 2. societatem	— libertatem
» 246 » 11. rationabiliter	— rationaliter
» 259 » ultima, foederato	— foederali
» 264 » penultima numeri 415, corrigenda	— corrigendo
» 267 post prop. 7. citatur n. 437	— 422
» » post prop. 8. n. 438	— 423
» 277 linea 25. finis	— finem
» 300 » penultima, 2.ae	— 3.ae
» 314 » 5. subditi	— subditos
» 340 » 19. ea	— eo
» 355 » 30. opponantur	— apponantur
» 365 » 2. personam fictitiam	— hanc moralem personalitatem
» 409 » 15. habito	— habita
» 420 » 4. directa	— directe
» 446 » 19. designare	— designari
» 464 » 3. e statu	— a statu
» 499 » 5. ante finem, convocatus	— convocatum
» 505 » 17. sąecuil	— saeculi
» 522 » 7. Eugenius IV.	— Eugenius III.

» 387 » 13. adde: 34. Pro Republica Columbiae, die 31 Dec. 1887, ratificatum die 4 Iulii 1888.

35. Pro Pago Ticinensi, 16 Martii 1888, ratificatum 15 Iulii. Sunt proinde 54.

IMPRIMATUR

Fr. Raphael Pierotti Ord. Praed. S. P. A. Magister

6871 348.1 C 18
Cavagnis, Felix. vol. I
AUTHOR
Institutiones Iuris Publici

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY